Con tina

Non posseduto



# DE CARDINALIBVS ET PRÆCIPVIS IESV CHRISTI ET SANCTORVM OPERIBVS. QVÆ festis eorum diebus in Ecclesia festiué celebrantur. Tomi duo.

*Authore Didaco de Ianguas Sacræ Theologiæ magistro Hispano ord. prædicatorum.*

*Memor fui operum Domini et quæ vidi annuntiabo, in sermonibus Domini opera eius. Eccli. 42.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.





PARISIIS.
Apud Nicolaum du Fossé, via Iacobea, ad insigne aurei vasis.





L. Gaultier — fecit 1603.

# NOBILISSIMO VIRO AC OMNI COMMENDATIONE DIGNISSIMO D. Domino Ioanni Zameto magni Sebastiani Zameti filio F. P. O.

F. I. S.

TOTIUS *diuinæ scripturæ ac verbi Dei etiam non scripti finis, Ioannes mihi colēdißime, hic vnus scopus est, vt nihil æquè ac ipsum Deū diligamus, quod iustitiæ munus est: vt pro Deo nihil non alacriter feramus, quod est fortitudinis: & vt eum amando peruigilemus & ne illudamur caueamus, quod est prouidētiæ: vt hunc ipsum Dei amo-*

*rem seruemus illæsum à veneno amoris proprij, quod pertinet ad temperantiam. Huc lex tendit, huc Euangelium, huc Prophetia, Apostolicaque doctrina. Qui autem ea literis ac scriptis produnt quibus ista docentur, vt homines meliores fiant aut doctiores, eos de humano genere bene mereri inter omnes constat iisque præcipuam deberi laudem. Quod cum Didacus de Iaguas Hispan⁹ in hoc suo de Christi præcipuis operibus libro singulariter præstiterit, studiosorum commodo consulere cupiens in hoc Galliarum regno imprimendum curaui. Cùm autem eum illustri cuidam viro cuius commendatione etiam gratior prodiret dicare statuissem, quem tecum conferre possem habui neminem: vt pote qui in ista iuuenili ætate veluti altè spectans, atque ad æternam domum contuens, nec sermonibus vulgi tete dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: sed suis te illecebris ipsa virtus traxerit ad verum decus, vt optimus esse malis quàm videri. Tuus enim animus tanquàm ager fœcũdus, & probè subactus conceptis virtutum seminibus, honestorum consiliorum, & quæ inde oriuntur actionum quandam quasi segetem præ se fert, ac te verè tanti patris filium, tantique herois natum profitetur, cuius quidem laudes si sigillatim ex-*

*plicare ſtudeam opus Iliade prolixius mihi naſcetur, & eius aures (ſatis ſcio) non ferent. Quæ igitur calamo vel eius voluntas, vel mea verecundia negat, ea poſteritatis ſermonibus vel inuito eo celebrabuntur. Prædicabit enim poſteritas illa non tantùm ornamenta fortunæ ob quæ cum vulgo beatus habetur, ſed virtutis ampliſsimæ magnitudinem, erga omnes pietatem inenarrabilem, prudentiam periculoſiſsimis temporibus in re publica & priuata admirandam, in pauperes inenarrabilem liberalitatem, erga doctos & ſtudioſos effuſam profuſamque magnificentiam, quod vel collata in me beneficia teſtantur, ne de aliis quicquam modò referam. Denique vt egregias animi eius dotes partim Dei beneficio innatas, partim eius induſtria conquiſitas, quæ in eo amicè conſpirant nũc inuoluam ſilentio, ſane quod Henrico Regi Chriſtianiſsimo, qui iudiciorum & virtutum prudentiſsimus æſtimator eſt, tam charus & dilectus ſit, vt omnis orbis teſtatur, & experientia ipſa comprobat, eum omni laude digniſsimum comprobat. Tu igitur qui tam probi parentis veſtigiis inhærere ſtudes, procul dubio in eam virtutis ſublimitatem tẽdis qua ad ſummũ illud bonũ poſsidendũ peruenitur. Accipe igitur hæc tãti itineris ſaluberrima documẽta, quæ in hoc ope-*

*re proponuntur, & librum ipsum tanquã iudicij tui exploratorem commendatum habe. Ego interim Deum Opt. Max. deprecabor, vt eos honores in hac vita consequaris, quibus tuos augere poßis, & tandem incorruptibili corona in cœlo doneris. Vale.*

## LECTORI BENEVOLO, S.

STudiose lector in tui gratiam atque vtilitatem prodit egregiũ istud opus in lucem, atque quod solis fere Hispanis proderat (quippe vix aut non ita saltem commodè asportari ad nos inde poterat) iam tuis vsibus consecratur, vt ipsum euoluere, & terere pro animi tui sententia possis. Immutatus quidem aliquantulum fuit primæuus ille concionum ordo qui in editione prima seruatus erat, verũ ex industria id ita factũ est, & vt tibi gratior atque cõcinna magis eius dispositio videretur. Serena igitur & exporrecta frõte illud accipe: eiusque authori & illi cuius solicitudine typis datum est, benè precare. Vale.

# APPROBATIO.

*NOS subsignati Doctores in alma facultate Theologica Parisiensi fidem facimus vidisse, & legisse conciones, quarum titulus est,* De Cardinalibus & præcipuis Iesu Christi & Sãctorum operibus quæ festis diebus in Ecclesia festiue celebrãtur tomi duo, authore Didaco de Ianguas Sacræ Theologiæ Magistro Hispano ordinis Prædicatorũ, *in quibus nihil Religioni Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ repugnãs & contrarium reperimus, imò dignas vt typis demandentur. Die 6. Octob.* 1604.

F. Coeffeteau Prior Prædicatorum.

F. Petrus Mathieu.

# DE CARDINALIBVS, ET PRÆCIPVIS OPERIBVS IESV CHRISTI.

## *DE ADVENTV CHRISTI Domini secundo, ad Iudicium, Liber primus.*

### CONCIO PRIMA.

*Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis,* LVCÆ 21.

INTER Cætera Christi Domini Cardinalia, & magna opera, nouissimum quidem locum, sed præstantissimum tenet, opus iustitiæ, & iudicij extremi, quo iudicaturus est orbem terræ in æquitate: opus sanè terribile, ac tremendum, opus prodigiis plenum, in cœlo sursum, & in terra deorsum, & signis, atque portentis insolitis formidandum. *Signa faciam* (dicebat Dominus Moysi) *quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iste opus Domini terribile, quod facturus sum.* Exod. 34.
Et per Prophetam ait; *Admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credat, cum narrabitur.* Habac. 1.
Et alibi; *Dabo prodigia in cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis:* vel iuxta Septuaginta, *Et illustris:* Ioël 2.

*Actor.2.* vel, vt dicitur Actorum 2. *Et manifestus.* Quem locum *Tertul.* de die iudicij intelligit Tertullianus, lib. de Resurrectione carnis, cap.22. & lib.4. contra Marcionem, cap. 39. Dies enim ille magnus iudicij Domini *horribilis* erit omnibus, quos in horrorem, & timorem maximum conuertet: erit etiam *illustris*; quia celeberrimus erit vniuerso orbi: erit denique *manifestus*; quia Dominus Iesus manifestè veniet, & videbit eum omnis oculus, neque vllum latere poterit iudex viuorum, & mortuorum.

Hoc autem opus Domini tam terribile, ac tremendum, summa cura, ac diligentia prædicari mundo ab Apostolis, & pastoribus Ecclesiæ, ipse Dominus præ- *Actor.10.* cepit, & voluit, quemadmodum sanctus Petrus in Actis Apostolorum ait; *Præcepit nobis, prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Non solùm *prædicare* dicit, sed etiam, *testificari*, quasi rem cùm primis necessariam ad om- *Gregor.* nium hominum salutem. Rectè dixit Gregorius, Homilia 11. in Euangel. *Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator existit, qui & noua scit proferre de suauitate Regni, & vetusta de terrore supplicij, vt vel pœna terreant, quos præmia non inuitant. Audiat vnusquisque de Regno, quod amat: audiat de supplicio, quod metuat.* Hæc ille. *Vt prædicarem* *Esai 61.* (ait Esaias) *annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro.* Vtrumque ergo prædicare, & euangelizare mittebatur Propheta, & mittebantur Apostoli; retributionem præmiorum iustis, & electis; & suppliciorum reprobis, & iniquis: secundum quòd & ipse *Esai.63.* Dominus per eundem Prophetam dixit; *Dies vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit:* vel, vt alia litera habet; *Annus redemptionis meæ venit.* Quod ad electorum futura in iudicio præmia referri debet, quibus in Euangelio dicitur; *Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redēptio vestra.* Superest igitur nobis, vt qui hactenùs toto huius operis processu prædicauimus annum redemptionis Domini, & vniuersa eius opera, & mysteria exposita dedimus, iam tandem prædicemus diem vltionis eius, quem ipse modò quidem in corde habet. *Dies vltionis in corde meo*: siue quia in cordis proposito habet illum, siue quia in secreto cordis sui

ſeruat (*De die* enim *illa nemo ſcit, niſi ſolus Pater* : )poſteâ verò opere oſtendet,& exibebit, præcedentibus tamen ſignis aduentus eius ad iudicium. *Matth. 13.*

*Erunt ſigna.* Tanquàm verus Dei Filius, cui iudicium omne datum eſt, ſigna, & prodigia, quæ præcedent diem illum vltionis, prædicit : quia de illo ſcriptum eſt; *Signa, & monſtra ſcit, antequam fiant, & euentus temporum, & ſeculorum.* Neque ſolùm ſcit futura, & prædicit, ſed & facit, vt ſint : quod certè diuinitatis eius manifeſtum argumentum eſt. Nam Dij Gentium, qui potiùs Dæmonia, quàm Dij ſunt, hæc ſigna facere in cœlo, & in terra, nullo modo poſſunt, ſecundum quòd Baruc Propheta dicit; *Signa in cœlo Gentibus non oſtendunt : neque vt ſol lucebunt, neque illuminabunt, vt luna.* At Chriſtus Dominus noſter ſigna, quæ nemo alius oſtendere poteſt, ipſe facit in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, vt peccatores deterreat, & ad pœnitentiam conuertat. Et quemadmodum olim, vt Pharaonem, & Ægyptios ad bonos mores reduceret, & timorem Dei illis incuteret, quo à peccatis reſipiſcerent, multa ſigna, & prodigia eis oſtendit de cælo, & terra, ſicut Dauid dicit; *Miſit ſigna, & prodigia in medio tui, AEgypte, in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius.* (Noluit enim eos ad vltimum percutere, & conſumere, antequam ſignis & prodigiis, admoneret, ſi fortè redirent ad cor, & reuerſi ad Dominum non perirent: ) ita etiam ante vltionis diem, ſigna, & prodigia toto mundo oſtendet vniuerſo orbi. *Erunt ſigna.* Signa quidem vltionis, ſed reuera opera pietatis eximiæ, vt vel minis, & terroribus eos ſaluet, & non perdat. *Quo firmi, ac ſtabiles euitemus minas, pœnam minatur* (ait Chryſoſtomus, Homil. 5. de pœnitentia) *& terret verbo, quo minus opere terreat.* Quæ autem futura ſint hæc ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, ſecundum literę ſenſum alij Authores ſatis explicuerunt: ad quos remittimus Lectorem, vt ad ſpirituales, & morales ſenſus ſermonem conuertamus.

*Sapient. 8.* *Baruc. 6.* *Pſal. 134.* *Chryſoſt.*

*In ſole.* Solem, hoc loco, Chriſtum Dominum accipere poſſumus, in throno iudicij ſedentem cum poteſtate magna, & gloria, atque maieſtate : de quo Dauid dixit; *Thronus eius, ſicut ſol.* Quemadmodum enim ſol ſua claritate, & ſplendore, omnia aſtra obſcurat, & *Pſalm. 88.*

August. abſcondit: ita tunc (vt ait Auguſt. ſerm. 130.) tanta erit eminentia ſplendoris in Chriſto, vt etiam clariſſima cœli luminaria, præ fulgore luminis diuini, abſcondantur. Et quemadmodum ſol, incorruptibilis eſt, & peregrinas impreſſiones non patitur; ita etiam Chriſtus Dominus in iudicio illo nulla ratione ab æquitate, & iuſtitia mutari poterit, aut precibus, aut muneribus flecti.

1. Reg. 15. *Porro triumphator in Iſrael non parcet* (ait Samuel) *& pœnitudine non flectetur.* Et Salomon; *Zelus, & furor*

Prou. 6. *viri, non parcet in die vindictæ: nec acquieſcet cuiuſquam precibus. nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Permanebit itaque in iuſtitia ſua iudex ſapientiſſimus, & incorruptus, ſicut ſol, quem nullus poterit aut fallere, aut corrumpere: ſed vnumquemque iudicabit ſecun-

Nyſſenus. dum opera ſua. Meritò proinde Gregor. Nyſſenus, libro de Beatitudinibus, Oratione 5. dicit: *Quemadmodum exactum, perfectumque ſpeculum tales oſtendit vultuum effigies, quales ipſi vultus fuerint. aut lætos, aut triſtes, deformes, vel pulchros, neque ſpeculi naturam aliquis culpare poterit, ita iuſtum Dei iudicium noſtris affectibus aſſimilatur, qualia à nobis cōmiſſa fuerint, tales nobis de ſuo præbens retributiones.* Hęc ex illo. Tales ergo apparebimus in iudicio illo: tremēdo quidem, & luciſſimo, atque in illo ſpeculo ſine macula, quales in hac vita fuerimus: &, vt

1. Cor. 3. Paulus ad Cor. ſcribit, *Vniuſcuiuſque opus, quale ſit, manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit.* Planè vt luciſſimum ſpeculum, corda, & opera hominum manifeſtabit, qualia fuerint: & ſecundū eorum merita vnicuique

Ezech. 10. reddet, aut benedictionē aut maledictionē. Vidit Ezechiel Propheta in viſione ſua *Similitudinem firmamenti, quaſi aſpectū Chryſtalli horribilis: vidit & ſimilitudinē throni ex lapide Saphiro, & ſimilitudinē hominis deſuper.* Ecce mirabilem Chriſti iudicantis viſionem: in qua habes firmamentum; quia firmus, & immobilis erit iudex ille omnium, atque inexorabilis: habes & Cryſtallum luciſſimam; quia velut Chryſtallinum ſpeculum vniuerſa hominum cogitata, & facta, qualia fuerint, oſtendet, cum ingenti hominum pauore, & horrore: habes & thronum illum, ſole pulchriorem, & Saphiro ſplendidiorem; in cuius conſpectu totus orbis aſtabit iudicandus in iuſtitia, & æquitate: habes & Filium homi-

nis, iudicem incorruptum viuorũ, & mortuorũ, sedentem super thronum, vt reddat vnicuique secundũ opera sua. *Parauit in iudicio thronum suum : & ipse iudicabit orbẽ* Psalm.9.
*terræ in æquitate, & populos in iustitia*, ait sanct. Dauid : & Ioannes in visione sua inquit; *Vidi thronum magnum*, Apoc.20.
*& candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum: & vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni : & iudicati sunt secundum opera ipsorum.* Verè magnum thronum vidit, in quo sedebat Dei Filius cum magna gloria, & potestate, & maiestate. Candidum etiam vidit, in quo sic purè, sic candidè, iudicaturus est Dominus, sine dolo, absque errore vllo, aut inordinata affectione. *In veritate educet iudicium*, ait Iob 14.
Esaias. Sed cum candore illo tam terribilis erit aspectus, tam horribilis, vt præ timore eius exterriti omnes fugere videantur, & abscondi velint; non terreni, & peccatores solum, sed etiam iusti, & cœlestes omnes. *Quis mihi tribuat* (ait S. Iob) *vt in inferno protegas me & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Esai.42.
Iustus quidem erat, & cælestis homo, sed positus in visione sua ante thronum magnum, & terribilem iudicis, fugere conabatur, abscondi cupiebat à facie sedentis in throno, & ab ira eius. Quid ergo facient terreni homines & impij, quanto magis cupient abscondi, & fugere à facie formidinis Domini, & furore vultus eius? Sed nemo erit, qui se abscondat, qui effugiat à conspectu throni eius, siue magnus ille sit siue pusillus, dicente Apostolo; *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat* 2. Cor. 5.
*vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

Rectè ergo dicitur, *Thronus eius, sicut sol.* Quemadmodum enim sol vniuersa illuminat, & manifestat, neque est qui se abscondat ab eius luce ( *Sol illuminans per* Eccle.43.
*omnia respexit*, ait Salomon : & Cyrillus, lib. 6. de Adoratione, affirmat, solem à Græcis sapientibus vocari, Cyril.
*Omnia videntem, & audientem*: ) ita etiam Christus Dominus, Sol iustitiæ, sedens in throno claritatis suæ, omnia etiam occultissima nostra videbit, & audiet, manifestabit, & iudicabit: *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, vt Paulus ait. Sed 1. Cor, 4.
aduerte, obsecro, quid adnotauit Ambrosius, sermone Ambros.

16. solem hunc mundi *veterem* appellari à vulgi hominibus: & meritò. *Quoniam sceleribus interest hominum, adulteria non refugit, homicidium non declinat, in cunctis sceleribus stat, vanitati subiacet, corruptionem metuit, iudicium pertimescit. At nouus Sol iustitiæ, Christus Dominus, spiritu suo viuificat mortua, corrupta reparat, calore suo purgat sordida: ipse in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, & non tam condemnat crimina, quàm emendat. Ille sol iudicium metuit, hic iudicium comminatur, ille creatura est, hic Creator.* Hactenus ex Ambrosio. Ille igitur sol mundi, omnia respicit, & videt, sed mala, & delicta neque odio habet, neque damnat: noster verò iustitiæ Sol per omia respicit, omnia nuda, & aperta sunt oculis eius; sed peccata, & iniquitates odio habet, & abomi-

Abacuc. 1. natur. *Mundi sunt oculi tui, Domine, ad iniquitatem respicere non possunt.* Vt videat, respicit; vt approbet, respicere non potest: quasi non respiciens dissimulat, sed statuto à se tempore iudicabit, atque seuerissimè puniet iustitiæ Sol.

*Thronus eius vt sol in conspectu meo.* Eant nunc peccatores, qui in tenebris ambulant, & in nocte offendunt; adulteri, obseruantes caliginem; fures, & latrones, nocte venientes; & ceteri tenebrarum filij: venient dies, cùm stabunt ante tribunal Christi: & tunc reuelabitur eorum ignominia, & confusio, coram omnibus, à lumine solis huius. *Tu fecisti abscondite* (dixit Dominus

2. Reg. 12. ad Dauid, adulterio fœdatum:) *ego autem faciam in conspectu solis huius. Quid enim per conspectum solis* (ait Gre-

Gregor. gor. 34. libr. Moral. cap. 12.) *nisi cognitionem insinuat manifestæ visionis?* E contra verò iusti, & electi, gaudeant: qui in hoc sæculo nequam, cùm filij lucis sint, & filij Dei, absconditi sunt, & abiecti, atque despecti: tunc

Apocal. enim in conspectu solis huius stabunt. *Ante thronum, & in conspectu agni* (vt sanct. Ioannes dicit in Apocalypsi) *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Tunc inter filios Dei honorabuntur, cōputabuntur inter Sanctos: illic erigentur, coronabuntur & laudabuntur à Deo. De

1. Cor. 4. ijs enim dicit Apostolus; *Tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Coloss. 3. Et iterum; *Tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

De hoc igitur iustitiæ Sole dicitur in Euangelio; *Erunt signa in sole.* Quæ sint hæc signa in sole, sanct. Ioā-

nes in Apocalypsi sua exposuit, dicens; *Cùm aperuisset sigillum sextum: sol factus est niger, tãquam saccus cilicinus.* Apoc. 6.
Hæc apertio sigilli sexti ad tempus futuri iudicij refertur à sanctis Patribus multis, & expositoribus huius loci. Nomine verò solis nos, vt præmisimus, Christum Dominum accipiamus: de quo rectè dicitur, eo tempore futurum esse *vt saccum cilicinum.* Primò, quoniã cilicio indui, & operiri, signum doloris, & pœnitudinis est, de re aliqua, quã nos fecisse dolemus, aut nos pœnitet; sic in illa die Christus Dominus, considerata hominum malitia, & ingratitudine magna, simul cũ ingenti peccatorum, & impietatum multitudine; vidẽsque futuram eorum perditionem æternã, tum ex ira aduersus eorum peccata, tum ex cõmiseratione quadam propter ipsorum damnationem iam imminentem, quasi retractans animo, quòd eos creauerit, quòd redemerit, quod ad sui cognitionem traxerit, & pœnitudine ductus, quasi sacco opertus apparebit. Et quemadmodum à principio, tẽporibus Noë, videns quod multa esset hominum malitia, & quod diluuio essent propter peccata sua delendi à facie terræ, dicebat Dominus; *Pœnitet me fecisse hominem, tactus dolore cordis intrinsecus;* sic etiã in fine sæculi, quasi sacco vestitus, ostendet hunc cordis dolorem, hanc pœnitudinẽ animi, quòd hominem fecerit, quem toto orbe propter peccata ingentia deleturus erat. Gen. 6.

Secundò, cilicium significat mortificationem carnis, & peccatorum, vt Orig. dicit, Homil. 13. in Exodum: aut planctum, & pœnitentiam pro peccatis, vt Gregor. ait, lib. 32. Moral. cap. 12. Solem ergo fieri sicut saccum cilicinum, nihil aliud erit, quàm significari hominibus illo tam nouo signo, quòd si iram Dei effugere cupiũt, confugiant ad pœnitentiam, cilicium, mortificationem carnis, & peccatorum, vt euadere possint, & salui fiant. Considera, obsecro, misericordias Domini, patientiam Christi: qui etiam iratus aduersus peccatores impios, misericordiæ recordatur, & per ipsa suæ indignationis signa eos admonet, & docet fugere à vẽtura ira, & pœnis euadere, quas minatur. Neque sol ipse tantùm sese operiet sacco illa die: sed & cœlos similiter operiet, sicut per Esaiam dicit; *In increpatione mea, induam cœlos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum:* Origenes. Gregor. Esai. 50.

siue quia etiam cœli quasi dolentes pœniterent, sese benefecisse impiis, & ingratis hominibus: siue quia ipsi etiam signa illis darent de superioribus suis, vt pœnitentiam agentes euaderent damnationem æternam. Quin etiam duo illi testes nouissimi, Iesu Christi, qui prope aduentum eius ad iudicium præcessuri sunt ipsum, saccis operientur. Sicut sanct. Ioannes in Apoca-

*Apoc.* 11. lypsi ait; *Prophetabunt amicti saccis*: velut quidam cœli ipsius Christi Domini, saccis operientur, prædicantes hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, verbo, & exemplo, & vestitu, signa pœnitentiæ illis *ostendentes*; vt sic placare possint iram Domini, & euadere futuram perditionem, quæ consumptura est reprobos. Et quemadmodum olim Rex Niniue indutus est sacco, & Principes eius, iussitque prædicari ex ore Regis,

*Ionæ.* 3. & Principum eius; *Operiantur saccis homines, & conuertatur vir à via sua mala*. ita etiam, instante aduentu Domini ad iudicium, Rex cœli indutus sacco, & isti Principes, & Prophetæ ipsius, vestiti ciliciis, prædicabunt mundo, iam iam perituro, vt salui fiant. Hoc ipsum in spiritu præuidisse Dauid nobis videtur, quando

*Psal.* 59. dixit Domino; *Commouisti terram, & conturbasti eam*. Ecce terræmotum magnum, de quo in Euangelio, & in Apocalyp. sermo est, qui futurus est inter signa, quæ præcedent aduentum Domini. *Ostendisti populo tuo dura*. Ecce saccos pœnitentiæ, dura signa, & aspera, quæ Dominus ostendet populo suo in sole, in cœlis, in illis duobus testibus, & Prophetis, opertis sacco & cilicio signa quidem iræ, & indignationis, sed piissima documenta, & monita salutis, vt pœnitentiam agentes homines euadant minas iudicis, & misericordiam eius obtineant. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui*. Hoc enim significabunt electis illa dura signa, & aspera, pœnitentiæ, quæ Dominus ostensurus est.

Sed quoniam sicut Pharao, & Ægyptij, non crediderunt signis, quæ ostendit eis Dominus per manum Moysi, & Aaron, sed indurati magis sunt, & perierunt; ita in aduentu Domini ad iudicium reprobi homines, & impij, videntes signa illa in sole, & cœlis, non credent, nec conuertentur, neque pœnitentiam agent: sed

irridebunt potius, & parui pendent, vt D. Thom. dicit in additionibus ad. 3. p. quæst. 73. art. 1. ad. 1. atque obstinati, & rebelles lumini, perseuerabunt in duritia sua: & vt S. Paulus dicit, *Cùm dixerint, pax, & securitas, repentinus eis superueniet interitus.* Ipse enim sol iustitiæ in ardore furoris sui consumet eos, & tradet æternis ignibus exurendos. *Vt faciat opus suum* (ait Esaias) *peregrinum opus eius ab eo.* De die iudicij sermo est, de illo opere Domini tremendo, quo vindictam sumet de hostibus suis: opus quidem suum erit, opus iustitiæ, & iudicij, quod Christo Regi proprium esse voluit Pater: sed peregrinum opus, & alienum ab eo, dicitur, quia incitatus, & irritatus, ab impiis, & peccatoribus: conuertetur misericordiæ opus, sibi proprium, in opus vindictæ, & supplicij maximi; quod alienum à Dei voluntate esset, nisi peccatis hominum ad illud quasi tractus, & coactus fuisset. *Sicut in valle Gabaon irascetur.* Notissima est historia illa Iosue, quando insignem victoriam reportauit de hostibus Gabaonitarum, quos fugientes, & occultantes se in spelunca, comprehenderunt, conculcauerunt, & interemerunt, stante sole in medio cœli, donec vltionem sumeret Iosue de inimicis suis. *Sol ne mouearis* (ait Iosue:) *& stetit sol in medio cæli.* O signa stupenda in sole iustitiæ Christo Domino, quando ipse verus Iesus vindictam sumet terribilem de hostibus suis! Sol ante discurrens per totum orbem, benefaciendo omnibus, iam exortus cum ardore, exurens terram, stabit in illa die: &, qui passim mouebatur misericordia, & visceribus pietatis ad omnes, non mouebitur illa die, sed stabit ad iudicium, & vindictam immotus: tunc Sancti, & Principes Domini, conculcabunt aduersarios eius, præsente Sole iustitiæ, sicut per Prophetam dicitur; *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & calcabitis impios, &c.* Ibi etiam hostes Christi fugient ad montes, abscondent se in speluncis ab ira Domini, sicut S. Ioannes ait; *Reges terræ, & Principes, & fortes, & diuites, absconderunt se in speluncis: & dicent montibus; Abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.*

D. Thom.
1. Thess. 5.
Esai. 28.
Iosue. 10.
Malach. 4.
Apocal. 6.

Notate verba, signate mysteria: *Ab ira agni*, inquiunt. Ecce, iudicem iratum vident, sedentem in thro-

no iudicij, furore plenum: & tamen *Agnum* esse confitentur. Quia enim Dominus noster Iesus Christus, illa die tremenda, terribilis futurus est peccatoribus, & blandus iustis, meritò iratus vt leo dicitur, & mãsuetissimus agnus simul agnoscitur. Audiamus enim, quid cõtinget Sanctis, & electis, in illa die, qua Sol iustitiæ in igne indignationis suæ cõsumpturus est reprobos: pla-
Apocal.7. nè quod ipse Ioannes in eodem loco de ipsis ait; *Non percutiet eos sol: quoniam agnus, qui in medio throni est, reget eos, & ad vitæ fontes aquarum deducet eos.* Non lædet eos Sol iustitiæ, quoniam agnus, qui in throno iudicij est, ira, & furore plenus contra impios, mansuetissimus erit in electos, & dulcis: ipse eos reget, ipse pascet, ipse satiabit bonis omnibus, & deducet ad fontes aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de paradiso Dei, vt comedant, & bibant, & satientur super mẽsam Domini in Regno suo. Ibi, Domine Iesu, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos* (vt S.
Psal.35. Dauid inquit:) *quoniam apud te est fons vitæ.* Tu enim Sanctis tuis eris abundantia omnis, & copia, atque hubertas domus Dei, tu torrens voluptatis, tu fons indeficiens, tu vita ęterna. Qui cũ Patre, & Spiritu sancto, &c.

---

## DE EODEM SECVNDO ADuentu Christi Domini ad iudicium.

### CONCIO II.

*Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis.*

LVC 21.

CONCIONE præcedenti diximus de signis in sole: in hac præsenti dicamus de luna, & signis eius; quæ in sensu spirituali, de quo præcipuè agimus, admiranda etiam sunt. Diem verò iudicij vniuersalis ad lunam pertinere, ex ipsa Scriptura sacra colligi potest. Salo-
Prouerb.7. mon enim de adultera muliere tractans in Prouerbiis, quæ multos blanditiis decipiebat, subdit; *Non est vir in domo sua, abiit via longißima: in die plenæ lunæ reuersurus*
Beda. *est domum suam.* Diem plenę lunæ vocat (vt Beda inquit)

diem iudicij extremi, quãdo Ecclesia complebit numerum electorum suorum, de quibus in Apocalypsi dicitur. *Donec compleatur numerus fratrum vestrorum.* Adhuc enim Ecclesia Dei ad plenilunium suum non peruenit, nondum completæ sunt iniquitates reproborum, & electorũ merita, & numerus eorum, qui pro fide Christi passuri sunt. At in illa die nouissima, plena erit luna: quia consummata erit Ecclesia, tam in ijs, qui perituri sunt, quàm in ijs, qui salui fient: &, (sicut vno verbo, dixit S. Ioannes in Apocalypsi) *Consummabitur mysterium Dei.* *Apocal. 6.* *Apoc 10.*

*Erunt*, ait, *signa in luna* Possumus hic lunam intelligere Beatissimam Virginem Mariam. Primò, quia luna in sacra Scriptura appellari solet *Regina cœli*, vt apud Hieremiam videre est, & Origenes adnotauit, lib. 1. Peri Archon. cap. 17. Quæ est autem Regina cœli, nisi Beatissima hæc Virgo. Angelorum Regina, Regis omnium mater, mundi Domina? *Pulchra vt luna*, vocatur in Cãticis: sed reuera multò pulchrior luna, multò purior, multò splendidior, tenebras nostras illuminat, peccatores ad viam veritatis, & salutis, dirigit, & omnibus omnia beneficia cœlestia confert. *Luna* (ait Ambrosius lib. 4. Hexameron. cap. 7.) Larga roris asseritur: certè, quia illius præcipua causa est. Non aliter Maria cœli, & misericordiæ Regina, roris cœlestis larga mater est: nam ipsa Dei Filium de cœlo in terram, quasi rorem saluificum, attulit: de quo Esaias ait, *Rorate, cœli, desuper, &c.* iustum, & Saluatorem Iesum, roris nomine significans. Præterea etiam sicut luna mater est roris, ita & Maria mater est gratiæ, quæ ros quidam cœlestis est animabus. Quidquid enim gratiæ illis à Deo confertur, totum per Mariam donatur ab eo, qui totum nos habere voluit per Mariam. Cui etiam conuenit, quod per Esaiam dicitur; *Ros lucis, ros tuus.* Vbi Septuaginta legunt; *Ros, qui à te, sanitas.* Gratia enim, quæ per Mariam animabus confertur, lux earum est: sanitas, & medicina est vitæ, & immortalitatis æternæ. *Hier 7. & 44.* *Origen.* *Cant. 6.* *Ambros.* *Esai. 45.* *Esai. 26.*

Hæc quidem Regina cœli, hæc luna perfectissima, & misericordiæ mater, & gratiæ, nunc hominibus lucem suam emittit, roram misericordiarum, & gratiarum non denegat, peccatores adiuuat, pro peccatis

eorum intercedit apud Filium, mediatrix eorum,& adiutrix: at in illa die tremenda, *erunt signa in luna.* Quæ signa erunt, obsecro? Certè, *Luna non dabit lumen suum: luna conuertetur in sanguinem.* O rem prorsus admirationis,& timoris plenam! Maria, misericordiæ mater, Regina gratiæ, quæ pietatis viscera in omnes peccatores gerit; quæ omnium salutem mundo attulit; quæ omnes illuminat; quæ propitiatur miseris; quæ sanitatem infirmitatibus nostris confert; quæ iram Domini à nobis aufert, in illa die tremenda non dabit lumen suum, splendorem abscondet, obscurabitur, & in sanguinem tota conuertetur? Luna (vt Astrologiæ periti docent) quantò magis recedit à sole,& illi se quasi è regione opponit, tantò magis lucet nobis, & beneficia confert: sed quo magis accedit ad solem,& illi est coniuncta, eo magis abscondit lumen suum, & à nobis recedit. Sic Beata Maria Regina cœli, ante iudicij tempus quasi à Filio recedens, à nobis est, & ex parte nostra, orans pro nobis, iram eius auertens à peccatoribus, sua luce splendida eos illustrans, & beneficiis cœlestibus adiuuans: at in illa die formidanda, iam à peccatorum parte recedet,& ad thronum Filij Regis,& iudicis, accedet,& Soli iustitiæ adiuncta erit. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna.* Conuenient enim in vnum aduersus peccatores mundi, Christus sol iustitiæ, & Maria luna perfecta: vt loquantur eis in ira sua,& tanquam vasa terrena confringant eos, & perdant in æternum. Tunc profectò *Luna non dabit lumen suum*: reprobis abscondet lucem, & impiis, vt consumantur,& pereant cum mundo. *A luna initium diei festi* (ait Salomon) *luminare quod minuitur in consummatione.* A B. Maria initium habuit dies festus nostræ redemptionis, dies festus conuersionis, & iustificationis peccatoris: quæ in cœlo,& terra, diē lætitiæ festiuum omnibus agere solent. At in consummatione mundi hæc pulcherrima luna minuetur, abscondet lucem miseris, nec penitus apparebit: quòd si apparuerit in iudicio, *Luna conuertetur in sanguinem* Tota enim conuertetur in iram, atque furorem contra impios, postulans vindictam à Filio, clamans ad eum de solio suo, multò fortius, quàm sanguis Abel. Et quemadmodum olim

Matth. 24.
Ioel 2.
Psal. 88.
Eccle. 43.

Regina Esther (quæ interpretatur *abscondita*, vel *occultata*) petiit à Rege vindictam aduersus impium Aman, & obtinuit; ita Beatissima hæc Regina, & pulcherrima, abscondens splendorem suum ab impiis, in illa die vindictam petet à Rege iustitiæ Christo aduersus mundum, & mundi principem, vt omnino deleatur, & pereat à facie Dei. Audi, obsecro, quid dicat Propheta Domini; *Sol, & Luna, steterunt in habitaculo suo.* Iam neque Sol iustitiæ ad miserendum hominibus amplius mouebitur, sed ad iudicandum in ira stabit: neque beata illa viscera Mariæ Virginis, & piissimæ matris commouebuntur, ad pietatem miseris ostendendam; sed toto corde firmabitur in ira, & non flectetur, stans & ipsa, & videns vindictam malefactorum, manusque purissimas lauans in sanguine eorum: adeò illa luna pulcherrima conuertetur in sanguinem. *Sol ne mouearis contra Gabaon: & luna contra vallem Aialon* (qui *campus* à D. Hieronymo in locis Hebraïcis interpretatur, & pro huius mundi campo accipi potest) contra quem fixus stabit, & non mouebitur Sol iustitiæ, exurens peccatores, & firma stabit Regina cœli, versa in sanguinem, & vltionem, aduersus illos, vt igne, & sanguine pereant, & destruantur. Et, quod non minoris vindictæ aduersus impios erit, omnia beneficia, & misericordias mundo exhibitas, pietates, allegabit iustissima Regina aduersus eum, vt iam tunc misericordia superexaltet iudicium, & pietas ingratis vertatur in maiorem damnationis causam. Dicet enim fortasse ad Filium mater verba illa Hieremiæ; *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis: propterea deduc eos in manus gladij.* Quoties enim disperdidisset peccatores Deus, & de mundo eiecisset in tartarum, si non piissima hæc Regina, misericordiæ mater, peccatorum aduocata, stetisset in conspectu eius, vt loqueretur pro eis bona, & vt auerteret iram eius ab eis? Sed mali homines, obstinati, & proficientes in peiora, hoc efficient, vt in die illa tremenda, non solùm inimica illis sit, sed etiam vniuersa bona eis collata, in damnationem, & iudicium, illis conuerti exposcat: adeò sæuiet in eos ira Domini, & Reginæ Virginis matris eius. Timeamus ergo nunc maximè ab

*Esther. 7.*
*Iosue 10.*
*Hierony.*
*Hiere. 18.*

ira agni,& à facie iræ illius sacratissimæ columbæ, quæ si modo *velle cœperit*, tunc profecto *in felle amaritudinis*, & furore indignationis suæ consumptura est aduersarios suos. Ipsi peribunt,& ipsa permanebit cum sole, & ante lunam,in æternum.

Secundo loco possumus nomine lunæ accipere, & intelligere,sanctam Ecclesiam,quæ militat in terra, vt
*Ambros.* Ambros.intelligit,lib.4. Hexamer.c.8.& Greg. lib.17.
*Gregor.* Moral.c.10.quorum ea ratio est,quia quemadmodum luna non habet à se lucem, ac splendorem, sed à sole; ita sancta Ecclesia non habet à se lucem cognitionis cœlestis,splendorem gratiæ,& sanctitatis, sed à Christo Sole iustitiæ. Vnde Ioannes in Apocalyp.dicit;
*Apoc. 21.* *Claritas Dei illuminabit eam.* Quod Augustinus de Ec-
*August.* clesia militante exponit ibi,Hom.17.& in Canticis di-
*Cantic.6.* citur, *Pulchra vt luna*: quia pulchritudinem quidem habet maximam,non autem à seipsa, sed à Sole iustitiæ Christo, qui est totius splendoris, & pulchritudinis fons, atque principium. *Fulget Ecclesia* (ait Ambros.) *non suo sed Christi lumine, & splendorem sibi accersit de Sole iustitiæ.* Sancta est Ecclesia,formosa est, atque gloriosa:sed non à semetipsa gloriam habet,sed à Christo: de
*Ephes.5.* quo Paulus ait; *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam.* Ipse enim efficit eam gloriosam, & exhibet, qui eam fundauit,dilexit,sanctificauit, vt esset sancta, & immaculata in conspectu eius. Alia etiam ratione sancta Ecclesia lunæ comparari solet à sanctis Patribus: quia queadmodum luna diuersis temporibus patitur mutationes suas,& non permanet in eodem statu:modò plena,modo exigua, modo nulla videtur: crescit,deficit,
*Hieronym.* extenuatur,& tandem non comparet:&,sicut D. Hieronymus adnotauit, lib.18. Commentariorum in Esai. cap.66.ab ea semper orbis parte completur,& fulget, à qua soli vicinior est: sic Ecclesia,pace, & persequutionibus crescit, atque decrescit: & oppressa tẽtationum tenebris,rursus pristinum lumen assumit:persequutionibus minuitur Ecclesia,& confessorum martyriis ampliatur,& coronatur. Aut certè in reprobis,& peccato-
*Eccle.27.* ribus sicut luna mutatur. Scriptum est enim; *Stultus, sicut luna mutatur.* Et quis stultus, nisi qui secundum rectam rationem, & Dei legem, viuere nescit? *Mutaris*

*sicut luna* ( ait Ambrosius, serm. 82. ) *qui paulò ante fidei deuotione fulgebas, & postea fidei infirmitate deficis. Atque vtinam, ô stulta! sicut luna muteris. Illa enim cito ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec sero conuerteris. Luna defectum luminis patietur, tu salutis. Grauior ergo tua, quàm lunæ mutatio est* At in viris iustis, atque perfectis, Ecclesia has mutationes, & defectus non patitur. Vir enim sanctus, constans est, & firmus in virtute: idem ipse est, plenus est, &, sicut in Ecclesiastico dicitur, *Quasi luna plena in diebus suis lucet. Vnus est* (ait Origen. Hom. vnica in lib. Regum ) *& nunquam à semetipso alter efficitur: nunquam mutatur, nunquam in aliud vertitur, imitator Dei de quo Dauid dicit: Tu autem idem ipse es. Immutabilis est Deus, vnus est, non mutatur, sic & imitator Dei iustus, cùm ad perfectum venerit, vnus & idem ipse est, quia cùm in virtutis summa constiterit, semper idem permanet.* Hæc ex illo. *Ambros.* *Eccle. 50.* *Origenes.* *Psal. 101.*

Quæ sint verò signa huius lunæ, nouissimis diebus, cùm venerit ad iudicandum Dominus, videamus. *Luna* (ait Euangelista) *non dabit lumen suum.* Cùm venerit Dominus iudicare terram, vix in Ecclesia lumen fidei inueniet, lucem doctrinæ sanæ, veritatem vitæ, & religionis: omnia pene erunt obscura, & tenebrosa erroribus, & peccatis innumeris; ita sanè, vt lumen Ecclesiæ defecisse videatur, delictis hominum, & impietatibus id exigentibus: plena erit terra illusoribus, pseudoprophetis, qui multos decipient, & in varios errores inducet, vacua verò magistris, qui veraces sint, & viam Dei in veritate doceant, & lumina Ecclesiæ sint: omnia occupabit caligo tenebrarum, abundabit iniquitas, deficiet multorum dilectio, & charitas: & vt sanctus Lucas ait, *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* aut *In nostra terra* (ait Ambrosius, lib. 10. in Lucam) *aut in orbe terrarum?* Rara erit fides tunc: & vitia, & peccata tam copiosa, vt plena videatur iam terra impietatibus, & sit. *Matth. 24* *Luca. 18.* *Ambros.*

Ecce alia signa in hac luna Ecclesiæ, illis miseris diebus. *Luna conuertetur in sanguinem*, vt Propheta dicit: siue, vt Ioan. in Apocalyp. *Tota facta est, sicut sanguis.* Quod ad multitudinem impietatum, & vitiorum, referri potest, quæ illis temporibus erunt in Ecclesia: *Ioel. 2.* *Apoc. 6.*

quando vniuersa malorum genera non solùm abundabunt, sed quasi flumina quædam, aquis repleta, inundabunt sanguinibus impuritatũ, & abominationum; ac si
Osee.4 de illis temporibus dictum sit per Prophetam; *Maledictum, adulterium, homicidium, furtum, & mendacium, inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim*
Gregorius. *sanguinem tangit* (vt Gregor. insinuat, Homil.11.in Ezech.) *cùm peccata peccatis cumulantur, & superueniunt*: quibus anima misere cruentatur: inundare verò dici possunt, quando tota terra plena est sanguinibus vitiorum, quibus homines, quasi diluuio aquarum multarum, demersi pereunt. Hæc autem inundatio malorum, potissimè fiet in illis diebus aduentus Domini ad iudicium.

Chrysost. Diuus Chrysostomus, Homilia 49 Imperfecti, refert ad persequutiones Sanctorum, cædes Martyrum, & effusiones sanguinis eorum: quæ illis diebus abundantissimæ erunt in Ecclesia, quando præualebit Sathanas, & Antichristus, aduersus electos Dei. Complebitur
Psalm.10. enim, quod olim sanctus Dauid prædixit; *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Vbi Augustinus, &
August. Chrysost. Epist. 119. ad Ianuarium c.6. & Chrysostom. in Psalm. 71.legunt; *In obscura luna.* Quæ obscuritas lunæ (per quam sancta Ecclesia designatur) referri potest ad multitudinem iniquitatum, quibus in malis, & perditis hominibus abundabit, & obscurata, atque despecta erit. Aut referri etiam potest ad errores, blasphemias hæreticorum, quibus claritas, & splendor Ecclesiæ obnubilabitur in oculis, & opinione hominum. Aut certè referri potest ad Sanctorum Martyrum cædes, & sanguinis eorum tantam effusionem, vt Ecclesia non solùm cruentam faciem ostendat, sed tota quasi in sanguinem
Psalm.78. conuersa sit. *Effuderunt* (ait S. Dauid) *sanguinem Sanctorum tuorum, tanquam aquam, in circuitu Hierusalem.* Non solùm in Hierusalem effundetur sanguis illorum Sanctorum, qui futuri sunt testes Christi aduersus Antichristum; sed etiam per circuitum, & in tota Ecclesia, maximæ erunt cædes, martyria multa Sanctorum, & sanguinis effusio tanta, ab hæreticis, à Tyrannis, & pec-
Apoc.17. catoribus, vt meritò S. Ioannes in Apocalyp. dicat; *Vidi mulierem*

*mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu.* Hæc signa, hanc faciem ostẽdet mundo hæc luna Ecclesiæ, illis diebus, obscurata luce doctrinæ eius, plena vitiis, & inundata sanguine Sanctorum, qui passuri sunt pro nomine Iesu ab impiis.

Sed nunquid in æternum obliuiscetur malorum istórum Deus? Nunquam ne veniet vltio sanguinis seruorum eius, qui effusus fuerit? Vsquequo Dominus non vindicabit sanguinem eorum de terra? Planè (sicut Moyses in Cantico suo dixit) *Sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum: & propitius erit terræ populi sui.* *Deut.32.*

Meminisse oportet, quid Iesus Naue olim fecerit, *Iosue.6.* cùm accessit ad expugnandam vrbem Iericho, sicut sacra Historia narrat. Iubet, armatum exercitum circuire ciuitatem simul cum arca Domini, & Sacerdotibus, qui buccinis clangerent. Sic factum est sex diebus. Die autem septimo circuierunt septies vrbem: cumque septimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, vociferatus est omnis populus: statimque muri ciuitatis corruerunt: & interfecerunt omnia, quæ in ipsa erant, à viro vsque ad mulierẽ, ab infante vsque ad senem. Aitque ad populum Iosue: *Sola Raab meretrix viuat, cum vniuersis, qui cum ea in domo sunt.* Iericho (teste Origene, Homil.6.in Iosue, & aliis) interpretatur Luna: & *Origenes.* typus est huius mundi, qui, vt luna, mutationes, & defectus mille suscipit. Hunc Deus per omnes mundi ætates non cessauit tubis Prophetarum, & Sacerdotum clangoribus admonere, vt à peccatis resipisceret, & ad Deum conuerteretur, ne periret. *Quasi tuba* (ait per Esaiam) *exalta vocem tuam: annuntia populo meo scelera eorum.* Sed, quia mundus non audiuit eos, noluit obedire *Esa.58.* voci Domini, & ad pœnitentiam conuerti. Veniet postremus dies, nouissimus clangor tubæ ipsius Domini: veniet septimus circuitus arcæ Domini: & tũc corruet mundus, in maligno positus, & peribit, cum suis omnibus, incendio æterno. Tunc profectò (sicut Paulus ait) *1.Thes.4.* *Ipse Dominus in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo*: &, sicut S. Ioannes in Apocalypsi sua dicit, *Apoc.10.* *In diebus septimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium*: tunc corruet mundus, & absumetur

incendio vniuersa eius machina: tunc miseri ciues Iericho, mundi amatores, & sectatores, lunatici omnes, & stulti, gladio Iosue interficientur, à maximo vsque ad minimum: & in maledictionem, & anathema erit mundus, dicente Domino Iesu ad peccatores mundi: *Matth. 25.* *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

*Sola Raab meretrix viuat cum vniuersis, qui in domo eius sunt.* Ecce, quomodo vindictam retribuens in hostes suos Dominus Iesus, propitius est terræ populi sui electi. Raab, *Latitudo* interpretatur (ait *Origenes.* Origenes, Homil. 3. in Iosue.) Quæ est ergo, *Latitudo*, nisi Ecclesia Christi, quæ ex peccatoribus, quasi ex meretricatione, collecta est, & dicit, *Esai 49.* *Angustus est mihi locus: fac mihi spatium, vbi habitem*: Et iterum; *Esai. 54.* *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende?* Ista ergo latitudo est, quæ suscepit exploratores Iesu: hæc, quæ coccinum in fenestra habuit: quia tunc Christum in spiritu prophetico habere meruit illa, non in re. Per fenestras enim olim prospiciebat *Nyssenus.* Iesus, id est, per Prophetas, vt Gregor. Nyssenus adnotauit, Homil. 5. in Cantica: sed modo in lege gratiæ Apostolos Christi, & Euangelistas, & Sanctos habet, & Christum non per fenestras apprehendit, sed re ipsa tenet, & intra domum suam seruat. Huius Raab memor erit in iudicio, quando mundi peccatores destruet, & ciuitatem illorum succendet. *Psalm. 86.* *Memor ero Raab*, ait per os Dauid. Quod ad diem iudicij refert *Hieronym.* Hieronymus ibi. Memor erit, & dicet: *Sola Raab viuat*: quia sola electorum Ecclesia viuet illa die: sola illa, salua erit, pereunte toto mundo cum impiis: quoniam extra domum sanctæ Ecclesiæ, nec vita esse poterit, nec salus, sed mors, & perditio æterna: sicut neque extra domum Raab saluus quisquam esse potuit. *Quo* *Cyprianus.* *sacramento* (ait Cyprianus, epist. 76. ad Magnum) *declaratur in vnam domum solam, id est, Ecclesiam, victuros, & ab interitu mundi euasuros, colligi oportere. Foris canes* (ait *Apoc. 22.* S. Ioannes) *impudici, homicidæ, idolis seruientes, & omnis, qui amat mendacium.* Ij enim non habebunt partem in Regno Christi, & Dei: sed cum reprobis, & maledictis, peribunt æterna morte. Electi verò, atque dilecti Ecclesiæ filij, atque domestici eius, viuent, salutem obti-

cebunt, & benedictionem à Domino: & cum ipsa sancta Ecclesia primitiuorum, in terram viuentium, & promissionis æternæ, assumentur in illam latitudinem cœlestis Hierusalem: de qua in Apocalypsi habes: *Longitudo, & altitudo, & latitudo eius, æqualia sunt.* Iam tunc profectò luna sanctæ Ecclesiæ, plena, & perfecta erit in diebus æternitatis, non mutabitur, non deficiet: &, sicut in Esaia dicitur, *Luna tua non minuetur.* Nullas enim habebit vicissitudines sancta Ecclesia, sed vna erit, plena erit, atque perfecta, sicut etiam Dauid dicit: *Luna perfecta in æternum.* Quod Gregor. lib. 13. Moral. cap. 9. refert ad perpetuam perfectionem, in qua mansura est in cœlo. Plena erit ipsa, pleni & electi eius: quoniam sic Deus omnia in omnibus adimplebit, vt & illa in quo crescat non habeat, & ipsi impleantur in omnem plenitudinem Dei: quem videbunt facie ad faciem, quem amabunt toto corde, in quo requiescent pace, & securitate perfecta, à quo accipient plenam mercedem laborum, & perfectam coronam immortalitatis, & gloriæ, præstante Domino nostro Iesu Christo, iusto iudice, qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat, &c.

Apoc. 21.
Esai. 60.
Psalm. 88.
Gregor.

## DE EODEM ADVENTV SECVNDO Christi Domini, ad iudicium,

### CONCIO III.

*Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis.*
LVC 21.

IN Regno Dei non omnes beati æquales sunt gloria, sicut neque in cœlo omnia luminaria æqualem dignitatem, & splendorem habent: sed (vt Apostolus in 1. ad Corinth. dicit) *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.* Solis claritas Christo competit, qui est Sol iustitiæ, à quo omnia cœli lumina velut à fonte summo lucem, ac splendorem habent. Lunæ claritas Beatissimæ Virgini conuenit, quæ

1. Cor. 15.

Regina cæli est, secunda à Christo, & post ipsum maior omnibus luce claritatis existit. Claritas verò stellarum cæteris beatis tribui solet: in quibus etiam gradus diuersi splendoris sunt: quoniam *Stella differt à stella in claritate*, vt idem Apostolus dicit: & talis est gloria in omnibus Sanctis, qui in cœlo sunt. Hactenus de Christo Sole iustitiæ dictum est à nobis, & de Maria luna perfecta: restat, vt de Sanctis, qui tanquam stellæ cœli, in iudicio apparebunt, in hac Concione dicamus. Et quamuis aliquando ipse Christus Dominus in sacra Scriptura stella dici soleat, vt in Apocalypsi, *Stella splendida, & matutina* (sic enim ipse seipsum vocat: & rationem assignat Gregorius 29. Moral. cap. 17.): Sacratissima etiam Maria stella appelletur, dicente Scriptura, *Orietur stella ex Iacob* (Quod de Beata Virgine exponit deuotissimè D. Bernard. serm. 2 super Missus est, circa finem:) frequentius tamen stellarum nomine reliquos Sanctos, & beatos cœli ciues intelligimus: de quibus instituendus est modo noster sermo.

*Apoc. 22.* *Gregor.* *Num. 24.* *Bernard.*

Dicuntur verò Sancti stellæ, in Ecclesia. Primò, quoniam Sancti sunt decor, & ornamentum Ecclesiæ: sicut stellæ sunt, quæ ornant cœlum, dicente Salomone: *Species cæli, gloria stellarum.* D. Ambros. lib. 2. Hexameron, capit. 4. dicit cœlum vocari, quia impressa stellarum lumina, velut signa, habeat, tanquam *cælatum*: & lib. 4. cap. 2. ait: *Per stellarum fulgorem cælum velut quibusdam floribus coronatum, ignitis luminaribus micat: vt paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum viuis monilibus renitere.* Sic profectò sancta Ecclesia, quasi cœlum spirituale, sanctis viris, & electis, cælata est, & depicta: ipsi sunt pulchritudo, & species, eius, illis ornata est tanquam viuis floribus rosarum ipsis tanquam lucidissimis lapidibus, & pretiosis, coronata, vt in Apocalyp. dicitur: *In capite eius corona stellarum duodecim.* Et sicut peccatores efficiunt Ecclesiam velut nigram, atque deformem: ita iusti, & Sancti, pulcherrimam illam reddunt, & decoram, & ornatam omni lapide pretioso.

*Eccle. 43.* *Ambros.* *Apoc. 12.*

Aut secundò, Sancti in Ecclesia comparantur stellis (teste D. Gregorio, lib. 4. Moral. capit. 14. & lib. 32. capit. 12.) quia, *Sicut cælum, in nocte vitæ præsentis, dum in*

*Gregor.*

*se innumeras Sanctorum virtutes continet; quasi radiantibus desuper syderibus fulget.* Fulgent profectò mirabiliter in Ecclesia Dei viri sancti, inter tenebras præsentis vitæ, quæ tota tenebris, & caligine plena est. Fulgent inter malos, & inter obscura vitiorum: de quibus dicebat Apostolus: *In medio nationis prauæ, atque peruersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* [Philip. 2.] Lucent doctrina sana, operibus, & exemplis splendent, miraculis coruscant plurimis: nec impiorum tenebris, aut vitiorum nebula obscurari possunt. Talis erat ille, de quo per Salomonem dicitur: *Quasi stella matutina in medio nebulæ, sic ille refulsit in templo Dei.* [Eccle. 50.] Diuus Bernardus, sermo. 27. in Cant. existimat, viros sanctos in Ecclesia idcirco stellis comparari: [Bernard.] quoniam sicut illæ nocte quidem apparent, die verò latent: ita & ipsi in die prosperitatis se occultant, virtutes suas abscondunt, ne, dum eas ostentant mundo, prorsus amittant. Qua ratione Dauid dicebat: *Ab altitudine diei timebo.* [Psalm. 55.] Multorum enim virtutes, multa luce prosperitatis, & vanis hominum fauoribus, perierunt. Quapropter (vt Gregorius ait, libro 5. Moral. cap. 1. [Gregor.] *Sancti viri, cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauida suspicione turbantur.* Imo verò neque sola huius mundi prospera, ipsos mundi amatores, & interdum iustos viros: sed incautos, & imprudentes, deiicere solent, ac perdere: de quibus Salomon ait: [Prouerb. 1.] *Prosperitas stultorum perdet illos.* Sed pluries etiam, *Spirituales prosperitates* (vt Bernardus docet, sermo. 2. in [Bernard.] Ramis palmarum) *indoctum spiritualem occidere possunt.* Non ergo solæ terrenæ prosperitates, si abundent, formidandæ sunt, tanquam laquei, & tentamenta sæculi huius: sed etiam cœlestium, & spiritualium bonorum abundantia, viros iustos, & sapientes, pauidos, atque cautos requirit: sicut de S. Iob legimus, qui dicebat: [Iob. 31.] *Si vidi solem, cum fulgeret, & lætatum est in abscondito cor meum.* Solis multam lucem formidabat, ne fortè cœlestium, & spiritualium bonorum abundantia elatus, excæcaretur potius sua culpa, quàm Dei gratia illuminaretur: & cum Dauid ab altitudine diei timebat. Sed aduersitatis tempore, & noctis, viri sancti, quasi stellæ cœli apparent, & lucent, vt

pro fide, religione, pro virtute stent in magna constantia aduersus inimicos Christi, & Ecclesiæ: non, ad tempus credentes, & in tempore tentationis recedentes, vt filij huius sæculi solent: sed potius tentationibus insurgentibus, tunc ipsi exurgunt, prodeunt, stant inuicti, fortes in fide, firmi in dilectione, radiantes luce doctrinæ, & splendore virtutum radiantes, verbo, & exemplo testimonium reddentes veritati Dei. Considera Ioannem Baptistam, splendidissimam stellam, singularissimum luciferum huius cœli, quod est Ecclesia, tempore prosperitatis, & altitudinis diei, sese occultantem, & abscondentem, *Elias es tu? Non sum. Propheta es tu? Non.* Nolebat in die apparere: & cum Hieremia dicebat: *Diem hominis non desideraui. Sic enim optat sapiens*, & *loquitur*, vt D. Bernardus. ait serm. decimo septimo in Psal. 90. Considera illum è contra, tempore necessitatis, testimonium perhibentem de lumine, digito Christum demonstrantem, & illuminantem hominum mentes, noctis tenebris obscuratas. Aduersitatis etiam tempore vide illum vitia corripientem, arguentem Reges, & maiores populi, vsque ad vincula, & carceres. O planè beatissimum luciferum, qui idcirco apparuit mundo, vt aduenientem è vicino Solem iustitiæ ostenderet: cuius aduentu ipse obscurandus erat, sicut & ipse testatus est de seipso: *Me oportet minui, illum autem crescere. Præcessit solem* (ait Bernardus, sermone sancti Ioannis) *tanquam sydus matutinum abscondi necesse est, orto iam sole.* Et Tertullianus, libro de Oratione, capite. 1. ait, *Omnia Ioannis Christo præstruebantur, donec ipso aucto, totum præministri opus, cum ipso spiritu, transiret ad Dominum.*

*Ioan. 1.*

*Hierem. 17.*

*Bernardus.*

*Ioan. 3.*

*Bernardus.*

*Tertul.*

Deniquè, alia ratione possunt sancti viri stellis comparari. Stellæ enim, vt Diui Thomæ vera sententia est. 1. p. quæst. 70. articulo 1. ad. 3. in sua sphæra cœlesti fixæ sunt, neque habent proprium motum, sed mouentur ad motum ipsius sphæræ, in qua sunt. Sic planè viri sancti, quamuis in terra sint

*D. Thom.*

corpore, corde tamen, & conuersatione, in cœlo fixi sunt. Vnde & Paulus de iis scribit, *Nostra conuersatio in cælis est*: quod mirabiliter prosequitur, & fuse, Chrysostomus, Homilia decima sexta in Epistol. ad Hebræos. Vnde fit, vt propriæ voluntatis suæ motum non habeant, sed in omnibus, Dei voluntate, & arbitrio agantur, & moueantur: sicut Propheta dicebat, *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus: & luxeruit cum iucunditate ei, qui fecit illas.* Abraham vocatus est à Domino, vt immolaret vnigenitum filium; & statim respondit, *Adsum.* Dauid, in extrema tribulatione, & persequutione positus, dicebat, *Si dixerit mihi Dominus, Non places, præsto sum.* Et in Psalmo inquit Domino. *In voluntate tua deduxisti me.* Sic & cæteri Sancti, in Deo fixi sunt, in ipso viuunt, atque ad eius nutum in omnibus mouentur: de quibus dicitur a Paulo in Actis Apostolorum, *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Et ipse Paulus, Christo confixus, in ipso erat, in eo viuebat: & ab ipso in omnibus mouebatur, & ducebatur, a nullo separandus, ab eius charitate, in qua radicatus, & firmatus, atque fixus, quasi stella splendida in altissimo firmamento erat.

Philip. 3. Chrysost. Baruc. 3. Genes. 22. 2. Reg. 15. Psal. 72. Actor. 17.

Mali homines, & huius mundi amatores, in terra scripti sunt, in terra defixi quemadmodum Dauid sanctus, personã peccatoris assumens dicebat? *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Quæ enim substãtia esse potest recedenti à Deo, adhærenti mundo, defixo in terra, & cœli Dominum non habenti, apud quem omnis nostra substantia est? Quæ mundiria, aut quæ gloria, quod refrigerium erit iacenti in luto fœcis, in cœno vitiorum, in sordibus omnium voluptatum, & miseriarum? *Visitabo*, ait Dominus per Prophetam, *super viros defixos in fæcibus suis.*

Psal. 68. Sophoniæ. 1

Visitabit profectò in die iudicij, & visitationis, qua visitabit super orbis mala super viros, qui non sunt in cœlo fixi, sed in terræ sordibus defixi: vt disperdat de terra memoriã eorum: & perdet eos in æter-

num. Visitabit super eos qui Dei voluntatem contemnunt,& in mundi voluptate & Sathanæ voluntate defixi sunt, à quo quasi mancipia reguntur: &, vt Pauli verbis vtar. *A quo captus tenentur ad ipsius voluntatem.* Nam, vt Chrysostomus dicit, Homil. 37. *Imperfecti, sicut nauis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, quo tempestas voluerit: sic homo, diuina gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit non quod vult, sed quod Diabolus vult.* Sicut enim sancti viri, & in Dei amore confirmati, & constantes, nesciunt aliud facere, quàm quod Deus vult, ac præcipit, dicente Dauid voce Sanctorum, *Vt faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui:* ita etiam illi, qui peccatis sunt dediti, & in malis obstinati, omnia ferè agunt, quæ Diabolus suggerit, & quæ vult: &, sicut Sancti spiritu Dei aguuntur, ita ipsi spiritu malo agitantur, & impelluntur ad impietates, & peccata. Vnde & de quodam obstinato, & iam Sathanæ voluntati tradito, dicebat Dauid *Dixit enim in corde suo, Non mouebor a generatione in generationem sine malo. Malum* intellige hoc loco, Diabolum, de quo in oratione Dominica orantes petimus, *Libera nos a malo*: id est, à Diabolo, vt Augustinus sentit serm. 28. de Verbis Domini, Hieronymus lib. 2 in Esaiam, cap. 5. Gregor. Nyssenus, tractatu de oratione Dominica, oratione 5. Et congruit sanè. Nam in parabola seminantis. Lucas dicit, *Venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum:* & Matthæus ait, *Venit malus et tollit, &c.* Dicit ergo impius, & firmatus in peccatis, *Non mouebor sine malo:* quia iam ad nulla ferè opera mouetur, nisi Diabolo mouente, & ducente eum, quò vult, sicut viri sancti non mouentur, ad bona opera sine Deo, & quò Deus vult. Propterea rogabat Dominum sanctus Dauid, *Manus peccatoris non moueat me.* Peccator iste, Diabolus est, primus peccator & qui ab initio peccat, nec peccare cessat, & miseros homines ad peccandum inducere: quos, quasi paruulos insipientes, atque imbecilles, ad mala, quæ vult, manuducit, & trahit. Huius ergo *peccatoris manus*, ait Dauid, *non moueat me* ad iniquitates & peccata: sicut obstinatos in peccato

2. Timot. 2
Chrysost.
Psal. 39.
Psal. 9.
August.
Hieronym.
Nyssenus.
Luc. 8.
Matth. 13.
Psal. 35.

mouere solet suo arbitrio: *Quia ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Matth. 24.

Ecce vobis signa, quæ futura sunt in stellis. *Stellæ cadent de cælo.* Stellarum nomine hoc loco intelligere possumus, hypocritas: qui nomen Christianorum habent, fidem, & religionem exterius profitentur & tenent, & bona, quæ agunt, ad percipiendas laudes, hominibus ostendunt: foris nocte lucent, quia ignorantibus, & simplicibus, sanctitatis, & doctrinæ lucem ostentant. Hi cadent de cœlo, vt Gregor. exponit, lib. 4. Moral. cap 14., quia in extrema Antichristi persequutione, qui videbantur lucere, rapientur. Vnde in Apocalypsi Ioannis dicitur, *Misit draco caudam, & traxit tertiam partem stellarum.* Stellas namque in terram trahere, est, eos, qui videbantur studio vitæ cœlestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris inuoluere. Aut certè, stellarum nomine accipere possumus, eos, qui reuera studiosi, & iusti erunt, illis miseris temporibus: sed occulto, & iusto Dei iudicio, cadent à statu iustitiæ in reprobum sensum, & statum damnationis: de quibus per Prophetam dicitur, *Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas:* quia, vt Greg. docet, lib. 30. Moral. cap. 12., *non nullos, & luce iustitiâ resplendentes, & virtute operis robustos, Antichristus franget.* Nulla est in præsenti vita securitas. Gregorius. Apoc. 12. Daniel. 8. Gregorius.

Si stellæ de cœlo cadent, quæ fixæ videbantur, quantum timere debent terreni homines, & qui terrenum habent firmamentum: si iusti, si sapientes, & qui luce doctrinę suę cęteros illuminabant, casuri sunt? *Et de eruditis ruent*, ait Daniel, *Qui enim alijs fuerunt lux* (ait Origenes, tract. 30. in Matth.) *trahentur ad vitia, cadent, & peribunt*, Lucifer de cœlo cecidit, qui aliorum erat princeps Angelorum, & cum eo multi corruerunt: sic multi in cœlo Ecclesiæ, aliorum duces, & lumina, corruent, tentationum, & persequutionum tempestate deiecti, ac deuicti: quia non erunt ex scriptis in libro vitę. Vnde Apocal. 6. dicitur, *Cadent, si-* Daniel. 11. Origenes. Apoc. 9.

*vt ficus emittit grossos suos, quando à vento magno mouentur.* Fructus teneri, & nondum maturi, sunt isti, ideò ventorum vi facilè mouentur, & cadunt, nec ad maturitatem retributionis ęternę perueniunt. Ideò audiamus consilium Pauli, qui ad Corinthios scribit: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Primus Angelorum de cœlo cecidit, & in veritate non stetit: primus homo è paradiso excidit: & multi iustorum corruerunt: & vt verbis vtar sancti Iob, *Qui seruiunt Deo, non sunt stabiles.* Caueamus ergo incautam securitatem, quę plurimos perdidit: & in charitate, quę non excidit, simus radicati, & firmati, quasi stellę in firmamento nostro, quod est Christus Dominus, vt in illo stemus, & per eum saluemur.

1. Cor. 10.

Iob 4.

Esai. 13.

Ioel. 2.

Alijs verbis manifestant hæc signa sancti Prophetę. Esaias enim dicit, *Stellæ non expandent lumen suum.* Et Propheta Ioel: *Stellæ retraxerunt lumen suum.* Lux Sanctorum, est auxilium, quo nos adiuuant, doctrina sua, exemplisque omni luce solari splendidioribus, orationibus, atque consilijs, quibus lucent ijs, qui in Ecclesiæ domo sunt: quæ sine hac luce Christi, & Sanctorum in noctis obscuritate, ac tenebris, tota versaretur. Ideo de illis apud Dan dicitur, *Qui ad iustitiā erudiunt multos, quasi stellæ, &c.* Modo quidē quasi stellæ firmamenti illuminant noctem nostrā, erudiunt nos doctrinæ suę luce ducūt nos, illuminant verbis, & exemplis, adiuuāt, protegunt, & magna de cœlo cōferre beneficia non cessant. At in illa die tremenda, qua Sol iustitiæ Christus Dominus apparuerit, vt iudicet terram in ira sua, tunc stellæ cœli retrahent lumen suum, & non expandent ad terrenum populum, & incredulum: non apparebunt stellæ firmamenti, vt illuminent peccatores, vt adiuuent, vt intercedant pro eis. Iam non erit inuocare Sanctos, vt sua intercessione eos liberent, & abscondant ab ira iudicis venientis, vt iudicet, & disperdat impios à terra. Quin potius ipsi Sancti omnes cum Christo iudice egredientur, exercitus magnus valde, & fortis, vt vindictam sumant de hostibus eius. Tunc *Dominus irridebit eos: tunc loquetur ad eos in ira sua*, vt S. Dauid inquit. Sic & ipsi Sancti irridebunt eos cumDo-

Daniel. 19.

Psal. 2.

mino,& dicent, *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Iudex subsannabit eos, & confringet, atque in eorum interitu ridebit: similiter & omnes Sancti eius cum eo, irridebunt illos, & cum viderint vindictam, lętabuntur, & dicent: Vbi nam sunt Idola vestra, quæ coluistis, recedentes à Deo viuo, & vero? Vbi mundus est? vbi caro? vbi diuitiæ, atque delitiæ? Quid vobis profuit superbia, & fastus, atque diuitiarum iactantia? Veniant nunc, surgant, & opem vobis ferant in hac summa miseria vestra, in hac plusquam extrema necessitate succurrant vobis. Neque irridebunt solum eos Sancti, sed armati ad pugnam, & vindictam cum Christo aduersus impios stabunt Sanctorum copiæ innumerabiles, & acclamantes Christo victoriam, atque iustitiam, induti non iam viscera misericordiæ, sed arma iustitiæ, vt à dextris, & à sinistris, percutiant plaga magna, & insanabili, peccatores impios, & hostes suos. Deut. 32.

Considera Apostolos Christi, sanctos Martyres, qui pro Christo passi sunt tormenta, & vincula, & carceres atque acerbissimas cædes: & videbis eos tunc, aduersus persequutores suos cum ira magna, & simul cum gloria procedentes ad prælium magnū aduersus illos, vt in æternum destruant inimicos suos, & vltores. *Tunc stabunt iusti in magna constantia* (ait Salomon) *aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.* Attende, quæso, reconditum sensum huius loci. Tunc, ait, in illa tremenda die iræ, calamitatis, & miseriæ, quę vt fulgur adueniet, & repentina impijs, *stabunt iusti*, iam non misericordes, sed iusti, cum iusto iudice: & qui, antea iacebant ad pedes iniquorum prostrati, abiecti, imbecilles, & infirmi, tunc *stabunt in magna constantia.* Vel, *stabunt iusti* (secundum August. lib. 2. contra Gaudentiū, cap. 27. & 29.) quia non omnes, qui passi sunt, stabunt in illa die: sed qui passi sunt pro Christo pro iustitia viri sancti, filij Dei, hi *stabunt aduersus eos qui se angustiauerunt.* Rectissime dicit, *Qui se angustiauerunt.* Nam cùm Tyrāni, & mali, bonos cruciant tormētis, aut persequutionibus non eos angustiant sed seipsos potius: seipsos affligunt, & mire cruciant, & torquent siue Nerones illi fuerint, siue Daciani, siue quicunque alij iudices impij, & tortores Martyrum, ipsi

Sapient. 5.

August.

2.*Cor*. 4. ſe ipſos anguſtiabant, affligebant, cum Sanctos perſequerentur: qui in tribulationibus dilatabantur potius, ridebant, atque gaudebant, & cum Paulo dicebant: *In omnibus pressuram patimur, sed non angustiamur*. Conſidera Andream in cruce, Laurentium in craticula, Vincentium in equuleo; & ſtatim perſpicies, quam læto corde, & dilatato, quam ſine anguſtia, tormenta ſuſtinebant, mortem aſpiciebant, ipſis tortoribus deficientibus, Tyrannis anguſtia maxima laborantibus, & tormento, dum Sanctos, quos perſequuntur, liberos à laboribus vident. *Et qui abſtulerunt labores eorum* Non

*Luc*. 12. ait, *intulerunt labores*, ſed *abſtulerunt*. Animaduerte ſanctos amatores Chriſti, & videbis eos tunc maxime la-

*Philip*. 1. borare, & pati quando pro ipſo non laborant, non patiuntur. Chriſtus Dominus coarctabatur, vſque dum

*Ambroſ*. baptiſmo ſanguinis pro ſalute mundi baptizaretur in morte: Paulus coarctabatur, deſiderium habens diſſolui, & mori pro Chriſto: Petrum vocat Ambr. libr. 2. de Vocatione gentium, cap 9. *Virum martyrij auidiſſimum*: Beatus Dominicus ſitiebat martyrium, ſicut ſitit ceruus ad fontem aquæ frigidæ. Iſti ſunt labores potiſſimi, iſtæ anguſtiæ: ab his liberantur, quando patiuntur pro Chriſto perſequutiones, tribulationes, tormenta, & mortes: atque adeo perſequutores eorum non inferunt illis labores, ſed auferunt: quia ab hoc ingenti labore, & anguſtia (vt dixi) liberantur, dum in manus Tyrannorum, aut perſequutorum incidunt: quorum flagella, & tormenta, ideo gaudentes, & læti ſuſcipiunt, quia illis ardorem patiendi, & ſitim, quibus ſumme torquebantur in corde, dum corpore patiuntur, extinguunt, & auferunt ſumma cum alacritate. Aut certe *Abſtulerunt labores eorum*. quia labores, & paſſiones Sanctorum, in hac mortali carne, & præſenti vita ſunt, dicente Dauid: *Humiliaſti nos in loco afflictionis*. Locus afflictionis eſt, aut ca-

*Pſal*. 43. ro iſta mortalis, & corruptibilis, quam geſtamus iuxta Ambroſ. aut vita hæc præſens, iuxta Greg. lib. 26. Moral. cap. 21. In hoc ergo loco afflictionis, Tyranni, &

*Ambroſ*. *Greg*. perſequutores, humiliant Sanctos, laboribus conſumunt, & morte eos afficiunt: ſed, ſi bene attendas, nihil aliud efficiunt, quam auferre labores eorum. *Beati*

*mortui, qui in Domino moriuntur, Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Dum occiduntur beata morte, qua dormiunt, & requiescunt, profectò à laboribus huius vitæ requiescunt, vt iam nullus sit eis labor, nullus dolor, sed, fine laborum in morte adepto, in pace, in requie sunt, & in gloria: in qua apparebunt cum Christo summo iudice, vt vindictam sumant de hostibus. *Apoc. 14.*

Ecce igitur fulgentissimas stellas, quę a Tyrannis humiliatæ sunt, quæ timore persequutionis cadent de cœlo, cadent per mortem, dum lucent mundo prædicantes Christum (Hoc enim est stellas cadere de cœlo, secundum Chrysostomum, Homil.49 Imperfecti): has videbunt impij in illa die: & *Videntes, turbabuntur timore horribili*, stellas fulgentissimas, prodeuntes cum Christo Sole iustitiæ, vt radijs suis, quasi sagittis, & lanceis fulgurantibus, obstupescere faciant gentes, & transfigant corda impiorum, atque æterna morte perire faciant, & omnino deleant. *Stellæ manentes in ordine suo* (canebat Debora) *aduersus Sisaram pugnauerunt.* Si sara iste, aduersarius populi Dei, mundus est cum sectatoribus suis, aduersus quos de cœlo dimicabitur in illa terribili die: & Sancti, qui quasi stellæ, sunt species, & pulchritudo cœli, pugnabunt aduersus eos, *manentes in ordine suo.* Tunc enim erit Ecclesia Sanctorum, sicut in Canticis dicitur, *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Summo ordine procedent agmina Sanctorum de albatorum, castra Dei: terribiles mundo tunc erunt amici Dei, inexpugnabilesque expugnabunt omnia castra alienigenorum, & impiorum multitudinem ad nihilum redigent. Bene de stellis Salomon dixit: *In verbis sanctis stabunt ad iudicium, & non deficient in vigilys suis.* Stabunt enim Sancti cum Christo, tunc stellis fulgentiores, ad iudicandos, & condemnandos impios, in verbis sanctis acclamantes Christo ipsi gloriam, atque victoriam triumphatori: & non deficient ab eius laudibus, & impiorum cædibus, stantes firmi, & fortes in custodijs suis. Aut certe *Manentes in ordine suo* dicuntur illæ fulgentissimæ stellæ pugnare contra insensatos, & peccatores: quia non recedentes ab interiore sua quiete, & tranquillitate, & pace, exterius iram furoris sui

*Chrysost.* *Iudic. 5.* *Cant. 6.* *Eccle. 43.*

ostendent, exercebuntque contra reprobos, vt eos de mundo perire faciant à facie Christi Domini. Sicut enim ipse Dominus iustus iudex, stans in suo ordine tranquillus, & pacatus in se ipso, in ira sua corripiet, & damnabit aduersarios (*Irasceris, & tranquillus es*, ait Do-
August. mino Augustin. libr. 1. Confess. cap. 4. Et Salomon inquit, *In tranquillitate iudicas. Districtum iudicium in-*
Sapien. 12. *concussus exerit*, ait Gregor. libr. 32. Moral. cap. 7. *qui permanens mansuetus iniustos punit, &c.*): ita etiam Sancti non recedentes à sua tranquillitate, & suauitate
Gregor. animi, vehementer contra impios desæuient, & in ira sua punient. Vnde per Dauid Prophetam dicitur de il-
Psal. 149. lis, *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, &c.* Exultationes Dei vocat, illa acclamationis verba, quibus victori, & triumphatori Christo laudes dicent victoriam acclamabunt: aut exultationes, quibus exultabunt Sancti in gloria sua, & beatitudine, nihil amittentes de gaudio, tranquillitate, & pace beatifica animarum: simul autem habentes gladios ancipites in manibus, quibus à dextris, & à sinistris, impios feriant. Iudex habebit *In ore suo gladium, ex vtraque parte acutum*,
Apocal. 1. vt Ioannes vidit in Apocalypsi, quo interficiat impium & Sancti eius in manibus habebunt ancipites gladios, vt cum ipso iudice vindictam faciant in omnes nationes, neque parcant Regibus, aut nobilibus, aut Tyrannis, aut potentibus, aut diuitibus: sed in omnibus exerceant terribile iudicium, donec eos tradant in profundum tartari cruciandos, sicque fiat, vt impij descendant in supplicium æternum, Sancti vero ascendant in vitam æternam cum Christo Domino. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## DE EODEM ADVENTV SECVNDO Christi Domini, ad iudicium.

### CONCIO IIII.

*Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate.*
LVCÆ. 21.

Terribilis quædam expectatio iudicij est (si Diuo Paulo credimus) *& ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Terribilis, inquam, valde, atque omni ex parte formidanda: vbi nihil videre licebit, quod non ad maximum tremorē, & horrorem, vniuersos inducat. tam peccatores homines, quā sanctos, vt Greg. Nyssen. docet egregie, Orat. 2. in illud Gen. 1. *Faciamus hominem, &c.* Erit enim iudex terribilis, ira plenus, Angeli, & cœli, terribiles; elementa formidanda, terra commota, atque conturbata, terribilis tuba Dei, & omnis creatura armata aduersus impios, ita vt nemo sit, qui non vehementer timeat à facie formidinis Domini. *Tu terribilis es*, aiebat S. Dauid, *& quis resistet tibi? Ex tunc ira tua. De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit, cum exurgeret in iudicio Deus.* Nec mirū quod terra cōmoueatur, & tremat, in die illa tremenda, in qua etiam virtutes cœlorum mouebuntur, fortis, & robustus quisq; formidabit. *Vox diei Domini amara*, inquit, *tribulabitur ibi fortis.* Abraham fidelis, & iustus erat in cōspectu Domini, & amicus Dei vocatus, quo nullus fortior, sua tempestate, in fide, & spe, atque dilectione Dei: sed in meditatione diei huius vehementer expauit, & cōturbatus est: timor, ac tremor, irruerunt super illum, offerentem Domino sacrificium vespertinum. Ait enim Scriptura sacra, *Cum sol occumberet, sopor irruit super Abrahā, & horror magnus, atque tenebrosus, inuasit eum, &c.* Diuus Augustin. serm. 54. de tempore, & in Psalmo 103. Concione. 3. refert ad diem iudicij & quod statim subditur; *Apparuit clibanus ardens*

Heb. 10.
Nyssen.
Psal. 75.
Sophon. 1.
Genes. 15.
August.

*& fumans, & lampas ardens, transiens inter diuisiones istas.* Clibanus (ait Augustin.) ardēs, & fumans, significat diem iudicij: in quo erit fletus, & stridor dentium in quo erit vlulatus, & lamentatio, & tarda pœnitentia: quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vsque ad inferos: quando (sicut dicit Beatus Petrus) *Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent:* quando (sicut & ipse Dominus in Euangelio dicit) *Virtutes cælorum mouebuntur, sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo:* vbi tunc impij, & peccatores, apparebunt? Cùm ad Angeli tubam totus mundus simul cœperit mugire, cùm venerit Dominus ponere orbem terræ desertum, & perdere peccatores ex eo, & mittere eos in stagnum ignis; qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminosos quosque negligentes, ac tepidos, occupabunt; Clibanus profecto tremendus, & bonis etiam, ac iustis (qualis erat Abraham) expauescendus. Audiamus & vnum ex amicis sancti Iob, *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.* Diuus Gregor libr. 5. Moral. cap. 23. refert ad timorem iudicii futuri, quem sequemur in huius loci intelligentia. Recte, meo iudicio, contemplationem diei iudicii extremi vocat *horrorem visionis nocturnæ:* quoniam *Dies illa* (vt verbis vtar sancti Prophetæ) *tenebræ, & non lux:* &, vt alius Propheta dicit, *Dies iræ, dies illa: dies tribulationis, & angustiæ: dies calamitatis, & miseriæ: dies tenebrarum, & caliginis* Tunc sopor occupabit homines quia mundi sectatores, & amatores, filii hominum, quasi nocte dormient in peccatis, & impudicitiis, quousque sicut fur in nocte adueniat eis repentina dies illa. Sopor etiam mortis occupabit omnes illa die, in qua omnes morituri sunt, quicunq; viui reperti fuerint: & in omnes homines mors pertransiet, vt habet communior, & securior sanctorum Patrum doctrina. In huius ergo diei contemplatione, horror, & pauor, ac tremor tenuit amicum sancti Iob, & ossa eius perterrita sunt: quia (vt Gregorius ait) *Districtionem diuinæ iustitiæ contemplantes, etiam de ipsis operibus iure pertimescimus, quæ nos fortia egisse putabamus, Vnde & Paulus, cum virtutum*

Margin notes: 2. Pet. 3. — Iob. 4. — Gregor. — Amos. 5. — Sophoni. 1. — Gregorius.

*virtutum ossa se habere cerneret, & tamen sub districto examine hac illius ossa trepidarent, ait, Nihil mihi conscius sum* 1. Cor. 4.
*sed quia hac eius ossa statim contremuerunt, subdit, Sed non in hoc iustificatus sum: qui autē iudicat me, Dominus est. Ac si dicat, Recte egisse me recolo, at tamē de meritis non præsumo: quia ad eius examē vita nostra ducitur, sub quo nostra fortitudines, & ossa turbantur.* Hæc ille. O quam recte dictum est ab Augustino, lib. 9. Confess. cap. 13. *Va hominum vita, quantumcunque laudabili, si, remota misericordia, discuties eam.* Augast. Quia, vt recte Greg. dixit, lib. 24. Mor. c. 7. *Neque hoc, quod laudabiliter gessimus, sine aliquo reatu nostro est, si, remota pietate, iudicemur.* Gregor. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta, immobilia stabunt, si huius pauoris turbine etiam cedri quatiuntur? *Si iustus vix saluabitur* (ait D. Pet) *impius, & peccator, vbi parebunt?* Et si viri fortissimi tremunt, quid non timebunt peccatores miseri? 1. Petr. 4.

Vt igitur inducat nos omnes in pauorem istum, atque timorem salutarem, antequam adueniat Christus cum potestate magna iudicare terram, *Erunt signa in sole, luna, & stellis, &c.* vt ab his cœli signis metuentes, atque formidantes, venturam iudicis iram effugere possimus. *Ira in indignatione eius* (ait Dauid) *& vita in voluntate eius.* Psal. 29. Signa quidem iræ sunt, & indignationis, sed vitam nostram, & salutem potius optat bona sua voluntate, quam perditionem, & mortem velit. Et, vt recte Chrys. ait, Homil. 55. ad popul. Chrysost. *Neque sauitia, aut crudelitatis esse credamus, sed misericordia, & cura & dulcis erga nos amoris: eorum, qua facere vult, contraria dicit, vt qua vult faciat. Non vult mortē peccatoris, & dicit mortem peccatoris, ne mittat in mortē, &c.* Videbis Dominū clementissimū, quando cōmouerit cælū signis & terrā turbauerit pressuris & calamitatibus, quasi prædicantē aut prędicentē populo suo cū Esaia: *Vade populus meus, intra in cubicula tua, & claude ostia tua post te: abscōdere ad momentū, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet inquitatem habitatoris terra contra eum.* Esai. 26. Hæc verba, non solum à Hieronymo, libro. 8. Commentariorum in Esai. Hierony. sed etiam à Tertuliano; lib. de Resurrectione carnis, cap. 27. Tertul. explicantur de tempore aduentus Domini ad iudicium, & morte, ac

resurrectione futura. Quod, si, vt sacra refert Scriptura
*Num.* 22. cernens asina Balaam Angelũ Domini stantem in via,
euaginato gladio, auertit se de itinere: quanto potius
homines ratione præditi, cernentes, & considerantes
Angelũ magni consilij, Christũ Dominum, stantẽ ad
iudicandos populos, euaginato gladio iudicij sui, auertere
se debent a via sua mala, & ad viam conuerti, quæ
ducit non ad perditionem, sed ad vitam, & salutem? Ad
hoc enim euaginauit iræ suæ, & indignationis gladium
vt eos corrigat, terreat, & à via iniquitatis auertat. *Iste*
*Ezech.* 21. *est gladius* (ait Propheta) *occisionis magnæ, qui obstupescere*
*eos facit, et corde tabescere.* Sed ad hoc ille obstupefaciet
gentes signis furoris sui, vt fugiant à facie gladij, &
non pereant cum impijs, & reprobis: quasi admoneat
omnes cum sancto Iob: *Fugite ergo a facie gladij, quo-*
*Iob.* 19. *niam vltor iniquitatum gladius est: et scitote, esse iudicium.*
*Faciem gladij fugere* (ait Gregorius, lib. 14. Moral. cap.
*Gregor.* 30.) *est animaduersionis districtæ sententiam, prius quam*
*appareat, placare. Sed sunt plerique, qui extremum esse iudicium*
*verbo tenus sciunt, sed, peruerse agendo, testantur, quia*
*nesciunt. Qui enim hoc non formidat, vt debet, necdum cognouit,*
*cum quanto turbine terroris adueniat. Si enim pensare*
*pondus tremendi examinis nosset, iræ diem vtique timendo*
*præcaueret.* Hæc ille. *Auferuntur iudicia tua a facie eius*
*Psal.* 9. ait Dauid *dixit enim in corde suo, Non requiret.* Non videntin
corde, & considerant reprobi, futura signa
in sole, luna, & stellis: obscuratum solem, lunam
in sanguinem versam, stellas retrahentes lumen suum,
& de cœlo cadentes: cõmotam terrã, confusionẽ sonitus
maris, & fluctuũ, pressuras gentium, arescentes homines
præ timore, & expectatione, quæ superuenient
vniuerso orbi, virtutes cœlorum motas, venientẽ Filiũ
Dei, & hominis, Iesum Christum, cũ potestate magna,
& maiestate, vt iudicet mundũ in ira furoris sui, & destruat
impios illustratione aduentus sui, & vindictã in
eos retribuat. *Clauserunt,* (vel *declinauerunt*) *oculos suos*
*Daniel.* 13. (ait Daniel sanctus) *ne viderent solem* (vel *cœlũ*) *nec recordarentur
iudiciorũ Sanctorũ* (vel, *iustorũ*. Si enim recte cõsiderassent
signa cœli, & terrę, in die iudicij iusti, absq;
vlla dubitatione pœnitentiã egissent ab impietatibus
suis, & fugerent à facie gladij & ventura irã, & non pe-

deant. Hanc enim eorũ pœnitentiam, & salutẽ intendẽs pijssimus Dominus, futuri iudicij signa, & prodigia dabit in cœlo, & in terra, vt conuertat peccatores ab errore vitæ suæ, & non pereant.

Hoc autem est, quod olim sanctũ Iob aloquutus Dominus mirabiliter insinuare voluit, cum dicebat: *Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea? Restituetur vt lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum.* Quo loco D. Gregor. libr. 29. Moral. à cap. 3. vsq; ad. 6. multa docet mirabiliter: sed nos ab incepto proposito non recedentes, ostendamus his verbis illa duo, quæ præmisimus de his signis, quæ erunt in sole, &c. futura videlicet esse ante aduentũ Domini, & diẽ iudicij, in salutem electorũ, & maiorem damnationem reproborum. Iob. 38. Gregor.

*Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ?* Extrema terræ, hoc loco appellat peccatores, quos Deus signis & prodigiis illius tẽporis deterrere intendit, vt conuertantur, & saluos faciat illos, dicente Propheta: *Dedi te in lucẽ gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ:* hoc est, vsque ad abiectũ peccatorem. Vocantur vero isti extrema terræ iustis de causis. Primo, quia peccatores nesciunt iuxta rectam rationem, & prudentiam, viuere, quæ semper medium tenere studet, in quo virtutes consistunt: sed extrema potius sequuntur, quæ semper vitiosa sunt, atque prohibita, vt Arist. docet, l. 2. Æthic. c. 6. 8. & 9. Aut enim auari sunt, aut prodigi, à medio virtutis recedentes, aut timidi, aut temerarii, & audaces: quæ extrema sunt, vbi medium tenet virtus & prudentia, secundũ D. Thom. doctrinam 1. 2. quæst. 64. articul. 1. &c. Aut fortasse vocantur peccatores extrema terræ, quia sunt magis distantes à Deo, & separati, qui in medio iustorum est. Propterea dicitur in Psalmo. *Longe à peccatoribus salus:* quia peccatores longe positi sunt à Deo, corde, & operibus: quamuis fide Christiana illi vtcunq; adhæreant. Ipsi longe recedunt ipsi separant seipsos, & segregant iniquis cogitationibus, & actionibus, secundũ quod per Sapientem dicitur: *Peruersæ cogitationes separant à Deo.* Aut vocantur extrema terræ, quia sunt abiectiores, & viliores omnibus, qui in terra sunt, & magis despecti, ac sine honore. Sic Esai. 49. Aristot. D. Thom. Psal. 118. Sapien. 1.

enim sacra Scriptura abiectos homines vocare solet,
3. Reg. 12. sicut lib. 3. Reg. dicitur de Ieroboam, *Fecit sacerdotes de extremis populi*. Siue Reges illi fuerint siue Principes, aut diuites, & nobili genere orti, si peccatores sunt, separati à Deo, & vitijs dediti, viles sunt, & sine honore, in oculis Domini, & in veritate. *Qui contemnunt me* (ait Dominus) *erunt ignobiles*. Soli amici Dei, & iusti, hono-
1. Reg. 2. rati sunt, & nobiles, atque gloriosi: sine virtute vero nulla est vera nobilitas: quia omnis mundi gloria cum vera Sanctorum, & amicorum Dei gloria, & honore comparata, ignobilitas, & abiectio est, vt Chrys. do-
Chrysost. cet, Homil. 41. in Ioan. *infamia est*, ait, *nugæ*, & *ignominia*. Vera est autem nobilitas ea, vt Greg. Nazianz.
Nazian. placet, Orat. 11. & 23. quàm ratio, & virtus efficit, & quàm pietas, & mores notant, atque indicant: & ad summum bonum, ex quo originem trahimus, ascensio. Propter hos ergo peccatores ignobiles, & extremos populi, ostendit Dominus signa terribilia in cœlo, & in terra. O inauditam Dei misericordiam, & nimiam charitatem, vt illos ad se conuertat, & trahat! *Tenuisti*, ait, *concutiens extrema terræ?* Concutit enim illos, ac terret signis, & prodigijs, vt trahat ad se, & teneat secũ, ne pereant, & ad inimicos salutis nostræ Dæmones transeant, sed tremore concussi ad Dominum conuertantur omnes. *Et excussisti impios ex ea?* Hoc enim salutari timore, ac tremore bono, excussit illos à puluere terræ, à mundo, à vitijs, & à seruitute Dæmonum dura, & ad se tractos efficit adoptionis suæ filios. Vnde ab Esaia recte dicitur: *Viderunt insulæ, &*
Esai. 41. *timuerunt: extrema terræ obstupuerunt, & appropinquauerunt, & accesserunt*. Insulæ sunt peccatores isti, quia procul à Deo sunt: extrema terræ, quia viles, & ignobiles, sine Deo in hoc mundo. Sed ij viderunt signa iræ Dei, & timuerunt, & obstupuerunt valde: & concussi à Domino misericorditer, excussi sunt à statu peccati, & ad Christum appropinquantes, qui erant anteà peccatores, accesserunt, non passibus corporis, sed pœnitentiæ, & amoris, quibus homo resurgit, & restituitur ad vitã *Restituetur vt lutum signaculum*. Homo iustus, sicut &
Ezech. 28. Angelus, signaculũ Dei est, dicẽte Propheta, *Tu signaculum similitudinis*; sed per peccatum, quo deformatur, & honore illo mirabili destituitur, fit lutum. Vnde in per-

sona peccatoris,& à diuino honore ad ignominiã vitiorum deiecti,dicitS.Iob,*Cõparatus sum luto* idest ad summã vtilitatẽ deductus sum.Sed per terrorẽ Dei in cœlo & terra,signis, & portentis tremefactus, & ad se reuersus per pœnitentiã,atque ad Dominũ cõuersus,restituitur ad statum suum pristinũ, & ad similitudinẽ Dei reformatur, & ad honorẽ filiorũ eius sublimatur. Vnde per Hierẽ. Dominus dicit:*Vt lutũ in manu figuli,sic vos in manu mea. Repente loquar aduersus gentẽ, et Regnum, vt eradicem, et destruã, et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gẽs illa,agam et ego pœnitentiã,&c* Ecce lutũ gentis peccatricis,& hominis, qui Regnũ Dei est per gratiã, & peccati Regnũ per impietatẽ: repente loquetur Christus,antequã veniat ad iudiciũ cum potestate magna, & maiestate:loquetur ad eos in ira sua, & conturbabit signis, atq; prodigijs cõcutiens, quasi velit illos disperdere radicitus, atq; destruere.Sed,si per pœnitẽtiã ipsi se à peccatis excusserint,& à puluere cõsurrexerint vitiorũ,pœnitebit & ipsum Dominum super malo quod cogitauerat facere eis, & cõminatus fuerat tenebit eos secum,& ad statũ amicorũ restituet,& honorabiles efficiet:atq; seipsum eis,vt vestimentis gloriæ,vestiet,adornabit,honorabit.Vnde sequitur,*Et stabit quasi vestimentũ.* Peccatores enim, qui anteà vt lutũ iacebant, & cõculcabantur à vitijs, iam per Dei misericordiã, & pœnitentiã,stabunt cumChristo,sicut vestimentum eius atq; ornamentũ. *Viuo ego, dicit Dominus: quia his omnibus, velut ornamento, vestieris.* Merito electi, à peccatis conuersi, & iam santificati,vestimenta Christi Domini appellãtur,vt Greg. notat,super Psal.101.quia sicut vestimenta sunt homini, & eis cooperitur, & ornatur:ita in illa die Christus Dominus in maiestate, & gloria, adueniẽs, omnibus, quos ex peccatoribus sanctos, & electos suos fecit,vestitus, & ornatus vestimẽtis gloriæ, & lætitiæ, apparebit. Psal. 101. *Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur.* Diuina plane mutatio dexteræ Excelsi, qua lutũ restituetur in signaculũ similitudinis diuinæ,& vestimenta sordida huius miseræ vitæ stabunt sicut vestimenta cãdida, & pretiosa, atque speciosa Christi, in maiestate sua. Tunc profecto fiet illi Iesu,Regi,& iudici,& Sacerdoti magno, quod Pro-

*Iob.* 30.

*Hier.* 18.

*Esai.* 49.

*Gregor.*

*Psal.* 101.

Zachar. 3. pheta olim prædixerat *Auferte ab eo vestimenta sordida.*
August. *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.* Diuus Aug. lib. 12. contra Faustum cap. 36. insinuat sensum, quem prosequimur: quamuis Tertull. lib. aduersus
Tertull. Iudæos c. 14. & lib. 3. aduersus Marcionem cap. 7. aliter referat ad duos aduentus Christi Domini. Tunc ergo ablatis à Christo vestibus sordidis, & luto inquinatis, cùm ad eum omnes electi, qui erant peccatores, & vitiis inquinati, fuerint conuersi, sanctificati, & candidati,
Iacobi. 2. atque immortalitate donati, & immutati: *Et pauperes,* olim *in sordido habitu*, in habitu gloriæ apparebũt cum Christo: & Sancti in mundo laboribus, tribulationibus
Iob 7. afflicti, atque fœdati, qualis erat S. Iob, qui dicebat; *Sor-*
Iob. 3. *dibus pulueris cutis mea aruit, etc.* & iterum; *A multitudine eorum consumitur vestimentum meum:* cùm, inquam, apparuerint isti, vestiti duplicibus, duplici stola gloriæ, induetur ille Summus Sacerdos vestimentis mutatoriis iustitiæ, & lætitiæ suæ, indumentis iucunditatis, & gloriæ, & Cydarim mundam ponent super caput eius, & coronam Regni accipiet Sacerdos Dei summi, Rex Regum, iudex viuorum, & mortuorum. Cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor, &c. Amen.

## DE EODEM ADVENTV SEcundo Christi Domini ad iudicium.

### CONCIO V.

Quasi appendix ad quartam præcedentem.

*His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra.* LVC. 21.

Actor. 24. DIsputante Paulo (vt Lucas sanctus refert) *de iudicio futuro, tremefactus est Felix. Tanta enim erat vis verborum eius* (ait Chrysosto.
Chrysost. Homil. 50.) *vt & Principem deterrerent.* Profectò de tremenda illa iudicij die, nemo alius disputare, & prædicare debuisset, nisi aut diuinus ille Paulus Gentium Doctor: *Cuius sermo, ac prædicatio erat, non in humanæ sapientiæ verbis*, vt ipse de se-
1. Cor. 2. ipso dicit, *sed in ostensione spiritus, & virtutis.* qua osten-

sione spiritus omnes in admirandum timorem, ac tremorem iuduceret. Aut certè, ille Angelus Dei, quem in sua Apocal.. S. Ioann. vidit volantem, clamantem magna voce; *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Terribile enim est, atque tremendum hoc iudicium extremum Christi Domini: quod sine misericordia fiet reprobis, qui nescierunt misericordiam, nescierunt timere Deum, & dare illi honorem in præsenti vita: & propterea in illo tremẽdo iudicio adueniet eis tremor, & horror, inutilis planè, sera pœnitentia, & sine fructu. *Videntes turbabuntur timore horribili, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Sed hæc omnia nihil eis proderunt in die vltionis, & furoris Domini: quin potiùs initia erunt dolorum, & tormentorum, quibus proiecti à Christo, & maledicti, cruciandi sunt absque vllo fine. *Apoc. 14.* *Sapient. 5.*

De iis ergo sacra verba Domini ad sanctum Iob repetamus; *Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea? Restituetur vt lutum signaculum: & stabit quasi vestimentum.* De electis iam diximus, Cõcione 4. qua ratione eos concutiens Deus tenuerit, & ad se conuerterit, excutiens à mundo, & extremis vitiis, atque ex sordidis, lutosisque hominibus, signacula sibi restituens, & iucunditatis ac gloriæ suæ vestimenta assumens. Propter quos Dauid dicebat; *Deus, salutaris noster* (vel secundum Diui Hieronymi Hebraicam translationem, *Terribilis in iustitia, Deus, saluator noster) spes omnium finium terræ, & in mari longè, turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à signis tuis.* Quasi dicat; Iesu Christe, Saluator electorum, spes eorum, qui sunt in extremis peccatis in terra, à signis tuis ante iudicium turbabuntur gentes peccatrices, extremi peccatores, & conuertentur. Sic fortasse in spiritu Dauid de seipso dicebat; *Si habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* In extremis enim maris erat; quando paccatis longè à Deo discedens, in extremis terræ cum peccatoribus habitabat: sed ibi manus Domini cõcussit eum, reduxit, & tenuit: & vt ipse alio loco dicit, *Eduxit eum de luto fæcis.* & ex luto restituit, ac pulcherrimum signaculum sibi fecit. Sed de reprobis restat dicamus. *Iob. 38.* *Psalm. 64.* *Psal. 138.* *Psalm. 39.*

*Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ?* Extrema terræ vocat, maximos peccatores, & peccatis iam obstinatos, & ad extrema terrenarum cupiditatum, iniquitatumque, deductos: quos etiam Dominus illa terribili iudicij die, concutiet signis de cœlo, & prodigiis de terra, atque pressuris: quibus illi non conuertentur, sed indurabuntur potius, & ad iracundiam prouocabunt Dominum, & iudicem suum, ita vt maledicti à Domino, & ab electis separati, omnes gladio diuinæ vltionis intereant sine fine. Audi Hieremiæ verba; *Dominus de excelso rugiet: dabit vocem suam aduersus omnes*
Hiere. 25. *habitatores terræ: peruenit sonitus vsque ad extrema terræ* (hoc est vsque ad impios, induratos, & reprobos homines) *quia iudicium Domino cum gentibus: impios tradidi gladio. dicit Dominus.* Propterea dicit; *Et excussisti impios ex ea?* Hoc enim faciet Dominus, cùm venerit in maiestate sua iudicare terram: separabit hœdos ab ouibus, paleas à granis, reprobos ab electis, & excutiet illos à terra, & in tartarum tradet perpetuò
Matth. & Luc. 3. cruciandos. *Cuius ventilabrum in manu sua* (ait S. Euangelista) *& permundabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et quemadmodum olim, seruatis Filiis Israel,
Psalm. 135. *Dominus excussit Pharaon, & virtutem eius, in mari rubro;* ita & in illa die iræ, & vindictæ, seruatis electis suis, excutiet impios diabolum, & reprobos omnes, & demerget eos in profundum inferni, vt operiantur abysso, & pereant in æternum.

Tunc profectò *Restituetur vt lutum, signaculum.* Signaculum dicere possumus, illud, quod eminentissimo, & honestissimo loco haberi solet, & summo honore, vt
Agg. 2. Aggæus Propheta dicit ad Zorobabel; *Ponam te sicut signaculum.* Sic sunt multi in Ecclesia, & erunt: qui quasi quoddam signaculum in maximo honore habentur,
Eccle. 8. & quasi idola gentium admirationi sunt, propter assumptas dignitates, aut simulatam sanctitatem. *Vidi impios sepultos: qui, dum adhuc viuerẽt, in loco sancto erant.* Dum in mundo agebant isti, amatores quidẽ mundi, & sanctitatis solam speciem, atque imaginem ostentantes, amantes primos acubitus, primas cathedras, potissimos honores, primum locum occupabãt, in loco san-

cto erant: at exaltatos istos,& eleuatos in præsenti vita, sepultos vidit Salomon in spiritu, & sepultos in inferno post mortem. *In consummatione seculi* ( ait Dominus) *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum: & mittent eos in caminum ignis.* Separabunt eos in perditionis locum de loco sancto, separabunt de medio iustorum: erant enim in medio Ecclesiæ tanquam iustiores,& sanctiores cæteris,tanquam magistri, tanquam rectores,& pastores omnium,tanquam signacula quædam in oculis omnium admiranda. Sed *restituetur, vt lutum, signaculum:* quia viliores luto apparebunt in illa die, & tanquam lutum æstimabuntur in conspectu iudicis,& adstantium illi Sanctorum, proiicientur, conculcabuntur. *Adducam magistratus, quasi lutum*, ait per Prophetam Dominus.Siue Reges illi sint, siue Pôtifices,siue Principes,& magistratus,in loco sancto positi,& in medio iustorum,inde eos detrahet iudex, & separabunt Angeli: & tanquam lutum eos delebit Dominus, & conculcabunt Sancti eius, in die illa vindictæ,& belli.Sic dicit Dauid in persona Christi; *vt lutum platearum delebo eos.* Sic de sanctis dicit Zacharias; *Erunt quasi fortes, conculcantes lutum virorum in prelio.* Tunc enim Sancti,qui in mundo erant humiles,abiecti, infirmi,erunt quasi fortes bellatores, & potentes in prælio Domini: & conculcabunt impios quasi lutum viarum: & proiicient eos in locum immundissimum, in locum tenebrosum, vbi sempiternus quidam horror perpetuò inhabitabit.

Matth.13.

Esai. 41.

Psalm.17.

Zachar,10.

*Et stabit quasi vestimentum.* Multi ex his,quos diximus, hypocritæ,& simulatores, ostentantes sanctitatem,& affectantes populorum plausus,& honores quasi diuinos, stabunt in Ecclesiæ loco eminēti, & sancto, adhærentes Christo per fidem, ornantes illam simulatis virtutibus, officia & gradus, & dignitates Sanctorum habentes, & exercentes; sed stabunt quasi vestimentum,quod illa die Dominus à se proiiciet, tāquam verè sordidum, & inquinatum sanguinibus peccatorū: proiectū verò à Christo cadet in terram,& æterno igni concremandum tradetur, dicente Propheta; *Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis.* En, quo simulata sanctitas perduxit miseros istos.

Esa.9.

Sed videamus iam, quid verè iusti, ac Sanctis eueniat in illa iudicij, & iustitiæ die. Ait S. Euangelista: *Hu autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.* Multa sunt sacræ Scripturæ loca, quibus constat, leuare caput, idem esse,
4. Reg. 25. quod erigi, exaltari, sublimari: sicut lib. 4. Reg. dicitur: *Rex Babylonis subleuauit caput Ioachim Regis Iuda:* id
Eccle. 20. est, exaltauit, & magnis honoribus affecit. Et in Ecclesiastico dicitur: *Est qui abhumilitate leuabit caput:* hoc est, qui à statu humili, & abiecto, erigitur ad statum honoris, & gloriæ. Ea est autem huius vitæ miseranda conditio, atque peruersa, & infœlix sors, vt multoties impij homines fœliciter viuant, subleuatique sint diuitiis, & honoribus( *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum,*
Psalm. 36. ait Dauid:) è contra verò viri iusti, & timentes Dominum; abiecti sunt, atque despecti, & tanquam purgamenta facti huius mundi. Quòd sanè admirans, & do-
Psalm. 82. lens ipse sanctus Dauid, dicebat Domino: *Deus, quis similis tibi?* In iustitia, & æquitate, in castigandis hominibus impiis, & honorandis amicis tuis, quis comparari potest tibi? *Ne taceas, neque compescaris, Deus.* Ne ergo taceas, ne sileas, ne dissimules: sed clama, & vociferare: suscita zelum tuum; & vt parturiens loquere aduersus impios superbos & inimicos tuos. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.* Diuites mundi magno strepitu procedunt, potentes huius sæculi, contra humiles, & pauperculos, vociferantur, & clamant. Superbi, & arrogantes, ambulant extento collo, & capite eleuato Propter vanitatem enim, & superbiam, & mundi fastum, sonant, & ascendunt semper, & mundus eos audit, eos honorat & colit: Sanctos verò tuos despicit, & inhonorat. Diuus August. Psal. 37. vbi
August. nos legimus: *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meū:*
Psalm. 37. legit, *Iniquitates meæ sustulerunt caput meum.* Superbis, & impiis, iniquitas sustollit caput aduersus Dominum. Vani enim sunt, & leues: ideo facilè eriguntur, & ele-
Iob 15. uantur. *Leuitatis est* (ait August.) *erigere caput: quasi nihil portat, qui erigit caput.* Quàm bene apud S. Iob habes! *Vir vanus erigitur in superbiam* Et infra, *Cucurrit aduersus Deum extento collo.* Ventus sunt, & vento leuiores, superbi omnes, & elati, mundi amatores, & sæculi hu-

ius diuitias, honoresque, & fauores ambientes, alta petunt, sublime sapiunt. Lucifer super astra Dei se extulit: Adamus esse voluit sicut Deus: Antichristus, superborum caput, eleuari volet, & extolli supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ac denique sicut S. Dauid dicit Deo, *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Quid ni ascendat? Ventus leuissimus est, ideo sonat, ideo ascendit, ideo erigitur, & eleuatur, & tanquam fumus extollitur, & deficit: perit cum sonitu, & ad nihilum redigitur in momento. At viri sancti in hoc mundo humiles sunt in vniuersa terra, & humiliati, atque abiecti: non clamant, non auditur vox, & sonitus eorum: non audent erigere oculos, attollere capita, egentes, angustiati, afflicti, & mundo odibiles, & quasi alieni, & extranei æstimantur. *Si iniustus fuero* (ait S. Iob) *non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria* Diuus Ambrosius, libr. 2. de bono mortis cap. 3. legit: *Non potero reclinare caput.* Et conuenit optime amicis, ac sectatoribus Christi Domini, quem Pater dedit caput super omnem Ecclesiam; & de quo in Euangelio dicitur, *Filius hominis non habet, vbi caput reclinet.* O caput omnis Principatus, & Potestatis, sed propter nostram salutem humiliatum, & non habens reclinatorium, non dico aureũ, vt Salomõ, sed nec lapideum quidem, vt Iacob! Quod si adhuc infans vnius diei toto corpore reclinatus est in præsepio, profectò reclinauit eum mater sua, non ipse reclinauit seipsum: & in crucis illo mirabili reclinatorio nõ reclinauit caput moriturus, sed potius inclinauit: nã, *Inclinato capite, tradidit spiritũ,* sicut qui stabat iuxta crucẽ Ioannes, & vidit, & testatus est. O verè iustum, & Saluatorem Iesũ, saturatum opprobriis, calamitatem, & miseriam sustinentem, & plus omnibus laborantem pro omnibus, qui non leuauit caput, non reclinauit tota vita sua, aut passione, vsque ad mortem.

Psal. 73. Iob. 10. Ambros. Matth. 8. Ioan. 19.

Sed quid, obsecro, in Resurrectione, & sessione ad Patris dexterã, in dextera Dei exaltatus? Audi sanctum Dauid: *In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meũ super inimicos meos.* In omni vita sua humiliauit, abiecit, & incuruauit laborib⁹, & passionibus vsq; ad mortẽ: sed in Resurrectione exaltauit mirabiliter, & super omnia bo- Psal. 26

na sua, & omnem creaturam constituit. *Humiliauit se metipsum* (ait Paul.) *vsque ad morte crucis: propter quod & Deus excitauit illum, &c.* Sed nunc in die iudicii exaltauit eũ super omnes inimicos eius, quos sub pedibus eius tradidit calcãdos. Ibi conculcauit impios in ira sua cõfregit in furore suo Reges, conquassauit capita robustorũ. *Deus confregit capita inimicorum suorum*, aiebat Dauid, *verticem capilli perambulantiũ in delictis suis.* Hoc planè die tremendo impletum est, quod ille prædixerat: in quo, exaltato capite, Iesus iudex iustus confregit potentias, capita impiorum, verticem superborum: quos humiliauit vsque ad puluerem, & vsque ad inferni profunda deiecit, atque demersit. *Dies Domini exercituum*) ait Esaias) *super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur.* Et paulò post, *Incuruabitur omnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: & eleuabitur Dominus solus in die illa* Quæ verba rectè à nobis explicari possunt de die iudicii, sicut Homil. 23. Imperfecti in Matth. insinuat Chrysostomus, & Cyprianus, epist. 55. ad Cornelium, & alii.

Philip 2. Psal. 67. Esai. 2. Chrysost. Cyprianus.

*His autem fieri incipientibus* (ait Christus ad electos suos) *respicite, & leuate capita vestra* Non enim solus Christus Dominus in die illa magna exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde, nec solum caput eius spinatum olim, & inclinatum, exaltabitur gloria, & honore coronatum: sed omnes Sancti, & electi, cũ eo, qui in hoc mundo neque oculos, neque caput leuare poterant, præ nimia confusione, & abiectione, atque despectione; sed, vt Paulus ait, *Opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti:* tunc respicient, leuantes oculos, vt videant Regem cœli in maiestate sua, & gloria, vt retributionem peccatorum considerent, videant, & affluant, vt videant bona Domini in terra viuentium Et capita illa, quæ tribulationibus pro Domino coronata sunt, non rosis, sed spinis, coronas accipient iustitiæ: & vt Esaias prædixit, *Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.* Impii, & reprobi dolebunt, & gement, maledicti à Domino, & proiecti in ignem æternum, in quo sempiternus dolor, &

Hebr. 10. Esai. 35.

gemitus inhabitat: electi verò sancti, & dilecti ab ipso, lætabuntur, & exultabunt in gloria: accipient benedictionem à Domino illa die, cùm dicet, *Venite, benedicti Patris mei, percipite Regnum:* Regnum vtique cœlorum, Regnum decoris: & regnabunt cum Christo sine fine, vt impleatur, quod scriptum est, *Benedictio Domini super caput iusti.* Super vnumquemque enim iustorum benedictio larga, & copiosa descendet illa die, quæ caput illorum ornabit, & coronabit, atque exaltabit: atque adeò tota illa ciuitas Dei, & Sanctorum, ad iudicium cum Christo congregata, benedictione illa honorificabitur, & exaltabitur, dicente Scriptura, *In benedictione iustorum exaltabitur ciuitas* ciuitas, inquam, Dei, de qua gloriosa dicta sunt; ciuitas sancta, cuius populus omnes iusti, omnes Sancti, omnes beati cum ipso Rege Christo, & per Christum. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

*Matth. 25.* *Prou. 10.* *Prou. 11.*

*Hactenus de operibus cardinalibus, & præcipuis Christi Domini dictum sit à nobis: de operibus autem Sanctorum, dicemus in sequenti libro, adiuuante ipso, & propitio Domino: cui soli sit honor, & gloria. Amen.*

# DE SANCTO ANDREA APOSTOLO.

*CONFITEANTVR TIBI, DOmine, omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi.*
Psalm. 144.

## CONCIO PRIMA

*Venite post me.* Matth. 4.

MErito profectò sancta mater Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, primum omnium Sanctorum celebrat beatissimum Andream Apostolum: & ab eo sumunt initium festi Sanctorum dies: qui, vt D Tho. dicit, lectione 15. super caput. 1. Ioannis, fuit primus Christianus, sicut Beatus Stephanus fuit primus Martyr. Ipse (vt verbis vtar sancti Iob) est *principium viarum Dei*: primus Apostolorum vocatione, quos ambulans vocauit Iesus: & qui non solùm obediuit, vt veniret ad Iesum, à quo misericorditer vocatus est, sed, (vt S. Ioannes in Euangelio dicit) *Inuenit primum Simonem, fratrem suum, & adduxit illum ad Iesum*, vt venirent ambo primi ad ipsum, & post ipsum sequentes vestigia eius: qui propterea de mari eos vocauit, & traxit, vt essent primitiæ Apostolorum Christi, & initia Sanctorum.

*Iob.* 40.

*Ioan.* 1.

Hieronym.

Andreas, quem, *Decorum*, interpretari D. Hie-

ronym. in nominibus Hebraicis docet, inter omnes, filios, quos per Euāgelium Dominus genuit, velut alter Ioseph, *Decorus aspectu*, primus, & quasi primogenitus fuit:&,vt in Deuteronomio habes; *Iste est principium liberorum eius: & huic debetur primogenitura.* Hunc vocauit primū,& quasi primum piscem, de mari huius sæculi ad terram Ecclesiæ suæ hamo extraxit, vt fieret ipse piscator hominum. *De aquis tulit eum*, vt elegantē, & decorum Moysem, de aquis huius maris mortui, ac turbulenti: &ad paradisum Ecclesiæ adduxit,in qua reperit ille dilectissimam sibi crucem,arborem vitæ,lignū sapientię,quod in ea plantatū est ad salutem hominum. Nam, vt Ambros. dicit in Prolog. super Psal.35. *Crux Christi nobis reddidit paradisum.* Hæc enim efficit, vt sancta Christi Ecclesia, terrestris paradisus sit, per quam intrare possimus ad cœlestem. Genes. 44. Deuter. 21. Exod. 2. Ambros.

De mari tulit eum,& eduxit, vt in terram promissionis æternę,quę est Ecclesia,introduceret:&ex piscatore pisciū,piscatorē hominum fecit : quos de mari eductos ipse velut alter Moyses in terrā promissionis induceret, sicut Apostolus,sicut Doctor populi Christiani. Olim(sicut sacra narrat Historia in libro Exodi) Angelus Domini in columna nubis,&ignis,venit ad mare rubrū,&præcedens Filios Israel,eduxit eos de mari & induxit eos in terrāquā eis Dominus promiserat,speciosā,&optimā,lacte, &melle manantē, ita & modo Christus Dominus, magni cōsilij,&noui testamēti Angelus,qui in columna sāctæ crucis mirabilia fecit,Apostolos istos eduxit de mari periculoso huius sęculi ad Ecclesiā,quę spirituales promissiones habet vitæ præsentis,& futuræ. *Venite post me.* Quemadmodum enim Moyses virgā diuisit aquas maris, & viam fecit populo Dei, vt sicco pede, & securi transirent in terram promissionis suæ; ita etiam Christus Dominus sua cruce ( vt Augustinus, ait sermone 90. de Tempore) in mari huius mundi feruido, ac periculis vndique pleno, planum, & prosperum iter fecit ad terram viuentium, ac beatorum, omnibus, qui velint venire post ipsum, imitari eius exēpla,sequi vestigia: de quo Dauid dicebat; *In mari via tua, & semita tua in aquis multis: deduxisti sicut oues populum tuum.* Exod. 13. & 14. August. Psal. 76.

Crux ergo Christi Domini est illa columna ignis, & nubis, in qua ipse Dominus, velut Agelus populi ductor, positus, pertransiuit mare rubrum passionis, & sanguinis, omniumque dolorum, & tribulationum aquas, ita vt diceret, *V ni in altitudinem maris*: quia pro-
*Psal.68.* fundissimos, omniumque dolorum maximos passus est. Atque hoc modo aperu t viam electis suis, qua illum sequerentur, quos sua passione, & morte per crucem redemit, atque liberauit ab Ægypti seruitute dura, & Pharaonis imperio durissimo. Vnde & de ipso Esaias
*Esai 51.* prædixerat, *posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati.* Præcipue verò, vt transirent Apostoli, & Principes Ecclesiæ, qui alios secum de mari educerent mūdi huius, & ducerent per viam salutis, virtute crucis:
*Chrysost.* quæ, vt Chrysostomus docet sup. Psalm.109. propterea dicitur *Virga virtutis Dei*, quia mare, & terram conuertit, & magna potestate repleuit. Cum hac virga egressi Apostoli per vniuersum orbem, omnia illa fecerūt, quæ gesta sunt ab eis. Inter cæteros verò S. Andreas, ardentissimus sanctæ crucis amator, huius mirabilis virgæ, & sacratissimæ columnæ ignis, & nubis, cultor semper fuit, quæ sanctam Ecclesiam sustinet, incendit, refrigerat: & per eam, atque in ea sequutus est Dominum Redemptorem, docuit populos, multos, à mari mundi eduxit, & ad portum æternæ salutis deduxit, & ipse, sicut alter Angelus Domini, post transitum maris huius, in æternam requiem victor intrauit. In huius ergo Apostoli sanctissimi laudes, qui, non minus quàm Paulus, in cruce Iesu Christi Domini sui gloriari elegit, de sanctæ crucis laude, quam dicimus esse columnam ignis, & nubis, nonnulla prius breuiter dicamus, posteà de ipsius Apostoli gloria, & honore dicturi.

Sanctissima Christi Domini crux, iure optimo, columna ignis, & nubis, appellari potest. Primò, vt sciamus, quod ille magnus noui testamenti Angelus, qui in ea positus est, & passus, verus Deus, & verus homo fuit, & est. Secundum diuinitatem, ignis fuit, quemad-
*Deut.4.* modum Moyses dicit: *Dominus Deus tuus, ignis consumēs est.* Docet autem Dionysius, libro de Cœlesti Hierarchia, cap. 15. inter res sensibiles ignem habere maiorem
*Dionys.* similitudinē, cum proprietate diuinæ naturæ, maxime

vero in

vero in hac ratione, quod, *Ignis omnia superat, & ea quibus insederit, in suū traducit officium, & sui consortium illis tradit: renouat omnia calore vitali, ac fulgoribus apertis illuminat, teneri autem, miscerique non potest. Complectitur omnia, cùm tamen astringi ipse non possit: cùmque omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur, &c.* Talis profectò est natura Diuinitatis, quæ (sicut Origen. docet, Homil. 1. in Ezechiel. Ambrosius in Ps. 118. serm. 8. & 13. August. lib. contra Adimantum. cap. 13.) quando animam occupauerit, omnia mala, quæ in ea erant, consumit, & delet: omnia verò bona, quæ inuenerit, perficit, renouat, accendit, viuificat, & animam ipsam in se cōuertit, atque deificat, sicut Dauid inquit, *Facit ministros suos, ignem vrentem*: qui non solum in seipsis ardeant, sed etiam alios accendant, & ardere faciant igne diuini amoris, terram relinquere faciant, & alta cœlorum petere, vbi ipse Deus est, quemadmodum Augustinus Domino confitebatur, lib. 13. Confess. cap. 9 *Igne tuo bono inardescimus, & imus; quoniam sursum imus ad pacem Hierusalem.* *Origenes.* *Ambros.* *August.* *Psal. 103.* *August.*

Est autem columna nubis secundum humanitatem, vt Ambrosius optimè docet, in Psal. 118. serm. 5. qua se se ignis ille lucidissimus abscondit mūdo, vt melius posset cum hominibus conuersari, docere illos, pati multa ac denique in cruce mori, in qua ille Sol iustitiæ obscuratus, est, & nube contectus, dicente Propheta, *Cùm extinctus fueris, solem nube tegam*: ita enim absconditus fuit vultus gloriæ eius, atque despectus vt nec reputatus sit, neque cognitus, nisi à paucissimis illis, quibus manifestare voluit diuinitatis suæ splendorem, & cœlestes radios, vt salui fierent. *Ambros.* *Ezech. 32.*

Quo etiam sensu dici potest columna ignis, & nubis iuxta doctrinam Gregorij, lib. 2. Moral. cap. 21. quia electis suis lucem suæ diuinitatis in cruce ostendit, vt eos illuminaret, atque ad se cōuerteret: reprobis verò nubem densissimam opposuit, ne possent eum agnoscere. Latro quidem, similiter & Centurio, diuinitatem eius agnouerunt, & confiteri non erubuerunt: Pharisæi verò, & Scribæ: illudētes, & blasphemantes, & milites, nube caliginosa excæcati sunt. Pari etiam ratione *Gregorius.*

crucifixus Dominus Iesus, superbos, qui se sapientes & iustos esse iactant, nube obscura detinet, ne illum agnoscant, & conuersi salui fiant: humiles verò, & iustos, atque suæ crucis amatores, & sectatores, igne, ac luce suæ diuinitatis illuminat, & accendit, vt cognoscant illum, & ament, & salui fiant. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, et qui vident, cæci fiant.* Ecce columnam ignis in nocte, ad eos, qui humiles sunt, & peccatores se reputant, & quasi nihil scire de diuinis arbitrantur: & columnam nubis in die, ad eos, qui multa se scire, & videre, arroganter & credunt, & iactant Nisi velis alio sensu explicare, cum Origene, Homilia. 17 in Numerum, & 16. in Lucam, de homine iusto, & ipsius sanctæ crucis amatore. Supponamus enim oportet, iuxta doctrinam sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, sicut docet Augustinus, sermone. 18. de Verbis Domini, & Bernardus sermone. 5. Omnium Sanctorum, esse in homine oculos animæ interiores, quos vocat Apostolus, *Oculos cordis*, qui cœlestia, & diuina videre possunt: esse etiam oculos carnis, quibus hæc sensibilia, & terrena homines vident de quibus S. Iob dicebat; *Nunquid oculi carnei tibi sunt?* Hoc igitur efficit crux Christi, in eis, qui illam intuentur, & amant ac venerantur, quod oculis carnis, qui hæc temporalia, & vana sub sole contéplantur, columna nubis est, quę illos excæcat, & obscurat, ne videant vanitates sæculi, aut cōcupiscant: oculos verò animæ interiores, quibus sol iste visibilis non lucet, mirabiliter illuminat, & inflammat, sicut colúna ignis, & lucis: vt relictis omnibus, quę mūdus suis carneis oculis videt, & amat, relictis retibus, naui, ac parentibus, spretis omnibus sæculi diuitijs, atque delitiis, sola cœlestia videant, & ament, virtutes omnes quærant, & prosequantur, tanquam qui oculis animæ vident, carnis verò oculis cæci sunt. Quis tam diuersos effectus in vno homine operatus est? Sine dubitatione vlla Christus Dominus crucifixus hoc fecit qui aliis oculis columna ignis est, quos illustrat: aliis verò columna nubis, quos excæcat. *Quis* (ait Dominus ad Moysem) *fabricatus est videntem, et cæcum? Nonne ego?* Sic etiam crux Domini, videntem, & cæ-

*Ioan. 9.* *Origen.* *August.* *Bernardus.* *Ephes. 1.* *Iob 10.* *Exod. 4.*

eum hominem facit, cuius oculos animæ illuminat, vt cœlestia bona videat, & amet: carnis verò oculos cæcat, & auertit, ne videant mundi vanitates, & quærant. Quod si lignum sapientiæ boni, & mali, cuius fructum primi homines viderunt, & appetierunt, potuit oculos eorum interiores excæcare, exteriores verò carnis aperire (*Aperti sunt oculi eorum, &c.*): quid mirum videri poterit, quod crux Domini, arbor vitæ, lignum scientiæ boni, & mali, in paradiso Ecclesiæ, oculos carnis cęcos reddat, animæ verò oculos aperiat & illuminet. O mirabilis columna ignis, & nubis, quę hos mirabiles effectus, & diuersos, in vno homine operatur, vt quæ cœlestia sunt videat, terrena verò non aspiciat, sed omnino despiciat. *Genes. 3.*

Potest & alio sensu, quarto, sancta crux Christi Domini appellari columna ignis, & nubis: quoniam in ea simul fuit ignis tribulationis maximæ, & nubes consolationis summæ, ac diuinæ. Fuit quidem illa currus igneus, in quo, velut alter Elias, Christus Dominus eleuatus est (*Ecce currus igneus, &c.*) vt sic intraret in paradisum, & gloriam suam: sed simul fuit thronus nubis roridæ (*Thronus meus in columna nubis*): in quo cum igne doloris summi simul fuit nubes, quę torrem summi gaudii, & incredibilis lætitiæ ministrabat: vt videres in cruce Christi cum igne tormentorum coniunctam lætitiam maximam, & beatificam fruitionem, vt D. Thomas ostendit 3 part. quæst. 46 artic 6. & 8. Quod verò thronum appellauit crucem Domini, ad Regiam eius dignitatem, maiestatemque pertinet, & iudicii æquitatem. Ibi enim Dominus regnauit à ligno, satis fecit Patri æterno, damnauit peccatum, occidit mortem, & de hoste humani generis mirabilem triumphum egit. Columnam nubis vocauit propter summam consolationem quam in ea Dominus Iesus, & ipse patiens habuit, & fidelibus suis, qui pro illo patiuntur, largiri non cessat. *Crux enim nostra* (vt Bernardus docet, serm. 1. Dedicationis Ecclesiæ) *verè vnancta est, et per gratiam spiritus sancti adiuuantis, suauis, et delectabilis, et, vt ita dicam, amaritudo nostra dulcissima.* Et in serm. 1. huius diei inquit: *Certè crux pretiosa* *4. Reg. 2.* *Eccle. 24.* *D. Thom.* *Bernard.*

*est: amari potest, & habet lætitiam & exultationem* Quid mirum, si cruci suauitatem dedit, qui dedit & igni? In medio sanctæ crucis quasi in medio ignis erat Dominus: sed exultationem, & refrigerium habens à nube

Eccle. 50. cœlesti, dicebat, *In medio ignis non sum æstuatus* Non æstuabat, non affligebatur, sed exultabat potius spiritu, & gloriabatur in tribulatione, dans cruci virtutem lætificandi eos, qui pro ipsius gloria paterentur. Non æstuabat Dauid, cū dicebat, *Secundum multitudi-*

Psal. 93. *nem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Non æstuabat Paulus, cùm diceret, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Non æstuabat Lau-

2. Cor. 1. rentius in medio craticulæ ignitæ, cum irrideret carnifices, iudicem subsannaret: quoniam nube refrigerij intus maiores incendio vires acceperat: &, vt Ambrosius ait, lib. 1. Officiorum, cap. 41. *Animi virtute vincebat ignis naturam*: assatus exultabat, & assatus

Ambros. gratias agebat: & ros, qui de nube cœlesti in eum stillabat, refrigerabat ardorem ignis, extinguebat impetum ignis, vt flammarum non sentiret incendium, & adimpleretur in eo, quod Esaias prædixerat, *Flamma non ardebit in te.* In seipsa quidem ardebat flamma

Esai. 43. illa; sed in Laurentio non ardebat: non quoniam licet corpore vreretur, corde tamen, & interiori Laurentio, liber erat ab æstu, & ardore flammarum.

Sed veniamus iā tandem ad nostrū Andream, virilem, atq; fortissimum. In ara crucis torridus erat: in columna ignis ardore tormētorum vrebatur, cruciabatur, sed nō æstuabat, quin potius nube rorida cœlestis refrigerij, & cōsolationis mirabiliter exhilaratus, exultabat, atq; dicebat, *O bona crux, diu desiderata, & iam concupiscenti ani-*

Bernard. *mo præparata! &c.* Recte dicit Bernardus in sermone de triplici bono, &c. *Alterati hominis est ista vox, & qui iam de bonis naturæ ad bona gratiæ surrexerat qui gloriabatur in cruce, & tribulationibus, & non modo patienter sed libenter, imo ardenter ad tormenta, sicut ad ornamenta, ad pœnas, sicut ad delitias, properabat.* In illa colūna crucis stabat iste Angelus fortis, plenus lætitia, & honore, & gloria qui moriebatur in cruce, magistri sui æmulator, & cū Paulo, gloriam crucis agnoscens, & prædicans, aiebat,

*Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei, &c.* cætera *Galat. 6.*
omnia despiciens, ac pro nihilo habens.

Ab hac columna nolebat viuus amoueri, sed ab ea, & per eam, in pace recipi à magistro suo, & in paradisum referri, desiderabat, vt Augustinus refert, lib. de vera & falsa pœnitentia. cap. 8 graui mole carnis liberari, & de carcere corporis in cœlum euolare: quasi diceret cum Paulo; *Quis me liberabit de corpore mortis huius Gratia Dei per Iesum Christum.* Ab hac sanctæ crucis columna ignis, & nubis, velut à cathedra sapientię cœlestis loquebatur ad populum, totus igne diuini amoris, & zelo fidei accensus: & quasi de nube roris fluebat, vt ros eloquium eius, docebatque populum omnia, quæ ad veram fidem & animarum salutem, necessaria erant: *Biduo viuens pendebat in cruce pro Christi nomine Beatus Andreas, & docebat populum.* Rara, & mira res, quod biduo pependerit in cruce, cruci affixus; quod nescio an de aliquo Sanctorum quis legerit. De cruce loquebatur, & prædicabat: populus verò eum audiebat, sicut magistrum, sicut mansuetum, & pium, sicut Angelum Domini in columna nubis stantem: de quo & sanct. Dauid prædixisse videtur; *In columna nubis loquebatur ad eos. Custodieb ant testimonia eius, &c.* Recte vocat columnam nubis, crucem sancti Andreæ quoniam ab illa, sicut à nube cœlestis pluuiæ procedebat aquadoctrinæ salutaris, ad irrigandos populos, quibus ille datus à Domino fuit prædicator, & rector. Aut certe, vocat colũnam nobis tantum, quia iam illi non erat crux columna ignis, aut tormenti, sed refrigerij potius, & gaudii, & cœlestis cuiusdam lętitiæ, vltra quàm dici potest. Denique in hac columna nubis pertransiuit mare huius vitæ, euasitque omnia pericula eius, & mala: atque in terram æternæ promissionis victor intrauit, sequens Christum, & post ipsum veniens; quasi tunc audiret illum de cœlo vocantem, & non iam secus mare Galilææ ambulantem, *Venite post me*, vt possideatis terram optimam, terram viuentium paradisum delitiarũ: cuius vitę arbor iam non sit crux, sed ipse author, vitæ æternæ & largitor Christus Dominus.

*August.*

*Rom. 7.*

*Psal. 89.*

Qui cum Patre, & Spiritusancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## DE EODEM SANCTO ANDREA Apostolo.

### CONCIO II.

*Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum.* MAT. 4.

Psal. 106. QVi descendunt mare in nauibus (ait S. Dauid) *facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo.* Nihil vero est apud sanctos Patres magis celebre & visitatum, quam, mare esse sæculum istud, quod periculis, & mutationibus, ac procellis, atque mille prodigijs plenum est. Sic docet Augustinus in Psalmum. 64. *Mare in figura dicitur sæculum hoc, salsitate amaram, procellis turbulentum: vbi homines facti sunt velut pisces maris, inuicem se deuorantes.* Si amarum est mare, multo amarius est hoc sæculum, vbi homini iusto nihil esse potest, quod non ad amaritudinem redigat animam illius: & non solum in bello, & calamitatibus, sed etiam in pace, dicat cum Ezechia Rege *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Si procellis, ac tempestatibus feruet mare, multo maioribus feruet mundus iste, in quo tribulationibus, & laboribus, atque angustijs plena sunt omnia: & multo magis quam pisces sese homines cupidi, & praui, inuicem mordent, deuorant, atque consumunt. *Si ab inuicem mordetis, et comeditis, videte, ne ab inuicem consumamini. Taces, deuorante impio iustiorem se; et facies homines quasi pisces maris,* ait Propheta: qui more piscium alij alios deuorant, atque ab alijs deuorantur, vt mire prosequitur D. Ambros. libr. 5. Hexamer. cap. 5. & Basilius, Oratione. 15. quæ est de auaritia. Pericula plurima sunt in mari, dicente Salomone, *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Hoc ait

Margin notes: August. — Esai. 38. — Galat. 5. — Abac. 1. — Ambros. — Basil. — Eccle. 43.

Salomon de periculis, quæ circa corpora, & alia bona temporalia passim nauigantibus occurrunt in mari: sed quæ sunt ista omnia, si conferantur cum ijs, quæ in huius mundi magno, & spatioso mari, accidere solent animarum, & corporum periculis? *Periculis*, inquam, vt Paulus dicit, *fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus*, &, vt recte dicit August. serm. 26. de verbis Apostoli, *Cætera pericula quiescere possunt, pericula a falsis fratribus vsque in finem sæculi non nouerunt*. Animarum pericula, quæ grauiora sunt, & magis formidanda, sunt pene infinita: & quæ merito Sanctus Dauid non vtcunque vocat pericula sed inferni pericula. *Et pericula inferni inuenerunt me*. Inferni pericula sunt peccata, tentationes, & laquei, quibus plenus est hic mundus, & quæ nos ad inferos trahere conantur, atque animas nostras. *In medio laqueorum ingrederis*, ait Salom. Cuius loci sensum mire prosequitur Chrysost. Homil. 15. ad prop. cui adiungere possumus Bernardum, tract. de interiori homine, cap. 14.

2. Cor. 11.
August.
Psalm 114.
Eccle. 9.
Chrysost.
Bernard.

Propterea Diuinus Andreas, tam ardens amator crucis fuit, sic illi adhæsit, ita amplexatus est, vt illius ope, omnia maris istius pericula euaderet. Ambros. ser. 55. refert Vlyssis fabulam, qui, vt maris pericula, & Sirenum cantus effugeret, arbori nauigij sese alligauit, atque ita periculum euasit. Arbor quædam in naui est sancta crux in Ecclesia. In ea ligatus Dominus, vniuersum mundum de inferni periculis liberauit: in ea alligatus latro, æterni naufragij detrimentum non incurrit, & ad paradisi Regnum, portumque meruit intrare: & quicunque pericula æternæ mortis, & inferni euaserunt, per crucem Christi salui facti sunt in naui sanctæ Ecclesiæ arbori crucis religati. *Exiguo ligno credunt homines animas suas*, ait Salom. *et transeuntes mare per ratem liberati sunt*. Vocatur vero sancta crux, exiguum lignum. Primo, quia in oculis infideliũ vile, & despectũ est, & pro nihilo habetur, atq; à peccatoribus cõtemnitur. In 2. epist ad Cor. Paulus dicit, *Verbum crucis pereuntibus quidẽ stultitia est nobis Dei virtus est*. Et in lib. Sap. Salom. *Per contemptibile lignũ, iustum gubernans*

Ambros.
Sap. 4.
1. Cor. 1.
Sapien. 10.

Perituris quidem, & impijs, contemptibile: sed iusto, & sancto, gubernaculum cœleste erat, virtus diuina, & protectio ab omni periculo, & malo. *Quamuis enim perfido opprobrium sit crux Christi*, vt Ambrosius dicit, lib. 3. de Fide, c 5. & super Psal. 118. ser. 21. *fidelis gratia est, et virtus, et redemptio, ac resurrectio.* Non fuit opprobrium, sed gloria, & protectio, Andreæ amatori crucis, non Petro, non Paulo, non cæteris Apostolis, & Sanctis, quibus salus omnis in ligno crucis constituta est. Aut secundo, vocatur exiguum lignum: quia omnis labor, omnis crux, & mors, sanctis viris, qui pro Christo patiuntur, & laborant, & vsque ad vincula, & mortem, exiguus est, & modicus, si conferatur cum amore, & ardore patiendi, quem habent, & cum gloria, & corona iustitiæ, quæ illis in cœlo repromissa est, & seruata. Vnde Salomon ait: *In opere illius exiguum laborabis.* Et de ipso dicit: *Modicum laboraui, et inueni mihi multam requiem.* O mirabilis sapientia crucis, & magna virtus eius: in qua exiguum est, & leue, quod laboratur, quod sustinetur, & incredibilis est suauitas passionis, & inenarrabilis requies, atque gloria maxima eorū, qui patiuntur! *In Christo Iesu modicum passos* (ait Petrus) *ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Ecce quomodo Diuus Petrus modicum passos in Christo vocat eos, qui pro ipsius fide, & honore, passi sunt: Paulus etiam, *Momentaneum, et leue, tribulationis nostræ*, appellat id, quod *æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Andreas propterea crucem amplectitur, & amat: quia in ea, exiguo, & momentaneo labore superato, æternam requiem, & fœlicitatem sine fine consequebatur.

Ambros.

Eccle. 16.

1. Petr 5.

2. Cor. 4.

Sed iam textum sancti Euangelij prosequamur. *Ambulans Iesus* (ait) *iuxta mare Galilææ.* Recte dicit S. Euangelista, ambulasse Dominum iuxta mare: non vero intra mare: vt insinuat Beda, Homilia. 2. vel serm. huius diei. Nam in huius sæculi mari, cæteri homines ambulant, & versantur in medio laqueorum, periculorum, ita vt tentationibus mergantur facile, & obruantur, nisi ipsius Domini manu, & auxilio liberentur. Fateor (vt Paulus nos docet) ipse Dominus *Per omnia tentatus est*: sed quoniam *Pro similitudine, et absque peccato*: ita quod sicut Gregorius dicit, Homilia. 16. Euan

Beda.

Hebr 4.

Greg.

gelioru, *Omnis illa tentatio foris est, non intus fuit*, non intra mare, sed iuxta mare ambulabat, ad quem culpæ malum accedere non potuit. *Iuxta laqueos venit, sed non intra laqueos fuit*, vt docet Ambrosius, super Psalmum 118. Concione.6. Versu. 3. Aut etiam iuxta mare ambulabat, in quo homines procellis tribulationum, & tentationum periculis quassati periclitantur, vt opem ferret miseris, & liberaret eos. *In quo enim & ipse tentatus est*, ait Paulus, *potens est, & his, qui tentantur, auxiliari*. Vnde sanctus Dauid de ipso dicit: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit*. Iuxta mare est: iuxta pericula, prope afflictos & tribulationem patientes: imo & cum ipsis est, vt eripiat eos à periculis, liberet à peccatis, confortet in laboribus, &, ne mergi possint, erigat, & ad portum salutis deducat. Aut etiam iuxta mare ambulabat, vt ostenderet perfectissimorum quorundam, & paucorum hominum statum, & mores: qui ad hanc magnitudinem sanctitatis euaserunt, vt in mundo agentes, quasi iam extra mundum sint, & de mari euaserint ad littus, & portum securitatis, & quietis. Diuus Chrysostomus, Homil. 14. in primam ad Timotheum, perfectissimam Monachorum vitam describens, inter alia sic ait: *Procul absunt perturbationes, tumultus: tranquillo in portu nauigant: ac veluti sublimi de loco nauigantibus fulgore suo iter aperientes, in littore placido sedent, omnes ad quietem suam inuitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos, qui se intuentur.* Hæc ille. Hi profecto iam, cum in mundo sint, extra mundum esse magis dicendi sunt. Non secundum carnem ambulant, quorum conuersatio in cœlis est. De quibus dixisse videtur Dominus ad Patrem: *De mundo non sunt sicut & ego non sum de mundo* In mundo adhuc sunt viri sancti, qui perfectissima charitate Christo adhærent: sed non sunt de mundo, quibus nihil est commune cum ipso, sed, vt verbis vtar Gregor. Nazianz. Oratione 1. *Cum Angelis versantur ac licet adhuc in terris sint terram deserunt, atque à Spiritu collocantur sursum.* Imo vero & Seneca, epistola 41. talem virum optime describit, inquiens: *Si hominem videris, interritum periculis intactum cupiditatibus, inter aduersa facilem, in medijs tem-*

Ambros. Heb. 2. Psal. 33. Chrysost. Ioan. 17. Nazianz. Seneca.

*pestatibus placidum, ex superiori loco homines videntem, & ex ayn o Deum: nonne dices: Ista res, maior est altiorque, quam vt credi similis, in quo est corpusculo, possit?* Hæc ille. Rara res, & quæ paucis concessa sit, hæc est: quod homines, in corpore graui, & mortali, viuentes, quasi alieni à corpore, angelicam vitam, puram ab omni inquinamento carnis, & spiritus, habeant: quod in maris medio ambulantes, tranquillitate animi, ac securitate vitæ, extra vndas sint, iuxta mare ambulent, & in portu quiescant: quasi de illis dixerit sanctus Dauid: *Deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Iste enim est optatissimus sanctorum virorum in hac vita portus tranquillus. Aut tandem quarto, iuxta mare ambulabat Iesus, vt inde prospiceret Andream, & Simonem fratrem eius, mittentes rete in mare: & videns, misericordia motus vocaret eos ad Apostolatum: in quo iam non pisces maris piscarentur, sed homines caperent. & ad littus, & portum salutis æternæ intra fidei retia concluderent. Hos vidit Iesus, & per gratiam suam vocauit, vocatione sua sancta, & hamo verbi, ac virtutis suæ, de maris aqua ad terram, relictis omnibus, extraxit.

*Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum.* Duo præcipua Apostolorum munia, hoc loco designauit Dominus. Vnum est, venire post ipsum: alterum vero, piscatores esse hominum. Hæc est prima, & & magna Apostolorum dignitas, & gloria, quod ipsi sunt, qui sequuti sunt Dominum Iesum, pastorem suum oues: discipuli magistrum, ac præceptorem,
*Matth. 19.* strenui milites ducem. *Vos, qui sequuti estis me.* Petrus, & Andreas, Ioannes & Iacobus, ad vnam vocantis vocem, relictis omnibus, & in auditu auris obedientes, sequuti sunt Dominum Redemptorem: qui ad hoc venit in mundum, vt esset dux, ac præceptor, quem primo Apostoli, ac deinde omnes populi sequerentur quicumque ordinati sunt in vitam æternam. Hinc est quod Salomon in Prouerbijs, secundum aliam Lectionem, dicit: *Dominus creauit me, principium viarum suarum.*
*Prouerb. 8.* Quem locum Diuus Ambrosius libro tertio de Fide,
*Ambros.* capit. 4. explicat de Christo Domino, secundum In-

carnationem: sic enim creatus est, vt esset principium viarum Domini. Ideò enim carnem suscepit, vt ad cœlum nobis sterneret viam virtutum omnium. Principium itaque nostræ virtutis est Christus, & ex illo accepit virtus vnaquæque principium. Principium integritatis est Christus: qui docet virgines, integritatem animæ, & corporis, dicare Spiritui sancto. Vnde per Hieremiam dicit; *Voca me, Dux virginitatis meæ tu es*. Ipse enim primus verbo, & exemplo, illam docuit seruare, atque mirabiliter seruauit: qua ratione de Virginibus in Apocalypsi dicitur: *Virgines sunt, & sequuntur agnum, quocumque ierit.* Principium parsimoniæ Christus: qui *pro nobis pauper factus est, cùm esset diues*, vt nos doceret, omnes mundi diuitias contemnere, honores parui pendere, & paupertatem Christi in omnibus imitari. Principium humilitatis Christus: qui vt Paulus ait, *cùm in forma Dei esset, &c. humiliauit semetipsum vsque ad mortem, &c.* vt ab eo discamus, qui in omnib. fuit humilis corde, humilitatem, & obedientiam sectari, & abiecti esse in domo Domini, vt ab eo exaltemur, qui ab humilitate exaltatus est. Principium patientiæ Christus: qui tam patienter sustinuit opprobria passionis, & ignominiam crucis: &, cùm malediceretur, non maledicebat, sed sicut ouis ad occisionem ductus, non aperuit os suum: vt & nos ita faciamus, exemplo illius edocti qui vt sanct. Petrus dicit: *Passus est pro nobis, exemplum relinquens, vt sequamur vestigia eius, &c. &c.*

*Hier. 3.* *Apoc. 14.* *2. Cor. 8.* *Philip. 2.* *1. Pet. 2.*

Denique, vt idem Ambros. ait, in Psalm. 118. serm. 5. prius viam noui testamenti ingressus est, vt viam deuotionis sterneret nobis. Si ieiunamus, ante nos ille ieiunauit: si pro nomine eius sustinemus iniurias, prius ille sustinuit pro nostra redemptione: ascēdit crucem, vt doceret, mortem non esse metuendam: & ideo, quasi præcedens, ait Petro; *Tu me sequere*. Vt videamus, propriam esse, & primam Apostolorum dignitatem, sequi Christum. Propterea ergo sancti Apostoli Petrus, & Andreas, ardentissimi amatores sanctæ crucis Christi erant: quoniam ipsa reuera omnium sanctarum virtutum est principium, quas Apostoli, & sancti viri, & dis-

*Ambros.* *Ioan. 21.*

cere,& imitari solent, ac debent. *Puer natus est nobis*, ait per Esaiam: & subdit, secundum Literam aliam; *Cuius principium, super humerum eius.* Sic legit Ambros. in illo lib.3. de Fide cap.4. & subdit; *Principium hoc, crux Domini est: principium fortitudinis, quo via sanctis est reserata Martyribus, ad sacri certaminis passionem, &c.* Atque pari ratione dici potest principium humilitatis, & patientiæ, atque omnium virtutum, quas suo exemplo mirabili docuit nos Christus in cruce, vt omnes ad sui imitationem vocaret: incipiens ab Apostolis, & dicens, *Venite post me.*

*Esai.9.* *Ambros.*

Deinde subdit; *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Diuinus piscator, & primus, animarum, ambulans iuxta mare, hoc nitebatur ante omnia, hos homines capere potentiæ, & virtutis suæ hamo, vt de mari extractos, ex piscatoribus piscium, faceret animarum piscatores: sicut & sancto Petro, apud sanctum Lucam, dixit; *Ex hoc iam homines eris capiens.* Quemadmodum enim, teste Diuo Ambros. libro de Elia, & ieiunio, cap 19. *Mare non ad nauigandum fecit Deus, sed ad vtilitatem hominis, cui dominium datum est super pisces maris: ad escam ei mare datum est, non ad periculum*: ita etiam mihi videtur de hoc magno mari huius mundi: non ad periculum, & ruinam hominum datum est, sed ad escam: vt ex eo pisces spirituales capiant piscatores animarum, & hamo diuini verbi intra retia fidei concludant multos, atque ad Christum saluandos adducant. Per Hieremiam Dominus dicit; *Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos.* Vbi Origenes, Homil.12. & Hieronym. libr 3. Commentariorum, & Augustin. libro de vtilitate ieiunij, Apostolos intelligunt, quos Dominus misit, vt de profundo maris homines fidei retibus piscarent: similiter & Apostolorum successores, cæteros pastores, & Doctores Ecclesiæ, piscatores esse August. docuit, libro de Fide, & operibus, cap.17. piscatores, inquam, hominum, quos tanquam pisces de mari prendere habēt & ad Christi fidem, obedientiamque adferunt, è maris pelago ad terram vitæ æternæ, transmittentes.

*Luce.5.* *Ambros.* *Hiere.16.* *Origenes.* *Hieronym.* *August.* *August.*

Et vide, quàm rectè dicitur; *Piscatores hominum*: non diuitiarum, non dignitatum, non alicuius temporalis lucri: sed, hominum tantum piscatores esse vult, quos

ad Apostolicum opus Dominus elegit, & assumit: quéadmodum & ipse Dominus, eos, quos piscari voluit, Andream, & socios, relictis retibus, & naui, ad se adduxit, nudos, & ab omni rerum temporalium possessione liberos. Quasi diceret eis illud, quod Paulus postea iis, quos piscari conabatur, & ad sagenam Euangelij trahere: *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos* Bonorum no- 2. Cor. 11.
strorum non indiget Dominus Iesus: nec alia lucra quærit ex nobis, nisi nos ipsos, vt salui simus, gratia ipsius: & similiter ita facere vult piscatores suos, vt non quærant alia lucra, quàm animas hominum saluas facere, & ad agnitionem veritatis venire: non velint quæstum efficere opus pietatis, nec per occasionem Christum prædicent: sed rectè, & ex charitate, non quærentes, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, & quæ proximorum. Hoc enim est, esse piscatores hominum, quos relictis retibus, trahunt ad Dominum, capientes eorum animas, cætera verò omnia, quæ illorum sunt, despicientes. *Qui suscipit animas sapiens est*, ait Salo- Prouerb. 11.
mon: vel iuxta Hebræam Lectionem: *Capit animas sapiens.* Hic sapiens, Christus Dominus est: qui sua voluntate, & misericordia, animarum nostrarum curam suscepit, curam earum egit, suam ponens, vt eas à morte, & damnatione eriperet: quem Diuus Petrus meritò vocat, *Pastorem, & Episcopum animarum nostra-* 1. Pet. 2.
*rum.* Pro animabus nostris animam suam posuit diuinus hic pastor, qui animas amat, animas quærit, vt inuetas in æterna cœlorum Regna perducat Pastores, & Doctores suos, animarum piscatores esse vult, animas capere, non lac, & lanam: ouiũque magistros, non bonorum tẽporalium venatores, & aucupes. *Relictis*, ait, *retibus, & naui, sequuti sunt eum.* Benè profectò veniunt ad Christum Apostoli, relictis retibus, quibus morituros pisces capiebant: quoniam ad capiẽdas hominũ animas, aliis potioribus, & spiritualioribus opus habeant, quæ *Acceperũt ab illo retia verbi Dei* (ait August. ser. 148.) *miserũt in mundum tanquàm mare profun-* August.
*dum: ceperunt quantam multitudinem Christianorum cernimus, & miramur.* Retia enim Apostolica, non carnalia sunt, sed cœlestia, & diuina virtute, ac potentia, plena: retia fidei, etia Euangelij virtutis Dei, quæ in nomine

Domini per totum orbem laxanda erant in capturam electorũ. *Intrate, filiæ* (ait Ambros lib. 3. de Virginibus)
Ambros. *in Apostolorum retia, quæ non hominis authoritate, sed Dei voce laxantur. Rete enim spiritualis sapientiæ, atque doctrinæ, Regnum cælorum est.* Aut ideo, relictis retibus, quia Apostolorum prædicatio ad capiendas animas Domino, non indiget astutiæ retibus, non dolis, non deceptionibus, non blanditus: quæ omnia hostes Euangelij, aut vani homines, & arrogantes, inquirere solent.
Prouerb. 29. *Qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Mala retia, quibus inimici crucis Christi multos decipere solent insipientes, & capere, atque in sagenam mortis æternæ colligere. Non sic
1. Cor. 4. Paulus, qui ad Corinth. scribit: *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei: sed in manifestatione veritatis.* Doctrina mala blandis sermonibus irretire solet insipientes, ad decipiendas animas. Non sic sana Christi doctrina, &c.

Aut tandem *relictis retibus:* quoniam Apostoli, relictis omnibus, sequuti sunt Christum: similiter & omnes, qui ex toto corde ad ipsum conuertuntur, & nihil aliud lucrifacere in hoc mũdo desiderant, quam Chri-
Philip. 3. stum, cætera omnia despicientes, & quæ antea *existimauerant lucra*, postea *arbitrantes* cum Apostolo *propter ipsum detrimenta.* Væ illis, qui mundum deserentes, Christum sequuntur, nec tamen retia deserunt, sed deferunt potius secum, vt piscari possint maiores diuitias, aut honores, aut certè delitias, quas de mari sæculi capere non possent, existimantes quæstum, & lucrum, esse pietatem, & Religionis statum. Fœlicissimus planè Andreas Christi famulus, & dignus Deo Apostolus, qui retia omnia reliquit, sequutus Dominum Redemptorem, factus animarum multarum pastor, atque piscator, quas ad Christum mirabiliter traxit retibus verbi Dei: qui sibi nihil retinuit, non retia, non nauim, non aliqua alia mundi emolumenta: sed sola crucis gloria contentus, & in illa, exigua quidem, sed pretiosissima naui, & ligno pendens animam suam Deo commendauit, Deo reddidit: & vno iactu piscator hominum, cepit Christum magistrum suum, quem desiderabat toto corde, piscatus est Regnum

cœlorum, quod per crucem sibi dilectissimam obtinere meruit ab ipso Christo Domino. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, &c. Amen.

## DE SANCTO THOMA Apostolo.

### CONCIO.

*Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* IOAN. 20.

THomam interpretari *Abyssum*, Diuus Hieronymus, & alij planè docent. Et merito Christus Dominus, qui ambulauerat iuxta mare, & inde extraxerat sanctos, Apostolos, Andream, & Petrum, Iacobum, & Ioannem, quos vocauit, vt faceret piscatores hominum: idem ipse quasi in nouissimis abyssi ambulauit, quærens Thomam, & vocans ad se: vt per eum colligeret infinitum pene thesaurum hominum, super omnes Indiæ thesauros pretiosissimum, quem in cœleste gazophylacium reportaret, ac reconderet. De quo rectè per Salomonem dicitur: *A mari abundauit cogitatio eius, & consilium eius in abysso magna.* A mari enim abundauit cogitatio eius, quando ex abundanti misericordia sua cogitauit, & decreuit, vocare sanctos Apostolos, Andream, & socios, ad culmen Apostolatus: consilium autem eius fuit in abysso magna, quando secundum consilium voluntatis suæ Thomam vocauit, elegitque ad idem Apostolatus officium, velut abyssum magnam, in qua reperiret absconditos thesauros omnium animarum, quas ille, prædicans Euāgelium Christi, lucratus est Domino: ita vt possimus etiam hac ratione dicere de illo cū Dauid: *Ponet in thesauris abyssos.* Hāc abyssum magnā Deus in thesauris Apostolicis posuit, quādo Thomā Apostolū posuit in Ecclesia, vt per eum Indorū Prouincias ad fidē catholicā conuerteret,

Hieronym. Eccle. 24. Psalm. 32.

& participes donorum Spiritus sancti efficeret. Nam, vt SS. Patres, Gregorius Nazian. Oratione. 25. ad Arianos. Hierony. epist. 148. ad Marcellam, Ambros. in Psalm. 45. & alij docent, Thomas Apostolus Euangelium Christi per Indorum prouincias latissime propagauit: ex quibus quasi infinitam quandam hominum abyssum ad fidem eius vocauit, & traxit, vt adimpleretur, quod S. Dauid dixit: *Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.* Vbi D. Aug. ait, *Omnis homo, licet iustus, licet sanctus, licet in multis proficiens, abyssus est: & abyssum inuocat, quando homini aliquid fidei, aliquid veritatis, propter vitam æternam prædicat: sed tunc est vtilis abyssus, abysso vocante quando fit in voce cataractarum tuarum; Abyssus abyssum inuocat, homo hominem lucratur, non tamen in voce sua, sed in voce cataractarum tuarum.* Hæc ille. Si ergo quicunque prædicator fidei euangelicæ, abyssus est, & alios homines, vt abyssos, sua prædicatione inuocat, & vocando ad fidem, trahit eos ad Christum: quanto potius hoc conuenit Beato Apostolo Thomæ, qui dicitur *Abyssus*, & qui innumerabiles populos vocauit ad salutem? Aut certè, *Abyssus abyssum inuocat*, hoc facto Apostoli Thomæ: in quo abyssus iste caligine profunda plenus, cœlesti lumine illustratus, abyssum profundissimã diuinitatis in Christo inuocauit, & ad se vocauit intus in mentem suam, credens in eum, & prædicans mirabilia ipsius. *Inuocamus enim Deum, vt sciamus*, ait August. lib. 1. Confess. cap. 1. *Quæram te, Domine, inuocans te, & inuocem te, credens in te. Inuocat te, Deus, fides mea, quã dedisti mihi, &c.* *Profundum abyssi penetraui*, ait Salomon Quod de se ipso etiam rectè Thomas poterit affirmare. Profundissimum enim diuinitatis, quæ est in Christo, inuestigauit, & penetrauit: ac cæteris fidelibus viam aperuit, per quam & ipsi possint hoc profundum abyssi, hanc altitudinem diuitiarum Sapientiæ Dei penetrare, & credendo inuocare, & ad se intus vocare: vt adimpleatur quod per Osee Prophetam dicitur, *Me inuocabunt Deus meus, cognouimus te.* Iam enim non Thomas solus, sed quicunque fidelium in Ecclesia Christi, in eum credens, eum inuocat, & voce confessionis, in voce Apostolorum, & Prophetarum, quasi in voce cataracta-

*Nazian.* *Hieron.* *Ambros.* *Psal. 41.* *August.* *August.* *Eccle. 24.* *Osea. 8.*

rum

rum cœlestium, clamat; *Dominus meus, & Deus meus.* Ipse, quia vidit, credidit; quamuis aliud viderit, & aliud crediderit (Hominem enim vidit, & Deum, ac Dominum credidit, & inuocauit, vt August. dicit, tract. 79. in Ioannem:) cæteri autem fideles, beati, qui non viderunt, & crediderunt. *August.*

Aliqui SS. Patrum existimant, Thomam Apostolum non dubitasse tam obnixè de Resurrectione Christi Domini: neque ex incredulitate, & duritia cordis, tam curiosè, & obstinato animo dixisse; *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, etc. non credam*: sed omnia fecisse, atque dixisse, ex zelo quodam fidei ardentissimo, & deuotione ad Christum, vt facilem redderet in animis cæterorum Resurrectionis fidem, & arcanum diuinitatis mysterium in Christo à sæculis absconditum. Vnde Petrus Chrysologus, sermone 84. sic dicit; *Thomas non solùm cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ fidei astrueret sacramentum, exequutor strenuus perquirebat. Certè prophetia magis quàm cunctatio fuit.* Apertius verò D. Augustinus, sermone 156 & 161. de Tempore, ait; *Thomas ergo, cùm esset sanctus, fidelis, & iustus, hæc omnia solicitè requisiuit: non quòd ipse aliquid dubitaret, sed vt omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam suffecerat illi ad fidem propriam, vidisse, quem nouerat: sed nobis operatus est, vt tangeret: quem videbat: vt, si forte diceremus delusos esse oculos, non possemus dicere, manus illi fuisse frustratas. In Resurrectionis enim manifestatione, de aspectu ambigi potest: de tactu non potest dubitari. Cum igitur suam exercuit solicitudinem Thomas, fidem omnium cõfirmauit. Nisi videro in manibus eius, &c. non credam. Quàm bona ignorantia* (ait August.) *quæ erudiuit ignaros, quæ instruxit incredulos! quàm bona infidelitas, quæ sæculorum fidei militauit! Nisi videro,* inquit, *in manibus, &c. Vox ista inquirentis est, non negantis: doceri voluit, confirmari desiderauit. Ideo Dominus ad eum ita ait; Infer digitum tuum huc: & affer manum tuam. Dum benignum præbet pietas, & veritas moderata responsum, in Apostolo suo non dubitationis vitium, sed solicitudinis instruxit affectum. Vnius interrogatio, vniuersitatis est instructio.* Hactenus ex Aug. Sed quamuis ita loquutus sit in ijs locis, multò *Chrysolog.* *August.*

aliter loquitur, Homil. 34. de Verbis Domini Tractat. Chrysost. 121. in Ioan. Chrysostomo. 3 serm. 2. de Resurrect. & in Cyrillus. Ioann. Homil. 86. Cyrill. lib. 12. cap. 57. Gregor. Homil. Gregor. 26. Euangeliorum, & alij. Docent enim, hunc beatissimum Apostolum, eo tempore dubium, & incredulum reuera, fuisse de mysterio Resurrectionis Christi Domini, & in abyssum quandam obscuritatis, ac cæcitatis Genes. 1. deuenisse. *Tenebræ erant super faciem abyssi*: ac propterea noluisse credere, nisi prius videret in ipso, & tangeret manibus, signa, & loca vulnerum. Et hoc significant illa verba Euangelij; *Nisi videro, &c. non credam*: & verba Christi ad ipsum; *Mitte in latus meum, & noli esse incredulus.* Quòd si Discipuli cæteri, increduli fue- Marc. 16. runt, & increpatione digni, vt ex Euangelio Marci constat; *Increpauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis*: quanto magis iste Thomas, abyssus cooperta tenebris, & obstinatione, incredulus fuit, tardus corde, & durus ad credendum admirabile Resurrectionis Do- Chrysost. minicæ sacramẽtum? Fuit profectò dubius, &, vt Chrysostomus ait in illo serm. 2. de Resurrectione, *Pene suffocatus perfidiæ laqueo*: sed culpam suam agnouit, pœnitentiam egit, & prostratus pedibus Saluatoris, lamentabiles gemitus fudit: *Dominus meus*, inquit, *& Deus meus.*

August. Diuus August. in Psalm. 76. insinuat; & clarius mul- Chrysost. tò id docet Chrysostomus, tomo 3. Homil. quadam de Trinitate: in hoc facto Apostoli Thomæ adimpletũ es- Psalm. 76. se id; quod Sãctus Dauid dicebat: *In die tribulationis meæ, Deum exquisiui manibus meis, nocte contra eum, & non sum deceptus.* Dies Resurrectionis Christi Domini, qui cæteris Discipulis, qui, licet tarde, crediderunt, fuit dies Ioann. 20. exultationis, & lætitiæ (*Gauisi sunt enim viso Domino*) Thomæ Apostolo, qui non erat cum eis, quando venit Iesus, non fuit gaudij; sed mœroris, sed tribulationis, & angustiæ: quia incredulus erat, quia obstinato animo, quia alienatus à Christo, ob ignorantiam, quæ erat, in illo, propter cordis cæcitatem, qua laborabat. Amabat, ille Dominum, & Magistrum, quem viderat passum, & mortuum: &, quia viuum non videbat, nec credere volebat: tristis incedebat ( Quod optimis verbis Cyrill. expendit, & dicit, Cyrill. lib. 12. cap. 57.) & conturbatus,

ſolus, & afflictus, atque in ſumma tribulatione conſtitutus. Nam diligentibus Deum, & deſiderātibus Chriſtum, illa tribulatio omnium maxima eſt, à Chriſto ſeparatos ſe cernere, & ſine illo eſſe in hoc mundo. Non eſt illis tribulatio magna, ſine bonis temporalibus eſſe, ſine honore, ſine ſalute corporis. Omnia enim iſta leuia illis ſunt, ſicut Paulus dicebat; *Quod momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ. Reſpiciunt enim ad incredibilia, & cæleſtia præmia*, ait Origen. libr. 6. contra Celſum, & Chryſoſto. libr. 1. de Compunctione cordis, *& propterea omnes eiuſmodi tribulationes, momentaneas, ac leuiſſimas reputant*, & quæ vix, mereantur tribulationes appellari. Illa verò eſt hominibus tribulatio (ait Auguſt. in Pſalm. 45. circa illa verba, *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis*) & magna tribulatio, quæ ad interiorem animæ conſcientiam attinet: ſi in ea Deus non eſt, & requies non eſt. Nam ſi ſana ſit interior hominis conſcientia, vbicunque alibi paſſus fuerit homo tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum adiutorem. *Cùm ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, &c.* Si verò perturbata ſit intus conſcientia, & ſine Deo; atque eius adiutorio, propter delicta, atque animi cæcitatem, & cordis duritiam: tunc profectò tribulatio magna eſt, & nimia, dicente Salomone: *Semper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia*. Et Seneca epiſt. 43. *Mala conſcientia*, inquit, *etiam in ſolitudine anxia eſt, atque ſolicita*. Anima ſine Chriſto, ſine refugio, ſine fortitudine, plena eſt tribulationibus magnis, & verè miſera. *Tribulabo homines*, ait Dominus per Prophetam, *& ambulabunt vt cæci: quia Domino peccauerunt*: & Paulus: *Tribulatio, & anguſtia, in animam hominis operantis malum*. Patitur enim tribulationes multas: & quia intus in anima Deum non habet ſecum adiutorem, anguſtiam ſimul habet, & afflictionem, qua vehementer cruciatur. Non ſic ſancti, & amici Dei, vt docet Orig. lib. 2. in epiſtol. ad Roman. ſed in tribulationibus dilatantur corda eorum, & lætantur, propterea quod Deum habent adiutorem, atque conſolatorem. *In omnibus tribulationem patimur* (ait Paulus) *ſed non anguſtiamur*. Licet enim exterior illorum homo patiatur, tribulationem ſuſtineat; tamen interior cordis homo con-

[Margin notes: 2. Cor. 4. — Origenes. Chryſoſt. — Auguſt. Pſalm 45. — Pſalm. 90. — Sapient. 17. Seneca. — Sophon. 1. — Roman. 2. — Origenes. — 2. Cor. 4.]

ſolatur, dilatatur, renouatur potius quotidie præſentia Dei, atque illius adiutorio.

Thomæ nulla maior tribulatio eſſe potuit, quàm de Chriſti Reſurrectione atque præſentia, incertum eſſe, & ab eo ſe alienatum, ac ſeparatum cernere. Sciebat enim optimè id, quod poſtea docuit Ignatius, epiſtola 15. ad Roman. quòd *Vita ſine Chriſto, mors eſt.* Mors certè omnium maxima, & ſupra quam credi poſſit, terribilis, & formidanda, ſeparatio animæ à Verbo Dei. *Quid eſt ſeparatio à Verbo?* ait Auguſt, libro Soliloquiorum, cap. 5. *Si hoc quæris, audi, quid eſt Verbum. Ego ſum via, veritas, & vita. Separari ergo à Verbo, eſt, eſſe ſine via, ſine veritate, ſine vita:* Sine via eſt, qui erat in inuio, & non in via: ſine veritate, qui viam veritatis non eligit, ſed adhæret mendacio: ſine vita, qui per peccatum mortuus eſt, & Deo non viuit, ſeparatus ab eo in malum. In hac igitur magna tribulatione erat Thomas, alienus à Chriſto, & ſine vita rectæ ſalutis, ſine veritate incredulus, ſine vita velut mortuus. *Deum,* inquit, *exquiſiui manibus meis.* Deum quæſiuit curioſè, & ſolicitè, atque affectuoſè inueſtigauit in illa carne Chriſti, digitis, ac manibus, tangendo, palpando, & videndo, clauorum, & vulnerum loca, ita vt manum mitteret in latus eius, vt inueniret in eo Deum, & Dominum ſuum: &, quia dubius erat, & incredulus, quando acceſſit, & tenebris ignorantiæ quaſi cæcus, ideo dicit; *Nocte contra eum,* vel, *coram eo.* Propterea quaſi cæcus manu tentabat, vt quod oculis non poterat, manibus inueniret. Vnde ſubdit; *Et non ſum deceptus.* Non eſt deceptus, à quo infuſa luce ſecuritatis, & veritatis, omnes dubietatis, & incredulitatis tenebræ diffugerunt. Non eſt deceptus, qui Deum, quem quærebat, inuenit, & pulſanti ad oſtium lateris eius, apertum eſt, intrauit, & vidit, ac credidit, & fidelis effectus eſt diuinitatis Chriſti aſſertor, & Reſurrectionis eius prædicator.

D. Ignat.

Auguſt.
Ioan. 14.

*Reſpondit Thomas, & dixit ei*: haud dubiè in voce exultationis, & confeſſionis; *Dominus meus, & Deus meus.* Non admirantis, & expaueſcentis hæc vox eſt, vt aliqui falſo intellexerunt, ſed credentis, & planè confitentis, Deum eſſe in Chriſto, & in eo habitare omnem plenitudinem diuinitatis, atque Dominum cœli & ter-

ræ, & vniuersæ creaturæ, illum esse. *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.* Thomas enim, qui abyssus interpretatur, & abyssus ignorantiæ, ac cæcitatis extiterat, manum suam extendit, leuauitque, vt latus dextrum Christi Domini tangeret. *Dextrum enim latus sibi propter me passus est fodi*, ait Bernardus, sermone 7. in Psalm. 90. *quòd videlicet non nisi dextera mihi propinare vellet, non nisi in dextera locum parare refugij.* In hoc latus apertum misit manum suam, & statim in abyssum, & altitudinem sapientiæ, & scientiæ, commutatus, vocem illam magnam, fide, & confessione plenam dedit; *Dominus meus, & Deus meus. Paratissimus ad confessionem fuit*, inquit Cyrillus, libr. 12. cap. 59. *qui paulò ante tardior videbatur: & cum fixuras clauorum, & ipsum Domini latus apertum vidit, ac tetigit, animus illico Thomæ ab omni ambiguitate liberatus confirmatur, &c.* Huius abyssi magnæ vocem, tanquam vocem aquarum multarum, etiam insulæ, quæ procul sunt, audierunt: & huius altitudinis manus, illuc vsque eleuatæ sunt, & extensæ ad prodigia, & signa facienda, in testimonium certum vocis euangelicæ, quam illis dabat. *Dedit* enim per illum Deus *voci suæ, vocem virtutis*, dum, quæ verbis docebat mysteria fidei, voce virtutis miraculorum, & manu sanctorum operum confirmabat. Videor enim mihi cernere in Apostolo Thoma completum id, quod Esaias multò antè prædixerat; *Ponam in eis signum: & mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam.* Posuit enim Dominus in Apostolo Thoma, qui hodie saluus factus est, videns, & tangens vulnera Domini, signum salutis nostræ: missusque est ad gentes in mare, ad Indos, & insulas, quæ longè erant, vt qui non audierant de illo, nec viderant gloriam diuinitatis, & humanitatis eius, audirent vocem huius abyssi magnæ, vocem aquarum viuentium, & multarum: & eleuatam manum virtutis viderent, quæ tactu lateris dextri Domini, haurire meruit fluenta diuinæ sapientiæ, ad illuminandam, & irrigandam maximam orbis terræ partem: ad quam lux euangelica, & aqua sapientiæ salutaris, voce ac manu huius sancti Apostoli, delata est: quasi ad

Abacuc. 3.
Bernard.
Cyril.
Psalm. 67.
Esai 66.

Esai. 13. Thomam dixerit Dominus per Esaiam, tanquam abyssum hanc magnam? *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum.* Super montem caliginosum, & infidelitatis nocte, ac tenebris obscuratũ, leuauit, vexilla sanctæ crucis, & signum Filij hominis, sanctus Thomas: quando, etiam vsque ad remotissimos, & barbaros Indorum populos, exaltauit vocem prædicationis euangelicæ, & manum leuauit ad signa, & prodigia facienda, & ad opera sanctitatis, & exempla admirandæ virtutis exhibenda, ita vt Christum, quem Dominum, ac Deum suum confessus fuerat, infinitis ferè gentium nationibus annuntiauerit, quas ad Christi fidem, amoremque vocauit, & traxit; propter quos dicitur in Euangelio; *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Thomas enim eis annuntiauit, quod viderat, & manu contrectauerat de Verbo vitæ: ipsi verò quod non viderunt oculis, corde crediderunt, & ore confessi sunt: & ideo beati, ac multo ditiores, fide Christiana, quàm vniuersis Indiæ thesauris. Infinitus enim quidam thesaurus est hominibus, quo participes efficimur amicitiæ Christi Domini nostri. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, &c. Amen.

# DE INCARNATIONE Verbi.

## CONCIO PRIMA.

*Ecce concipies in vtero, & paries filium.* LVCÆ. 1.

PRIMVM opus, inter cardinalia, & præcipua IESV Christi, Incarnationis mysterium est: opus planè diuinum, & mirabile, quod Spiritus sanctus in vtero Virginis, summa omnipotentia sua, ac singulari sapientia, operatus est: & de quo meritò à Salomone dictum est: *Plenum est gloriæ Domini, opus eius* Plenum profectò gratiæ, & veritatis. Nam ex quo per Incarnationis opus, Verbum vnitũ est carni, vnione personali, in Christo; *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* vt Paulus inquit. *Corporaliter* autem dixit, quemadmodum ex Augustino, epist. 57. ad Dardanum, explicat D. Thomas, 3. p. q. 2. art. 10. ad. 2. quia diuina natura vnita est personaliter, non solum animæ Christi, sed etiam corpori. Et, quod olim per Hieremiam dictum erat à Domino: *Cælum & terram ego impleo*: multo excellẽtius per Incarnationem completum est: in qua ipsum Dei verbum in Christo, & animam, & corpus, tanquam cœlum nouum, & terrã nouam mirabiliter adimpleuit.

*Eccli. 42.* *Colos. 2.* *Augu. & D. Thom.* *Hiere. 23.*

Hoc mirabile opus nostræ salutis, mirabiliter etiã enarrat nobis. S. Lucas Euãgelista, cũ inquit: *Missus est Angel⁹ Gabriel à Deo, &c.* Esset penè infiniti laboris, singulas

Euangelij particulas adnotare: quæ, licet plurima contineant sacramenta, fere omnia, à sanctis Patribus adnotata sunt. Quærit autem Athanasius q. 17. ad Antiochũ quare sexto mense, nempe mense Martio, missus sit Angelus Gabriel ad Virginem, & in vtero eius clausus, habitare cœperit Deus noster, veniens in terram. Et respondet: quia eodem mense, à principio mundi, creauit Deus primum hominem, ac cæteras creaturas. Atq; adeò, quemadmodum illo mense videmus omnes arbores, & cętera vegetabilia, atq; animalia omnia, ad proferẽdos fructus, liberos procreãdos, excitari & cõmoueri, tanquam à Deo hoc tempore creata, sic etiam cõuenientissimum fuit, vt eo ipso tẽpore Deus Pater Filiũ generaret secundum carnem in vtero Virginis, quẽ sine tempore secundum Deitatem genuerat ex suo vtero, sibi coæternũ, & cõsubstantialẽ. Potuisset saneDeus Pater dicere illud Esaiæ: *Si ego, qui generationem cæteris tribuo sterilis ero?* Quem locum, & de diuina, & de humana generatione Christi, possumus intelligere. Similem rationem colligere possumus ex Irenæo, lib. 5. cõtra Valentinum: vbi docet, propterea Filium Dei eo mense incarnatum, & passum esse, quoniam eodem mẽse Adam, primus homo, conditus est, per peccatum inobedientiæ mortuus, quẽ à peccato liberare, ac redimere venit in mundum ipse Dei Filius.

*Athanas.* *Esai. 66.* *Irenæus.*

*Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Animaduertẽdũ est quemadmodum ipse Angelus intrauit ad Virginẽ quã in cubiculo orantem, aut scripturas legentẽ, inuenit. Ipsa autem Virgo beata neq; ad Angelũ egressa est foras: vt exemplo suo doceat, virgines, & honestas mulieres, vix, aut nunquã, in publicũ prodire: semper autẽ cubiculi secretum amare. Sancta, & castissima Iudith, clausa morabatur, & *secretum cubiculum fecit sibi* (vt Scriptura dicit) *in quo clausa moraretur.* Cæcilia virgo, orans in cubiculo cum Angelo reperta est. Discant honestæ virgines quod Hieronymus dicit, instruens virginẽ quandã, epist. 12. Ad Gaudentiũ, cap. 3. *Nec liberius procedat ad publicũ, nec sẽper Ecclesiarum quærat celebritatẽ: in cubiculo suo totas delitias habeat.* Et in epist. 22. ca. 11. Eustochium virginẽ sic docet: *Semper te cubiculi tui se-*

*Iudith. 8.* *Hieronym.*

*creta custodiãt: semper tecũ spõsus ludat intrinsecus. Caue, ne domũ exeas, & velis videre filias regionis alienæ, quãuis fratres habeas Patriarchas, & Israel parẽte lęteris. Dina, egressa corrũpitur. Nolo te sponsũ quærere per plateas: nolo te circuire angulos ciuitatis. Zelotypus est Iesus: nõ vult ab aliis videri faciẽ tuã. Foris vagẽtur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cũ spõso, &c.* Hactenus Hieronym⁹. Et fortassis ea etiã de causa Apostolus, castè viuẽtes, dicit esse tẽplũ Spiritus sancti: vt discãt honestę virgines, tẽplum Dei se esse, in quo possint orationi, atque lectioni, assiduè vacare & a quo nõ possint nisi rarò, & iusta necessitate, aut pia proximorũ vtilitate in publicum exire. Meritò proinde grauiter reprehẽdit Apostolus vagas illas mulieres, & garrulas, & quietis impatientes, de quibus ad Timoth. dicit: *Simul autẽ & otiosæ discũt circuire domos: nõ solũ otiosæ: sed & verbosæ, & curiosæ, loquẽtes quæ nõ oportet.* Certũ est enim, eiusmodi fœminas, nec honestas esse posse, neque deuotas, aut bene compositas: sed in maximo periculo versari amittendi pudicitiam, honorẽ, & verecundiam, imo verò & æternam salutem. Eiusmodi mulieres parùm compositas, passim his nostris miseris temporibus videmus, quod maximè profectò dolendum est, &c. 1. Cor. 3. & 6. 1. Tim. 5.

*Aue gratia plena, Dominus tecũ.* Plenam gratia vocat quoniam Spiritus sanctus in eam, omnem plenitudinẽ gratiarũ, virtutũ, ac donorum, quasi sine mensura, largissime effudit, quemadmodum copiosè D. Tho. ostẽdit 3. p. q. 27. art. 5 & confirmat testimonio B. Hieronymi, sermone de Assumptione Virginis, vbi inquit: *Bene gratia plena: quia cæteris per partes præstatur: Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ, &c.* Quapropter aptissime couenit Mariæ Virgini illud Eccli. *In me omnis gratia:* quoniam omnia genera gratiarum, quæ in sanctis omnibus, pro sua liberalitate, partitus est Spiritus sanctus, copiosissime, & in summo quodam gradu, collecta sunt: &, post Christum, nemo sanctorum eam gratiæ plenitudinem obtinere potuit, quam illa obtinuit. Itaque quemadmodũ Christus plenitudinẽ gratiæ obtinet, tãquã naturalis Filius Dei, & caput, atque fons totius gratię, de cuius plenitudine omnes accipiũt gratiã pro gratia: sic etiam, suo modo, beatissima Virgo, tanquam vera mater Dei, habet tantam plenitudinem gra- D. Thom. Hieronym. Eccle. 24.

tiæ, post Christum, quantã nulla alia creatura obtinere potest. Et sicut Esaias dicit de Christo, quod *requiescet super eum Spiritus Domini*: quasi diceret, quod ibi sistet, & non procedet amplius, in infusione gratiarum Spiritus sãctus (quia vltra infinitam gratiam, quã anima Christi habet ex vnione ad Verbũ, nulla potest infundi aut esse maior in ratione gratiæ) sic ętiã & in beatissima Virgine Spiritus sanctus requieuit, implẽs eam gratia, & quasi nõ procedens amplius: quoniam, supra omnes creaturas, gratiæ suæ plenitudine eã dotauit, & exornauit. Quare in Ecclesiasticodictum est ab Spiritu sancto. *In ciuitate sãctificata similiter requieui.* Quasi dicat Spiritus sãctus quòd quemadmodũ in Christo requieuit, quia nõ potest maior gratia Spiritus sãcti excogitari, quã illa quæ sine mẽsura est in anima Christi: ita, similiter requieuit in anima sacratissimæ Virginis (quæ meritò appellatur ciuitas Dei: in cuius vtero, tanquã in ciuitate sanctificata, Filius Dei nouem mensibus habitauit, quando carnem assumpsit, & habitare dignatus est in nobis) quia omnem plenitudinem gratiæ illi contulit: neque vnquã alicui creaturæ, non solum maiorem, sed neque etiã æqualẽ, aut contulit, aut donabit in posterũ. *Decebat enim* (vt Anselmus dicit, libro de Cõceptu Virginali, ca. 18. *vt illa beatissima Virgo, tanta puritate niteret qua maior sub Deo nequit intelligi.* Propterea etiã ei dixit Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te*: quia in infusione plenitudinis gratię abũdantius quam in omnes creaturas descendit Spiritus sanctus in animam Virginis: super quam, vt diximus, requieuit.

*Esai. 11.* *Eccli. 24.* *Anselm.*

Sed dices: Si plena erat gratia Spiritus sancti beatissima Virgo, quomodo Angelus dicit, eam inuenisse gratiam apud Deum? *Ne timeas* (inquit) *Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum.* Nam si plena erat gratia, quæ potest esse alia gratia, quam de nouo inuenit apud Deũ? Dico maxime consequenter Angelus affirmat, Mariam, quæ plena erat gratia, postmodũ inuenisse gratiã apud Deum. Nam per primam plenitudinem gratiæ, disposita est ab Spiritu sancto, & digna facta, vt Dei Filium, tanquam vera eius mater, in vtero conciperet. Quare non simpliciter dicit, eam *inuenisse gratiam*: sed *inuenisse gratiã apud Deũ.* Vbi, nomine gratię, intelligit ip-

ſum Filium Dei: de quo Paulus dicit: *Vt gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Quo loco, ipſum Chriſtum vocat, gratiam Dei, vt D. Thom. ibi explicat lectio. 3. vel quia eſt fons totius gratiæ, vel quia ex ſola gratia Dei datus eſt nobis. Hæc autem gratia apud Deum erat, ſicut Ioannes Euangeliſta dicit *Verbum erat apud Deum.* Erat enim apud Patrem, & in ſinu illius, hæc ſumma gratia, & infinita ſapientia: nec inueniebant illam, etiam ſancti Patres, quorum erat illa vox apud Iob, *Sapientia vbi inuenitur?* Sola igitur beatiſſima hæc Virgo Maria ita fuit gratia plena, & ab Spiritu ſancto in eam nouo, & admirabili modo, ſuperueniente præparata, & exceſſit omnium Sanctorum merita, vt inuenire meruerit Dei Filium apud Deum Patrem, & ex ſinu illius trahere in ſinum virginalis vteri ſui. Ipſius Virginis vox videtur, illa Canticorum: *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Propterea enim inuenit Filium Dei, quem diligebat, & deſiderabat: quia ſupra omnes homines, & vniuerſos angelos, gratia, & meritis, & dignitate excellentior fuit, & ſanctior, atque omnes illos longiſſimo interuallo ſanctitatis pertranſiuit. Sed ipſa Virgo, quæ quanto ſanctior, tanto humilior erat, paululum ſe eos pertranſiſſe dicit: quia humillime ſentiebat de ſe ipſa, & minorem ſe omnibus reputabat, &, vt verbis vtar Eccleſiaſtici, *Quanto magna erat, humiliabat ſe in omnibus,* & ideo, *coram Deo inuenit gratiam.* Inuenit, inquam, gratiam increatam, Verbum Patris, Filium Dei, quem de ſpiritu ſancto concepit in vtero, vt ipſa mater eius gratificaret etiam nos Deo, in dilecto Filio ſuo.

Hebræ. 2.
D. Thom.
Ioan. 1.
Iob. 28.
Cant. 3.
Eccle. 3.

Propterea conſequenter dicit ei Angelus: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium.* In vtero, dicit: vt intelligamus, conceptionem illam opus fuiſſe, non virtutis naturæ, ſed gratiæ Spiritus ſancti, qui & Virginem ſeruauit integram, & fecit veram matrem Dei & hominis Ieſu Chriſti. Propterea enim, quemadmodum docet Leo Papa ſerm 4. de Natali Domini, *Deus matrẽ elegit, quæ ſaluâ integritate virginea, corporeæ eſſet tantũ miniſtra ſubſtantiæ, vt humani ſeminis ceſſante contagio, nouo homini & puritas ineſſet, & veritas. Non in Chriſto, ex vtero Virginis genito, quia natiuitas eſt mirabilis, ideo eſt natura*

Leo Pap.

Psal 138. *dissimilis, &c.* In Psal. 138. vbi nos legimus: *Imperfectum meum viderunt oculi tui* legit D. Amb. *Inoperatum meum* Ambrosi. *viderunt oculi tui*, lib. de institutione Virginis, cap. 16 tanquam verba Filij Dei ad Patrem sint, qui dicat: opus mirabile Incarnationis eius non esse operatum ab homine, sed à Spiritu sancto superueniente, in vtero Virginis formatum. *Inoperata ergo est caro Christi* (ait Ambrosi.) *quam vt, Maria Virgo conciperet, inusitato quodam et nouo Incarnationis mysterio, sine vlla virilis seminis admixtione, diuinæ gratia dispositionis, quod erat carnis assumpsit ex Virgine.* In hoc ergo vtero Virginis facta est illa mirabilis vnio humanæ naturæ ad Verbum diuinum in Christo, in quo simul habitauit omnis plenitudo gratiæ & veritatis, tanquam in fonte, ac capite omnium gratiarum. De qua vnione intelligi potest, quod dici-
Psal. 70. tur in Psalmo, *In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.* Sic enim intelligit Ter-
Tertullia. tullianus, libro de Carne Christi, cap 20. & alij sancti Patres, atque interpretes sacræ Scripturæ, simul cum
Psal. 21. illo Psal. *Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me, &c.* quamuis enim sua diuina prouidentia, Deus, & paterna cura, omnes homines suscipiat ex vtero matris, & perpetuo gubernet: maxime vero sanctos, & electos suos: sicut Paulum, quem segregauit ex vtero matris suæ, & tam mirabiliter vocauit per gratiam suam: & cæteros, qui-
Psal. 138. bus conuenit illud Psalmi: *Suscepisti me de vtero matris meæ*: soli tamen Christo, & singulari modo, ista conueniunt. Nam solus ille per illam mirabilem vnionem, & incarnationem, in Deo confirmatus est ex vtero, & tanta firmitate vnita eius humanitas personæ Verbi, vt ab ea nunquam discesserit, & quod semel assumpsit, nunquam dimiserit, vel dimittere possit. Tanto etiam impetu, & vi Spiritus sancti, proiectus est in Deum homo ille, & tanto fœdere copulatus, vt quemadmodum anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vna tantum sit persona Christi. Neque vero in sola conceptione Christi in vtero Virginis hoc est mirabile: sed etiam in ipso partu, quo sacratissima Virgo peperit filium. Tunc enim solus Deus

extraxit illum de ventre matris, salua, & integra virginitate, vt August. exponit epist. 120. c. 12. Et in ipso Deo personaliter manens vnitus per Incarnationem, posteà in partu Virginis, eadem diuina virtute proiectus est ex vtero in terram, & mirabiliter natus. Itaque nec virtus naturæ, nec dolores parturientis, nec tempus nouem mensium, extraxerunt Christum ab vtero Virginis, sed sola virtus Altissimi, & gratia Spiritus sancti, iuxta quod dicit Esaias. *Antequam parturiret, peperit: & antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile?* Neque etiam mysterio vacat, quod Christus natus ex Virgine, dicatur proiectus ex vtero: quin potius commendat nobis summam eius humilitatem, qua nostri causa, Filius Dei humiliari voluit, non solum vsque ad vterum Virginis, sed etiam vsque ad stabulum & præsepe, & vsque ad mortem & crucem, factus opprobriũ hominũ, & abiectio plebis. Tanti nos æstimauit Deus, tantum amauit: vt propter nos homines, & propter nostram salutem, filium suum inclytum proiecerit de cœlo in terram: & eum, qui cœlum & terram implet, angusto Virginis vtero concluserit: & de ventre illius mirabiliter extractum, nouissimum virorum fecerit & minorem omnibus: quasi diceret Deus vnicuique nostrum, id quod olim Samueli dicebat: *Ne respicias staturam eius, quoniam ego abieci eum.* Sed hæc Christi abiectio vehementer nos ad humilitatem prouocat, & ad Dei amorem incitat. Quis enim hominum, quantumuis magnus, non se humiliet in omnibus: cum videat Dei Filium, in carne humiliatum, non solum vsque ad terram sed etiam vsque ad mortem, mortem autem crucis? Quis non ardentissime diligat Christum, qui cum in forma Dei esset æqualis Patri, ita se abiecit propter nos in forma serui, vt in ea non esset ei species, neque decor? Bene profecto dixit August lib. 50. homiliarum, hom. 36. *Attendite, quomodo amemus. Sponsus, quanto magis deformis nobis commendatur tanto charior, tanto dulcior factus est sponsæ, &c.* Et D. Bernard. serm. 1. de Epiphania. *Quanto minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est.*

August. Esai. 66. 1. Reg. 16. August. Bernard.

*Exod. 4.* Præcepit dominus Moysi, in Exodo, vt sumeret aquam fluminis, & effunderet super terram: quæ tota mirabiliter versa est in sanguinem. Cuius rei mysterium insinuat Cyrillus, libr. de Incarnatione Vnigeniti, cap. 26. sed aliquãto diffusius volo illud explicare. Docet ex professo. D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 20. & multis locis sacræ Scripturæ confirmat, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse fluuium, siue flumen, aquæ viuæ. Quod etiam colligi potest ex illo Psalmi: *Flumen Dei repletum est aquis*, quia Deus, qui flumen diuinum est, plenus est diuinitate, omnipotentia, & vita: imo vero est tota ipsa plenitudo Deitatis. Quid ergo est, sumere aquam fluminis, & effundere super terram: nisi quod in mysterio Incarnationis, & Natiuitatis Christi, factum est quod Filius Dei assumptus de sinu Patris, & incarnatus, effusus sit in vterum Virginis, & per natiuitatem proiectus in terram, quemadmodũ ipse etiam dicebat in Psalmo: *Sicut aqua effusus sum?* Quia sicut ex aqua effusa super terram, resultat lutum: ita ex humanitate & diuinitate, in Christo resultat homo & Deus, in vnitate personæ, quasi quoddam diuinum lutum, ad sanandas omnes nostras infirmitates. Neque lutum solum: sed & sanguis, diuinitati Verbi vnitus est in Christo: qui, non solum caro, sed & sanguis quodammodo factus est, verum sanguinem pro nobis suscipiens in Incarnatione, & offerens in altari, & fundens in passione. *Non enim auro, & argento, redempti sumus*, (vt D. Petrus inquit) *sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, Christi.* Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat, &c.

*Cyrillus.*
*Ambrosi.*
*Psal. 64.*
*Psal. 21.*
*1. Pet. 1.*

## DE EODEM MYSTERIO Incarnationis.

### CONCIO II.

*Ecce concipies in vtero, & paries filium.* LVC. I.

TRactamus in hoc Incarnationis opere, mysterium à sæculis absconditum in Deo, quod merito in admirationem rapit omnes, etiam ipsam Beatissimam Virginem, quæ nouo, & antea inaudito, nuntio stupefacta, dixit ad Angelum, *Quomodo fiet istud?* Olim in Exodo Moyses considerans ignem in rubo, præsente Angelo, & quod rubus maneret illæsus, miratus est valde, inquiens: *Vadam, & videbo visionē hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Similiter & nos in hoc mirabili, & nouo sacramento, vehementer in admirationem trahimur: quare non comburatur rubus: quare Maria, & virgo est, & simul mater, sine dolore pariens filium. (Hoc enim videtur portendisse visio illa magna, vt Theodoretus docet, quæst. 6. in Exodum, & Bernardus, homil. 2. super, Missus est.) Deinde, quomodo ignis diuinitatis non consumpsit rubum humanitatis, sed potius, vt dicit Leo, serm. 1. de Natali Domini: *Nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio.* Et quidem ad hanc tam nouam, & admirabilem quæstionem, possumus primo respondere cum Moyse. *Qui statim operuit vultum suum, & non audebat respicere contra Dominum*: vt doceret nos, hoc sacramentum, clausis, aut opertis oculis, esse venerandum, & obscura quadam cognitione per fidem tenendum esse, non per aliquam humanam rationem, aut euidentiam. Quapropter etiam ipsi Beatissimæ Virgini, quærenti ab Angelo modum huius mysterij, respondit ipse Angelus: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quia, vt Bernar.

*Exod. 3.* *Theodoretus.* *Bernard.* *Leo.* *Bernard.*

dicit, ferm. 48. in Cant. *Et sancta nihilominus Virgo, &* *ipsa fidei experta est vmbram, cui dictum est, Et beata, qua credidisti.* Cùm ergo sit mysterium ignis in rubo, satis erit per fidem reuerenter tangere, vt lucem, & calorem Spiritus sancti, ab eo percipiamus. Cauendum tamen nobis est, ne curiose & temere velimus, aut appropinquare, aut intrare, ne fortè opprimamur ab illius immensa gloria. Nam, vt exemplo vtar Isichii, lib. 2. sup. Leutici caput sextum. *Quemadmodum in igne qui vult calefieri, sufficit, vt tangat, nam si interius mittat manum, potius comburitur: sic qui profundius, & curiosius diuina hac mysteria penetrare contendit, pro eo quod gloriosius quid vult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem diuinorum dogmatum non possit.*

Isichius.

Vnde & Moysi, curiosius accedenti ad videndum mysterium rubi ardentis, dictum est ab Angelo *Ne appropies huc:* sapienter illum amouens à curiosa illius sacramenti inuestigatione. *Sol iste* (ait Bernardinus, ferm. 4. sup. Psal. 90.) *quamuis bonus sit, & maxime necessarius, tamen et feruor eius, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splēdor infirmis oculis nocet.* Habemus exemplum huius rei singulare apud Ionam, vbi dicitur, *Percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat.* Ex quo hedera exaruit, quam præparauerat Deus, vt esset vmbra super caput eius, & obumbraret illud. Imo vero, & ipsi Beatissimæ Virgini, etiam hac ratione, *virtus Altissimi obumbrauit,* quemadmodum D. Hilarius exponit, lib. 2. de Trinitate, quia fecit illi vmbram, aut vmbraculum, ne ab infinita virtute, & igne Spiritus sancti, consumeretur. Non enim posset Virgo beata sustinere maiestatem, & gloriam, tanti mysterij, nisi virtus diuina eam protegeret, & quasi vmbra sua temperaret ardorem diuinum. Vnde in Psalmo, vbi nostra editio habet: *Dominus protectio tua* lectio Hebræa habet: *Dominus vmbra tua.* Hoc est; vmbraculi vice, te protegens. Quod B. Virgini optimè congruit; cui, sicut Bernard. dicit sermo. 3. Ascensionis Domini, *virtus Altissimi obumbrauit, ne nimio splendore perstricta, diuinitatis fulgur, etiam illa singularis aquila, tolerare non posset.* Aut, quemadmodum Ioannes Cassianus dicit, libr. 2. de Incarnatione Domini, cap. 2. *Ne ad introitum diuinitatis humana fortasse infirmitas.*

Bernard.

Ione. 4.

Hilarius.

Psal. 120.

Bernard.

Cassian.

*infirmitas non subsisteret, venerandam omnibus Virginem virtus Altissimi roborauit, vt corpoream imbecillitatem circumfusa vmbra suæ protectione firmaret, & ad consummandum conceptus sacri inenarrabile sacramentum, humana infirmitas non deficeret, quam diuina obumbratio sustineret.* Ecce primam responsionem huius difficillimæ quæstionis. Possumus & aliam responsionem adhibere huic quæstioni, quod, vt ipsa sacra Scriptura dicit in Exodo, *Dominus erat in medio rubi:* qui summe potens est, & summe sapiens, *vt omnia quæcunque, voluerit, faciat:* Cum ergo in hoc singulari mysterio, *tota ratio facti, sit potentia facientis*, vt August. dicit Epist. 3. ad Volusianum, hinc facile dissoluitur quæstio, & cessat admiratio. Nam & Angelus hac potissimum ratione, persuasit mysterij possibilitatem Virgini, vltimo loco subinferens in Euangelio: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Dominus erat in rubo, quid mirum, si ardens non combureretur? Dominus erat in Virgine, sicut Angelus dixit: *Dominus tecum:* quid mirum quód virgo esset, & mater? Dominus erat in humanitate, sicut etiam Angelus dixit: *Quod ex te nasceretur sanctum, vocabitur Filius Dei:* quid etiam mirum, quod ignis diuinitatis non consumpserit rubum humanitatis: sed *salua proprietate vtriusque substātiæ, & in vnā coeunte personā, suscipiatur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, & ab æternitate mortalitas,* vt S. Leo Papa dicit, serm. 1. de Natali Domini?

Exod. 3. August. Leo.

Sed iam oportet, vt propinquius accedamus ad considerandum hoc sacratissimum mysterium rubi, qui ardens non comburebatur. *Transiens* (inquit Moyses) *videbo visionem hanc.* Oportet enim transeamus, iuxta intelligentiā Gregor. Nysseni, in oratione de Natali Christi, *non loci mutatione, sed temporu transitu. Quod enim tunc per flammam & rubum significabatur, progrediēte tempore, perspicue in mysterio Virginis apertum fuit. Quemadmodum enim illic est rubus & tangit ignem, & non comburitur ita hic est virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur.* Transeundum ergo nobis est, in huius mysterij cognitione, ab vmbra, ad veritatem, à lege, ad Euangelium, ab igne, & rubo, ad Virginem Mariam: & sic videbimus visionem hanc magnam, & intelligemus, Nyssenus.

quare non comburatur rubus. Quæ visio, & in Christo, & in Maria, magna est, & mirabilis, sicut ab Angelo Gabriele edocemur in hoc Euangelio.

Existimo autem, iustissimis de causis, Christum posse comparari cum igne existente in medio rubi. Primo quidem, vt cognoscamus, solum Christum inter homines fuisse *iustum, sanctum, & impollutum, & a peccatoribus segregatum*, vt Paulus dicit. Peccatores autem, & impij, spinæ sunt, sicut Chrysostomus eleganter docet, hom. 19. imperfecti in Matthæum, in illa verba, ex cap. 7. *Nunquid colligunt de spinis vuas? Quemadmodum enim spina, vel tribulus* (ait Chrysostomus) *exquacunque parte illam conspexeris, habet aculeos, sic & serui diaboli ex quacunque parte consideraueris, iniquitate pleni sunt Si loquitur, in dolo loquitur: si tacet, male cogitat: si irascitur, insanit: si patienter agit, tempus expectat nocendi, & opportunitatem considerat, quando noceat: si male agit, non erubescit: si bene facit, ad vanam gloriam propter homines facit. Deinde, quoniam sub spinis, nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes: sic iuxta impios homines nemo potest pacem habere, nisi tantummodo dæmones, qui habent cubilia in pectoribus eorum* Hactenus ex Chrysostomo. Inter eiusmodi peccatores, Christus Dominus solus iustus vixit, & conuersatus est in hoc mundo, *qui totus in maligno positus est*, &, sicut Bernardus dicit serm. 48. in Cantica: *Totus plenus est huiusmodi spinis.* Spina est falsus frater, spina est vicinus malus, &c. Considera Christum Dominum, inter peccatores agentem, cum publicanis, & peccatoribus, manducantem, cum Pharisæis, & scribis, hypocritis, persequutoribusque conuersantem, & videbis, *sicut lilium inter spinas*, sic eum vixisse in medio Iudæorum, & peccatorum Sic enim dicit Ambros. libr. de institutione virginis, cap. 14. *Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Iudæorum.* Nisi quis velit dicere, eum fuisse sicut lilium inter spinas, aut ignem in medio rubi propter labores, & dolores, atque persequutiones, & passiones, quas ab ipsa natiuitate ad mortem vsque voluntarie propter nos pati voluit, & à peccatoribus sustinuit. Quid enim aliud fuit, eum, recens natum, in stabulo, & in præsepio reclinari, frigoris & aëris in-

Hebr. 7.
Chrysost. Matth. 7.
1. Ioan. 5.
Bernard. Cantic. 2.
Cantic. 2.
Ambros.

clementiam sustinere, octauo die sanguinem fundere: nisi tenerrimum lilium inter spinas esse, & in medio rubi? Quid vero aliud fuit, inter peccatores & impios conuersari, qui iniustis operibus, insidijs, & blasphemijs, quotidie iustum illum cruciabant? Quid denique aliud fuit, cum ab inimicis capi, illudi, flagellari, spinis config, affigi patibulo, nisi candidissimũ lilium inter spinas esse, *agnum immo centissimum inter vepres?* ignem de cœlo missum in medio rubi? Genes.22.

Quod si ad Beatam Virginem velimus referre sacramentum ignis, & rubi, communis est ratio apud sanctos Patres, Gregor. Nyssen. libr. de vita Moysi, & Nyssenus. alios, quam supra insinuauimus: vt quemadmodum rubus ille inconbustus, & illæsus mansit ab illo igne: sic Mariæ virginitas conseruata, & illæsa mansit, tam in conceptione Christi, quam in partu illius. Qua etiam ratione similiter appellatur, *sicut lilium, vel rosa, inter spinas.* Quemadmodum enim rosa, dum inter spinas Cantic.2. est, intacta est, & illæsa: sic Beatissima Virgo Maria, perpetuam virginitatem, & integritatem, intacta, & immaculata conseruauit.

Vnum vero est, & illud mirabile, in quo discrimen magnum inueniemus inter rubum illum ardentem, & Beatissimam Virginem, habentem in vtero Filium Dei: quod in rubo ardenti Angelus erat, Beata vero Virgo, statim vt Christum concepit, habere desijt Angelum secum, quem antea habebat. Vnde sicut, ex Euangelio constat, mox vt Maria dixit Angelo: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*, statim sequitur: *Et discessit ab illa Angelus* Huius autem discessionis causam sapiẽter tradit Athanasius, tractatu quodã de Incarnatione & anunciatione Virginis. Nẽpe quod Athanas. discessisse Angelus dicitur, ne quis hæreticus putaret, quod ipse Angelus carnem illam assumpserit, & non Verbum Dei, contra id quod dicitur apud Esaiam, secundum editionem 70. *Non legatus, neque Angelus, sed* Esai. 63. *ipse Dominus saluabit eos.* Quasi dicat, quod non Angelus, qui nuntiauit Mariæ in Incarnatione Filij Dei, carnem assumpsit in vtero Virginis, sed ipse Dei Filius qui solus poterat saluare nos, quemadmodum com- August. muniter explicant Sancti Patres, & inter eos August. tractatu. 24. super Ioannem.

Sed & aliam causam discessus Angeli meditari possumus: quæ maxime commendat singularem dignitatem Mariæ Virginis post conceptionem Christi. Est autē huiusmodi. Archangelus Gabriel, vt existimo, ille est, cui commissa est specialis cura seruandi Beatissimam Virginem, non solum post Ascensionē Christi, vt docet D. Illephonsus, sermone.5. de assumptione Mariæ sed etiam ab initio suæ natiuitatis, vt credit D. Bernard. epist. 77. ad Hugonem. Cuius rei hæc potest esse ratio. Quia, vt D. Thomas docet 1. part. q. 113. art. 3. ad. 1. est satis probabile, quod maiores Angeli deputentur ad custodiā eorū, qui sunt ad maiorē gradum gloriç à Deo electi. Cumq; Beatissima Virgo electa sit a Deo summū gradū gratiæ, & gloriç & vt esset mater Filij Dei, cōsequens profecto est, vt eius custodia summo Archangelo (qualis est Gabriel) cōmissa à Deo fuerit. Cur ergo, statim vt Maria concepit in vtero Filium Dei, discessit ab ea Angelus Gabriel? Profecto discessit, non tantum vt erat nuncius Dei sed etiam vt erat custos ipsius sanctissimç Virginis. Vidit enim eā in tantā altitudinē dignitatis deuenisse, vt iam inciperet esse mater Dei, & habere in vtero virginali Filium summi Patris, indutum carne humana: atque adeo plane intellexit, nullo modo indigere custodia Angeli, quæ mater erat Regis Angelorum. Docet D. Thom. in illa quæst. 113. ar. 5. ad. 3. quod quandiu pueri sunt in vteris maternis, non indigent custodia proprij Angeli: sed Angelus, qui est custos matris, custodit etiam prolem, in eius vtero existentem, eo quod non est totaliter ab ea separata, sed quodammodo adhuc est aliquid ipsius: quemadmodum idem custos est, qui arborem custodit, & fructum, qui in ea est, & nondum est ab ea separatus. In hac autem mirabili conceptione Christi in vtero Virginis è cōuerso se res habere debuit, quod mater sequatur conditionem, & proprium statum Filij, quem habet in vtero. Filius autem Virginis non poterat habere Angelum custodem, vt D. Th. docet, eadem. q. ar. 4. ad 1. Primo, quia secundum quod homo regulabatur immediate, & custodiebatur à Verbo Dei: deinde, quia secundum animam erat beatus comprehensor. Quare non poterat habere Angelum, tanquā

*S. Illephonsus.* *Bernard.* *D. Thom.* *D. Thom.* *D. Thom.*

custodem, sed tanquam ministrum inferiorem, qui ei inseruiret. Idem ergo Verbum diuinum, quod custodiebat, & dirigebat Christum filium Mariæ virginis, erat etiam custos suæ integerrimæ Matris. Et fortassis etiam in hoc sensu dixit ei Angelus: *Dominus tecum*, tanquam verus filius in vera matre, & vt Augustin. dicit, sermone.17. de Natiuitate Domini: *tecum in corde, tecum in ventre, tecum in auxilio.* Quare non indiges custodia, & protectione, etiam Angeli. Cum summa igitur reuerentia, & humilitate, discedit ab ea Angelus quasi vale dicens ei hoc genere benedictionis *Dominus tecum*. Solet enim esse hoc salutationis genus, quo Angeli vtuntur ad homines, sicut veniens Angelus ad Gedeonem, salutauit eum, dicens *Dominus tecum, virorum fortissime*. Similiter ergo Angelus, discedens à Virgine, salutat eam iisdem verbis: *Dominus tecum*. Hoc est, Ipse maneat tecum, & seruet te. Iam enim non indiges seruatore alio, qui te custodiat, quæ Deum habes custodem, quem habes in vtero filium tuum, secundum carnem, eundem, qui secundum deitatem est verus Filius Dei Potuisset profectò Sanctus Angelus Gabriel dicere Virgini cum Dauid: *Dominus custodit te, Dominus protectio tua. Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Quia Mariam Virginem ex quo Dei mater esse cœpit & Domini, ipse Dominus custodiuit, ipse protectio eius fuit: seruauit animam eius immunem ab omni malo, & dirigebat in omne bonum. Quãdo sola erat in secreto cubiculi sui, orationi, lectioni, & cõtemplationi dedita, Dominus custodiebat introitum eius. Quando vero, piæ necessitatis causa, foras exeundum illi erat, vel in montana, ad visitandum Elisabeth cognatam, vel in Ægyptum, cum Ioseph fugiente: Dominus custodiebat exitum eius. Qua ergo ratione indigere poterat Dei Mater, Angelorum custodia, quam tam solicite ab omni malo seruabat. Dominus Angelorum? *Ego Dominus, qui seruo eam*, ait Esai. *nocte, et die, seruo eam:* quia Mariam Virginem, ex quo domus Dei, & ciuitas Domini facta est, suscipiendo Christum in vtero, ipse Dominus seruabat nocte persequutionum, & die altissimæ contemplationis

*August.* *Iudic.6.* *Psal.120.* *Esai.27.*

ac sanctarũ operationum. Et propterea meritò discessit Angelus ab ea custodienda, qui anteà fuerat custos illius. Et quemadmodùm cũ plantauit Dominus paradisum, in cuius medio erat lignum vitæ, non apposuit custodem illius, Angelum, sed, vt Scriptura dicit: *Posuit in eo hominem, vt operaretur, & custodiret illũ,* videlicet ipsum paradisum: ita etiam, postquã plantauit Deus Pater in vtero Virginis, tanquã in sacratissimo paradiso, Filium suum, qui & lignum vitæ est: noluit sub Angeli custodia esse: sed Christum, Deum & hominem, in eo posuit incarnatum, vt operaretur salutem nostram in medio illius terræ, & simul esset custos sui paradisi: nõ Angelus. *Dominus tecum,* altiori, ac diuiniori modo, quã in aliqua alia creatura: quoniam in tuo vtero virginali Verbum caro factum est, vt ex te nascatur, & in nobis habitet: & quod in te, tanquã in paradiso delitiarũ, plantatum est, lignum vitæ, crescat, & ascẽdat in arborem etiam vitæ, vnde totum genus humanum fructum benedictionis æternæ colligere possit, & viuat in æternum: præstante eodem Iesu Christo. Qui cum Patre, &c.

Gen. 2.

---

## DE EODEM MYSTERIO Incarnationis.

### CONCIO III.

*Ecce concipies, in vtero, & paries filium.* Lvc. 1.

IN Hoc singulari, & admirabili, diuinæ Incarnationis sacramento, quod Deus per viscera misericordiæ suæ operatus est in nobis, libet initium sumere à verbis quibusdam D. Gregorij, lib. 20. Moralium, cap. 24. *Pene omne, quod de Deo dicitur, eo ipso iam indignum est, quòd potuit dici. Nam, cuius laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua?* Profectò, sicut in Ecclesiastico dixit Salomon sapientissimus: *Multa dicemus, & deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* Si enim de hoc Incarnationis arcano multa dixerimus, in multis deficiemus: in quo consummatio omnium

Gregor.

Eccle. 43.

sermonum est: non solùm quia hoc diuinum opus summa quædam est, & recapitulatio, omnium operum, ac mysteriorum Dei, & abbreuiatio quædã, iuxta quod Esaias dicit: *Consummationem, & abbreuiationem, Dominus faciet in medio omnis terræ*: sed etiam, quia in eius contemplatione, omnia quasi consummantur; neque habent vltra spiritum: mens obstupescit; cor hebetatur; sensus silet, lingua deficit, omnis eloquentia rudis est: &, vt August. inquit, lib. 1. confess. cap. 4. *Quid dicit aliquis, cùm de te dicit? Quoniam loquaces, muti sunt.* Cæterùm (quia sicut D. Leo Papa dicit sermone 11. de Passione Domini, *ipsa materia, ex eo quod ineffabilis est, fandi tribuit facultatem: nec potest deficere quod dicatur, dum non potest satis esse, quod dicitur*) balbutiendo, vt possumus, & per ænigma quoddam, siue figuram, explicare conabimur hoc sacratissimum Incarnationis, & magnum pietatis sacramentum. *Esai. 10.* *August.* *Leo.*

In Exodo sacratissima narrat Historia, quod filiis Israel de terra Ægypti egressis, & per vastam solitudinem deserti pergentibus ad terram promissionis, Deus, nouo quodam, & admirabili alimento, de cœlo misso, panem præstitit per annos quadraginta, quousque terram promissionis intrarent. Verba autem sacræ Scripturæ sic habent. *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filij Israel, dixerunt adinuicem: Quid est hoc? Ignorabant enim, quid esset.* Hæc, quæ olim in figura contigerunt filiis Israel, mirabiliter continent sacrum Incarnationis arcanum, de quo tractamus. Nam quod illud sensibile manna, figura, & typus, fuerit veri manna, Iesu Christi, ipse docuit in Euangelio Ioannis, & vniuersi sancti Patres consentiunt: & quidem meritò. Nam quemadmodum illud manna sensibile, de cœlo descendens, in admirationem rapuit filios Israel, vt dicerent: *Quid est hoc?* Ita etiam, & potiori ratione, hoc magnum, & nouum, pietatis sacramentum, quod creauit Dominus super terram, in admirationem, & stuporem rapuit, non solùm homines, sed etiam Angelos: imo & ipsam sacratissimam, ac sapientissimam Virginem, ita vt diceret: *Quo-* *Exod. 16.* *Ioan. 6.*

*modo fiet istud? Apparuit*, profectò, *in solitudine minutum*, tam subtile, tam delicatum, diuinæ Incarnationis mysterium, quod humanis, & angelicis mentibus ignotum omnino esset: nisi Deus ipse supernaturali lumine illis reuelasset. Et sicut illud primum manna, ministerio Angelorum missum est de cœlo in terram, vnde & *panis Angelorum* vocatus est: ita etiam diuinum mãna, quod Christus est, ministerio Angeli Gabrielis alatum est de sinu Patris in vterum Virginis, tanquam in
Psalm. 77. sacratissimam terram, sicut in Euangelio dicitur: *Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c.* Non enim Angelus, qui nuntius mysterij fuit: sed Spiritus sanctus formauit in vtero Virginis Christum, secundum carnem, vt esset panis viuus de cœlo descendens, & daret toti mundo, non tãtum cibum, sed & vitam æternam: quam præstare non poterat illud primum manna, quod antiquis Patribus datum est de cœlo.

Ait ergo primò: *Mane ros iacuit, & operuit superficiem terræ.* Quoniam in hoc mysterio, primum locum tenet Spiritus sanctus: qui tanquam diuinus quidam, & cœlestis ros, fugatis tenebris ignorantiæ, & vetustatis antiquæ, descendit super terram illam virgineam, & operuit eam: sicut in Euangelio dicitur. *Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nam ab Spiritu sancto habuit plenitudinem gratiæ, & virtutum omnium, ac donorum, supra vniuersas creaturas. Ipse etiam eam operuit, ac protexit, ne in tam admirabili Incarnationis diuinæ opere opprimeretur, aut consumeretur à gloria. Ipse denique sua omnipotenti virtute fecit, vt quæ virgo erat purissima, esset simul mater Dei, *non ex virili semine, sed mystico spiramine*, vt Ecclesia confitetur: & sicut ha-
Michææ. 5. betur apud Michæam: *Sicut ros à Domino super herbam. quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.* Ipse enim Spiritus sanctus fuit ille ros à Domino, qui Virginem fœcundauit, neque expectauit viri concursum; quemadmodum & ipsa Virgo sacratissima confitetur. *Quoniam virum non cognosco.* Ecce ergo iam
Psalm. 84. completũ, quod prophetico Spiritu sanct. Dauid prædixerat: *Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.* Dominus enim benignitatem dedit,

quando Spiritum ſanctum de cœlo miſit, vt ſuperueniret in Virginem; & tanquam ros lucis diuinæ eam doceret, & ſua benignitate, ac virtute, fœcundaret (Nam quod ros ſignificet Spiritus ſancti potentiam, & viuificam efficaciam, D. Cyrillus docet, lib. 3. Commentariorum ſuper Eſaiam.) Ipſa autem puriſſima Virgo, velut ſancta terra, illo rore Spiritus ſancti plena, ac fœcundata, dedit fructum ſuum, quando concepit in vtero, & peperit Filium ſuum Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum. *Cyrillus.*

Hoc eſt ergo, quod ſtatim ſequitur. *Et apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ, ſuper terram.* Notanda profectò ſunt maximè verba iſta, quæ myſteriis plena ſunt, & ad viuum explicant hoc Incarnationis myſterium. *Apparuit*, inquit: Quia diuinum hoc Dei beneficium, ſola Dei miſericordia donatum nobis eſt: & quando neque homines illud merebantur, & pauciſſimi illud expectabant. Sic docet Eſaias, cum inquit in perſona Chriſti: *Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui his, qui me non interrogabant.* Et apertiùs multò D. Paulus ad Titum. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam, &c.* Eccè illa duo, quæ dicebamus, rorem & terram: benignitatem Domini, & fructum terræ noſtræ: Spiritum ſanctum ſuperuenientem, & Mariam concipientem in vtero. Ecce diuinitatem & humanitatem in vna perſona Chriſti: in quo mirabiliter dedit nobis Deus (iuxta Iſaac Patriarchæ prophetiã, & intelligentiam Cyrilli, lib. 9. in Geneſim: & Athanaſij, quæſtione 99. ad Antiochum) *de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam*: quando Verbum ſuum de cœlo miſit, vt carnem ſibi aſſumeret in vtero Virginis, vt omnium bonorum cœleſtium abundantia perfrueremur, timore malorum ſublato. Hoc autem totum factum eſt, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos. Quamuis enim antiqui iuſti, quodam imperfectiſſimo modo (quod Theologi vocant, *meritum ex congruo*, cum D. Thom. 3. par. q. 2. art. 11.) meruerint Incarnationem Chriſti: non tamen ex aliquo merito condigni, aut iuſtitiæ; ſed ex ſola ſua miſericordia Deus ſaluos nos

*Eſai. 65.* *Ad Tit. 3.* *Geneſ. 27.* *Cyrillus.* *Athanaſ.* *D. Thomas.*

fecit. Et quid mirum est, quod iustorum merita non præcesserint Incarnationem Verbi: quandò neque ipsius Christi meritis factum est, vt benignitas & humanitas Saluatoris nostri appareret nobis, sed sola Dei misericordia? Sic enim dicit D. August. lib. de Correptione & gratia, cap. 11. plurimis verbis: vbi, inter alia, tractans illa verba: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* dicit: *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Propterea, *inquit*: *non propter opera, quæ nondum nati vtique nulla sunt: sed propterea, quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ista natiuitas, profectò gratuita, coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam natiuitatem bona opera sequuta sunt: non bona opera meruerunt.* Propterea ergo rectè dicit Scriptura, quòd hoc diuinum manna, *apparuit.*

August.

*Apparuit*, inquit, *in solitudine.* In primis rectè vocat solitudinem, & meritò, Beatissimam Virginem Mariam: non tantùm quia sola est inter mulieres, imò & per excellentiam ipsa solitudo, in gratiarum, & virtutum plenitudine: quibus sola, & sine exemplo, visa est, nec habere similem in cœlo, & in terra: sed etiã, singulari quodam modo, in hoc mysterio Incarnationis sola fuit, & solitudo: quia sola concepit, & sine viro, quam solus ros Spiritus sancti fœcundauit: sicut etiam Esaias prædixisse videtur: *Lætabitur*, inquit, *deserta, & inuia: & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Vbi B. Virginẽ vocat, desertam terram, & inuiam: quoniam sine viro concepit, & vir non transiuit per eam; sed sola fuit, & solitudo, in conceptione, & partu, quo Christum edidit sine pudore, & dolore lætabunda, germinans, & laudans. Et quemadmodum lilium, solo beneficio roris cœlestis, & concursus diuini, florem emittit: sic Virgo Beatissima, solo beneficio Spiritus sancti, & virtute Sanctæ Trinitatis, Christum edidit ex vtero virginali: iam profectò nõ terra deserta, sed plena benedictionis cœlestis, plena Dei Filio, plena delitijs, quasi alter paradisus Dei, sicut Esaias prædixit: *Ponet*, inquit, *desertum eius, quasi delitias; & solitudinem eius, quasi hortum Domini.* Desertum, & solitudo, Maria est, quæ virum in concipiendo non

Esa. 35.

Esa. 51.

pertulit: sed, quasi hortum delitiarum, eam posuit Deus, quando Spiritus sanctus in eam superuenit, & fructum benedictionis æternæ terra illa benedicta produxit, salua integritate virginea. Quid ni delitias dixerim, fœcunditatis decus, cum virginitatis honore: Virginitatis, inquam, singularis, quam, vt Bernardus inquit, homilia 1. super Missus est, *non temerauit, sed honorauit fœcunditas.* Bernard.

Possemus etiam nomine solitudinis, in qua hoc diuinum manna apparuit, intelligere mundum istũ:in quo Christus apparuit, natus de Virgine:quia tanquã in solitudine quadã, in illo natus est. Nam neque mundus eum cognouit, nec sui eum receperunt: *neque erat ei locus in diuersorio*, vt Lucas Euangelista dicit. *Ei*, dicit, non erat locus: qui tamen hominibus insipientibus,& diuitibus huius sæculi, impiis,ac peccatoribus,amplissimus erat. *Cui dedi*, inquit Iob, *in solitudine domum:* & de Christo incarnato, per figuram onagri, loquitur cui Deus in solitudine domum dedit, quando eum nasci voluit in mundo:inquo iam pene homo non erat,cũ tam pauci essent, qui ratione vterentur, & virtute, ad cognoscendum, & diligendum Deum. Vnde & Dauid dicebat: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Nisi quis dicat, non esse mirum, quòd in mundo non esset intelligens, aut requirens Deum, natum secundum carnem: quia non solùm apparuit in solitudine: sed apparuit minutum, & quasi pilo tusum Luca.2. Iob 39. Psalm.13.

Sed ô ingentem insipientiam filiorum huius sæculi! Nonne opportuit, Filium Dei natum in mundo, apparere minutum, vt possent homines eum cognoscere, & quærere, atque imitari: Si minutum non esset, quod apparuit in carne passibili, nec capere eum posset vterus Virginis neque angustum diuersorium, nec posset in præsepio reclinari, aut in crucis patibulo mori, *Et quasi pilo tundi. Apparuit*, ergo, *in solitudine minutum.* In cœlo magnus est, & immensus, & quem nõ capit vniuersitas creaturæ:super terrã verò abbreuiatũ,& minutum apparuit, sicut & Dauid dicit: *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* In cœlo Angeli, compa- Psalm.8.

ratiione diuini Verbi, minutissimi erant, & quasi nihilum ante ipsum: sed quando super terram manifestatum est in carne, & in illa apparuit Angelis, minor illis apparuit, tanquam homo passibilis, qui posset pati, fundere sanguinem & mori, quod ab Angelis alienum est.

Philip. 2. Sed vt Paulus dicit. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*. Quasi dicat; Sic humiliauit semetipsum in carne, sic diminuit, vt non solum minor Patre secundum carnem (sed etiam minor Angelis, apparere voluerit. Considera Christum, vnius diei infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio, atque in stabulo natum: & videbis eum, non solum ab Angelis minoratū,

Esai. 53. sed etiam ab hominibus: & vt Esaias dicit: *despectum, et nouissimum virorum, virum dolorum, &c.* Ecce quo pacto S. Propheta non solum vocat eum, *nouissimum*, sed etiam, *virum dolorum*: quasi dicat: apparuisse, non solum minutum, sed etiam, *quasi pilo tusum*. Nam ex quo natus est in mundo Christus, non solum minutus, &

Psal. 87. pauper fuit: sed laboribus, ac doloribus, contusus, & fractus. Sic enim dicit per os David *Pauper sum ego, et in laboribus à iuuentute mea*. Ecce duo dicit habuisse â principio natiuitatis, paupertatem, vt intelligas fuisse minutum: & labores, ac dolores, vt videas, fuisse qua si pilo contusum. Quid enim aliud habuit Christus à creaturis, ab exordio natiuitatis vsque ad mortem crucis, nisi aut humiliari, & minui: aut certè conteri & contundi quasi pistillo quodam? Terra in quam decidit natus, illi dura fuit: præsepe, asperum: tempus inclementissimum: penuria rerum, maxima: homines, ingrati & crudeles, denique lignum crucis, horribile, in quo tandem comminutus est, & contritus vsque ad mortem. Sed hæc omnia suauissimum mana, noster IESVS, libenter suscepit, & sustinuit, propter delenda peccata nostra. Sic enim legis apud Esaiam: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Et infra: *Dominus voluit contere-*

Esai. 53. *re eum in infirmitate* Vocat autem Propheta, *infirmitatem*, ipsam Christi carnem, in qua conceptus est de Virgine, natus, & passus, & cruci affixus. In hac enim infirmitate sua Christus pro nobis sic afflictus est, sic percussus, sic confractus passionibus, sic contritus, &

comminutus laboribus ac doloribus tota vita vſque ad mortem, vt dicat per os Dauid: *In puluerem mortis deduxiſti me*: non quidem quod per corruptionem corpus Chriſti in puluerem ſit redactum in morte (hoc enim impoſſibile erat, vt fides docet, & Auguſt. adnotauit, epiſt. 120. cap. 15.) ſed quod ita ſit laboribus & doloribus attritus, & humiliatus contumelijs, vt quaſi in puluerem redactus ſit. *Pſal. 21.* *Auguſt.*

Vultis ſcire, quam comminutus, atque contritus in terra fuerit ſecundum carnem Chriſtus Dominus? Videte, quid ſequitur: *In ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* Meritò profectò Chriſtum incarnatum in vtero Virginis, & natum in terra, comparat cùm deſcenſu pruinæ ſuper terram. Primò, quia ſicut pruina nocte deſcendit, & tacite, ac ſilentio quodam, nemine ſciẽte, &, exorta luce, apparet ſuper terram: ſic Dei Filius, ſilentio venit in vterum virginalem, non *cum ſtrepitu, nec cum exercitu Angelorum*, vt Chryſoſtomus dicit, homilia, 2. in Pſalmum 50. Similiterque tacite, ac ſine ſtrepitu, natus eſt de vtero Virginis ſuper terram, tanquam ſilentij, ac ſecreti, & humilitatis verus amator. In cuius rei conſideratione adducere ſolent ſancti Patres illud Pſalmi: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, &c.* maxime verò Diuus Ambroſius, ſermone. 13. & Bernardus homilia 2. ſuper Miſſus eſt: & locum illum Sapientiæ. *Dum medium ſilentium contineret omnia, &c.* quem ad hoc myſterium applicat Eccleſia. Secundo: quoniã, vt Ariſtoteles docet, lib. 1. Meteororum, pruina nõ cadit ſupra montes altos, qui maximos ventorũ impetus pati ſolent: ſed ſuper terram planam, & humilem: ita etiam noſtrum manna de cœlo non deſcendit ſupra Angelos, qui montes excelſi ſunt; ſed ſuper terram, naturam humanam aſſumens, quæ de terra eſt, & ſicut Paulus dicit: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, & ſicut ſponſa dicit: *Ecce iſte venit, ſaliens in montibus.* Quæ omnia bene adnotauit Diuus Bernardus, ſermone ſuper 53. Cantica. Denique tertio *in ſimilitudinem pruinæ* Chriſtus, factus homo, apparuit ſuper terram: quia ſi quis attenta, ac deuota meditatione, conſideret Chriſtum natum in terra, pauperem, nudum vix pauperibus pannis inuolutum, fri- *Chryſoſt.* *Pſal. 71.* *Ambroſ.* *Bernardus.* *Sapientia. 18* *Ariſtot.* *Hebr. 2.* *Cantic. 2.* *Bernard.*

gido loco nascentem, noctis, & aëris, inclementiæ expositum; quid aliud videbit in Christo, quàm *similitudinem pruinæ super terram*: quid aliud, quam Iacob Patriarcham, gelu noctis afflictum? quid aliud, quam Deum hominem in frigore ac nuditate, nostrorum criminum pœnas sustinentem? *De cuius vtero egressa est*
Iob. 38. *glacies*, ait Sanctus Iob: *Et gelu de cælo quis genuit?* De cuius vtero, nisi beatissimæ Virginis: in quo, tanquã in purissimo, & altissimo cœlo, genitus est Dei Filius secundum carnem, & per natiuitatem egressus apparuit in similitudinem pruinæ super terram, & quasi quędã glacies, & gelu: vt frigora peccatorum nostrorum depelleret, & in sinu ardentissimi amoris sui, nos confoueret? Nam quod infirmum est Christi, fortitudo est, & salus, animarum nostrarum.

Vtinam & ad nos peccatores, qui terra sumus, descẽdere per gratiam dignetur, & spirituali quadã generatione, ac natiuitate, diuinum hoc manna absconditum: & cor nostrum, ab omnium rerum temporalium amo-
Psal. 50. re desertam terrã, & solitudinem, efficiat: *Cor contritum & humiliatum*, donet nobis, *quod non despiciat*. Ipse enim per Esaiam dicit: *Ad quem respiciam, nisi ad pau-*
Esai. 66. *perculum, & contritum spiritu?* Denique sic carnem nostrã mortificet. & ad disciplinæ rigorem induret, vt (quemadmodũ Dauid dicit de se ipso) facti simus, *sicut vter in pruina*: & *mortificationem Iesu Christi* (cum
Psal. 118. Paulo) *semper in corpore nostro circumferamus*: vt non terreat nos asperitas disciplinę, & rigor pœnitentiæ, ieiunia, vigiliæ, & cætera eiusmodi, quæ, in præsenti quidẽ, *Non sunt gaudij, sed mœroris*, vt Paulus docet: *postea*
Hebr. 12. *autem fructum pacatissimum (exercitatis per ea) reddent iustitiæ*. Væ autem homini illi, qui, vt sæculi deliciis affluat, & in mundo consolationem habeat, eiusmodi opera pœnitentiæ, ac disciplinæ, neglexerit, & sanctæ huius pruinæ rigorem timidus, ac meticulosus, suscipere recusauerit. Continget enim illi id, quod dicit S.
Iob. 6. Iob. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*: & vt Greg. dicit lib. 7. Moral. cap. 12. *Dum temporalia aduersa per-*
Gregorius. *timescit, districtioni se æternæ animaduersionis obiicit.* Quod misericorditer à nobis auertat diuinum manna, Christus Dominus. Qui cum Patre, &c. Amen.

## DE EODEM MYSTERIO INCARnationis.

## CONCIO IIII.

*Ecce concipies in vtero, & paries filium.*
LVC. 2.

SAcramentum humanæ salutis (inquit D.Leo, sermone.7 de passione) *nõ licet tacere, etiãsi nequeat explicari.* Et merito profectò ita inquit. Quis enim nõ loquatur potẽtias Domini, & immẽsa diuinæ largitatis beneficia; quæ in mysterio Incarnationis exhibita populo Christiano, omni sunt laude, & prædicatione dignissima? *Væ mihi, quia tacui,* ait Esaias. Et, *Væ mihi est, si non euangelizauero*, ait Paulus. Immo verò illud ipsum rectè nobis conueniret, quod quidã leprosi dicebant: *Si tacuerimus, & noluerimus annuntiare, sceleris arguemur.* Nam, vt egregiè dicit D. Leo, serm. 1. in anniuersario die Assumptionis suę: *Non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium est, beneficia tacere diuina.* Rectè ergo pręcipit Esaias: *Qui reminiscimini Dominum, non taceatis, nec detis silentium ei:* vt qui, per annos singulos, in memoriã reducimus beneficium Incarnationis diuinæ, non taceamus, sed prædicemus summum hoc, & maximum diuinæ sapientiæ & bonitatis, sacramẽtum. *Laudationem Domini loquetur os meum,* ait Dauid. *Eius Domini*, inquit August. serm. 27. de tẽpore, *per quẽ facta sunt omnia: & qui factus est inter omnia. Verbum Dei ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tẽpore. Conditor solis, conditus sub sole. Cuncta secula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans in vtero Matris. Ita magnus in forma Dei, breuis in forma serui? vt nec ista breuitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine breuitas ista premeretur.* Hæc Augustinus. Sed *quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Quis explicare poterit ineffabile hoc, & vere magnum, diuinæ pietatis sacramẽtum? Generationem hanc mirabilem, & inenarrabilem, diuini Verbi in vtero Virginis, quis enarrabit? In

*Leo.*
*Esai.9.*
*1. Cor. 6.*
*4. Reg. 7.*
*Leo.*
*Esai. 29.*
*Psal. 144.*
*August.*
*Psal. 105.*

utero, inquam, Virginis, quando *infirmitate carnis indutus, virginali vtero receptus est, non, conclusus*: &, vt Augustin. dicit, epistola. 3. ad Volusianum, *ipsa magnitudo virtutis eius, nullas in angusto sensit angustias.* Fateor profecto, superare hominum linguas & Angelorum, hoc Incarnationis mysterium: quod meritissime August. libro 10. de Ciuitate Dei, cap. 29. vocat *summum exemplum gratiae*: quia *gratia Dei*, inquit, *non potuit gratius commendari, quam vt ipse vnicus Dei Filius, in se incommutabiliter manens, indueretur hominem.* Sed, freti diuina hac gratia, tentabimus ad huc illud enarrare, & explicare, quibusdam verbis Sancti Iob assumptis, quibus in spiritu prophetico videtur, quamuis parabola quadam, mirabiliter præsignasse sacratissimum hoc Incarnationis mysterium, de quo agimus in præsenti.

August.

Idē Aug.

*Quis conclusit*, ait S. Iob, *ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens: cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia: & dixi Huc vsque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Mare quidem multas, ac admirabiles proprietates, & virtutes, habet: quas D. Basilius recenset, homil. 4. Hexameron, & D. Ambrosius, lib. 3. Hexameron, cap. 2. & 5. Sed in præsenti materia duas tantum expendemus, inquibus maxime assimilatur hoc maremagnum huius mundi Verbo Dei, *cuius est ipsum mare* & sua potentia *fecit illud*, vt Dauid dicit Prima proprietas est: quòd mare est principium, & causa omnium fluuiorum, & fontium, qui per occultos terræ meatus diuiduntur, & fluunt ad irrigandam, & ornandam vniuersam terram: atque iterum in ipsum mare reuertuntur, tanquàm in proprium finem, in quo quiescunt. Hoc apertè docet Salomon, inquiens: *Ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, &c.* Vbi mare, dicit esse originem, atque principium, à quo exeunt flumina: & simul esse locum, in quem se recipiunt, & conquiescunt. Secunda proprietas maris est, nec parum mirabilis: quòd quamuis vniuersa flumina redeant ad mare, atque in illud iterum se recipiant, non videbis ipsum excrescere. Neque enim maius est, aut magis

Job. 38.

Basil.
Ambros.

Psal. 94.

Eccles. 1.

abundat,

abundat, quam anteà; neque supergreditur locum alueí sui. Sic enim iterum docet Salomon, eodem loco: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Quia cum tantam in se recipiat aquarum multitudinem non erumpit ex propriis terminis, neque inundat terram, aut suo loco excidit. Has autem proprietates multò excellentius, & mirabilius, habet Verbum diuinum Filius Dei, quasi quoddam mare infinitæ magnitudinis, & latitudinis immensæ, atque incomprehensibilis cuiusdam profunditatis. Hoc mare principium est, & causa, omnium creaturarum, quæ sunt in cœlo, & in terra. Et quemadmodum aquæ prodeuntes de mari, primò sunt mare, in ipso mari; & postea sunt flumina aut fontes, quando iam exierunt de mari in terrã: ita etiam creaturæ vniuersæ, antequam producerentur à Verbo, erant, ipsa diuina essentia, in ipso Dei verbo secundùm quod dicit Euangelista Ioannes: *Quod factum in ipso vita erat.* Quod optimè explicat D. Thom 1. p. q. 18. art. 4 At verò postquam per creationem productæ sunt extra suas causas, & distinctæ inter se, cœperunt habere proprias naturas, & essentias in suo proprio esse. Et illa, quæ vnum tantum erant in Deo, tanquam in artifice, seu arte diuina, vt August. dicit, tract. 1. super Ioann. per creationem, & productionem facta sunt in se ipsis, multa, ac diuersa: Angeli, & cœli, & homines, & cætera animantia, atque elementa, quæ omnia, tanquam diuersa flumina prodierunt ab hoc magno mari diuinæ sapientiæ, ac Verbi Dei. Vnde Ioann, dicit: *Omnia per ipsum facta sunt*: & in Eccles. *Ego sapientia effudi flumina* quia Filius Dei, qui est sapientia, & Verbum Patris, tanquam mare immensum, & infinitum esse, produxit ex se ipso, & emisit, tanquã flumina, vniuersas creaturas, cõferens illis proprium esse, quod in se ipsis habent, & essentias ac perfectiones, quas habent: quę nihil aliud sunt, quam participatio quædã illius immensæ bonitatis, & infiniti esse diuini.

*Eccle. 1.* *Ioan. 1.* *D. Thomas.* *August.* *Ioan. 1.* *Eccli. 24.*

Neque verò tantum est principium, & causa efficiẽs creaturarum, hoc nostrum diuinum mare; sed etiam, est finis, & terminus, in quem reuertuntur, & conuertuntur; sicut ipsum Verbum Dei dicit de se ipso:

*Ego sum principium, & finis*: & D. Thom. egregiè docet. 1. p. q. 44. art 1. & 4 quod Deo æqualiter competit, quòd sit principium efficiens creaturarum, & quòd sit earum finis vltimus. Nam ex eo quòd Deus est infinitũ esse, habet quod sit primũ efficiens, & causa essendi, omnium creaturarum, quibus communicat suum esse. Similiter etiam ex eo quod est bonitas infinita, & substãtialis per essentiam suam habet, quod sit finis omnium illarum, quæ nihil aliud intendunt, quàm cõsequi ipsam diuinã bonitatem, & perfectionem vnaquæque secundum speciem suam, & gradum essendi, quem in vniuerso habet. Neque verò solùm in esse naturæ, quod cõmune est omnibus creaturis, ita se res habet, sed etiam in esse gratiæ, quod speciale est in Angelis & hominibus, vt Diuus Bernardns copiosè docet, sermone 13 super Cãt. Hoc enim diuinũ mare, quod est Christus Filius Dei, causa est, & principiũ, omnium gratiarũ & virtutũ, & donorum, quæ tanquã cœlestes aquæ, & supernaturales riuuli, deriuãtur in eos, ab illa infinita plenitudine gratiæ, & veritatis quę in Christo est, iuxta quod dicit S. Ioannes: *De plenitudine eius nos omnes accepimus. Omnes*, inquit; quia siue Angeli, siue homines ab illa plenitudine Christi gratiam acceperunt. Angeli quidẽ ab illo, secundũ quod Deus est, homines verò ab eo, secundũ quòd Deus homo, & Christus est. Atque inde etiã prouenit, quod tã sancti Angeli, quàm homines iusti, nihil aliud intendunt, quàm in hoc diuinum mare reuerti, tanquam in suum finem, in quo perpetuò quiescant. Vnde apud Matthæum ad vnumquemque eorum dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*: quia in illud æternum gaudium, tanquam in immensum mare, beatæ, & æternæ quietis, intrant, vt quodammodo in ipsum trans formentur, & similes illi fiant, videntes eum, sicuti est, & perfruentes fœlicissima ipsius maiestatis præsentia. Aut etiam tanquàm flumina reuertuntur, & intrant in mare, vt Diuus Bernardus meditatur, sermo. 1. in capite ieiunij, quando sancti Angeli, & homines, in ipsum Deum conuertuntur per gratiarum actionem, & vocem laudis; gratias agentes Deo, qui illos per gratiam suam ad cœlestia regna vocauit. Atque ita com-

*Apocalypsis 1*
*D. Thom.*
*Bernard.*
*Ioan 1.*
*Matth. 25.*
*Bernard.*

pletur, quod dictum est in Psal. *Aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Quasi dicat, Angeli, & beati omnes, tanquam cœlestes aquæ, in mare diuinum reuertantur, & intrent, incessabili voce laudantes, ac benedicentes Dominum, à quo habent, & quòd sint & quod beati in perpetuùm sint Sed in his omnibus diuinum *mare non redundat*: quoniam Deo nihil accrescit in se ipso gloriæ, & honoris, ex illo aquarum recursu, quæ in cœlis perpetuò illum laudant, ac benedicunt: sed idem ipse semper est & incommutabiliter permanet. *Psal. 148.*

*Quis* ergo *conclusit ostijs* hoc immensum, ac diuinũ *mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens?* Quis alius? nisi Deus Pater, in hoc admirabili Incarnationis mysterio? Sicut enim in opere primæ creationis *congregauit sicut in vtre aquas maris*, vt S. Dauid dicit: ita etiam in hoc mirabili opere nostræ reparationis, diuinum mare Filij sui, in quo immensitas omnium perfectionum est, congregauit, & conclusit, in vtero Virginis: ita tamen, vt non discederet ab æterno vtero sũmi Patris, ex quo, summa quadã misericordia, & infinita charitate, erumpens processit in vterum Virginis, factus homo, & vt Paulus dicit: *habitu inuentus vt homo.* Et proptereà consequenter dicit S. Iob. *Psal. 32.* *Philip. 2.*

*Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obuoluerem.* Nubem vocat carnẽ sacratissimã Verbi Dei, qua indutus est ab Spiritusancto, quãdo in vtero Virginis Verbum caro factũ est, De qua nube dicitur in Psalmo: *Nubes, & caligo, in circuitu eius*: & Ioann. in Apocalypsi, vidit Angelum, descendentẽ de cœlo, *amictum nube* Simul autẽ vocat nubem, & caliginem: quoniam illa carne non solùm amictus est Filius Dei, sed etiã abscõditus, occultata ipsius diuinitate. Nubes enim ista, latibulũ Deitatis eius fuit: & in qua posuit tenebras latibulũ suũ, vt magnũ hoc pietatis sacramẽtum, quod manifestatũ est in carne, abscõditũ esset ab oculis omniũ viuentium, in gloria suæ diuinitatis. Vnde & ipsi beatissimæ Virgini, in nube obumbrante, & caligine inuoluente summam illam lucem diuinitatis, manifestatum est hoc mysterium dicente Angelo: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* *Psalm 96.* *Apoc. 10.*

ac sanctarũ operationum. Et propterea meritò discessit Angelus ab ea custodienda, qui antea fuerat custos illius. Et quemadmodùm cũ plantauit Dominus paradisum, in cuius medio erat lignum vitæ, non apposuit custodem illius, Angelum, sed, vt Scriptura dicit: *Posuit in eo hominem, vt operaretur, & custodiret illũ*, videlicet ipsum paradisum: ita etiam, postquã plantauit Deus Pater in vtero Virginis, tanquã in sacratissimo paradiso, Filium suum, qui & lignum vitæ est: noluit sub Angeli custodia esse: sed Christum, Deum & hominem, in eo posuit incarnatum, vt operaretur salutem nostram in medio illius terræ, & simul esset custos sui paradisi: nõ Angelus. *Dominus tecum*, altiori, ac diuiniori modo, quã in aliqua alia creatura: quoniam in tuo vtero virginali Verbum caro factum est, vt ex te nascatur, & in nobis habitet: & quod in te, tanquã in paradiso delitiarũ, plantatum est, lignum vitæ, crescat, & ascẽdat in arborem etiam vitæ, vnde totum genus humanum fructum benedictionis æternæ colligere possit, & viuat in æternum: præstante eodem Iesu Christo. Qui cum Patre, &c.

*Gen. 2.*

---

## DE EODEM MYSTERIO Incarnationis.

## CONCIO III.

*Ecce concipies, in vtero, & paries filium.* LVC. I.

IN Hoc singulari, & admirabili, diuinæ Incarnationis sacramento, quod Deus per viscera misericordiæ suæ operatus est in nobis, libet initium sumere à verbis quibusdam D. Gregorij, lib. 20. Moralium, cap. 24. *Pene omne, quod de Deo dicitur, eo ipso iam indignum est, quòd potuit dici. Nam, cuius laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua?* Profectò, sicut in Ecclesiastico dixit Salomon sapientissimus: *Multa dicemus, & deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* Si enim de hoc Incarnationis arcano multa dixerimus, in multis deficiemus: in quo consummatio omnium

*Gregor.*

*Eccle. 43.*

ſermonum eſt: non ſolùm quia hoc diuinum opus ſumma quædam eſt, & recapitulatio, omnium operum, ac myſteriorum Dei, & abbreuiatio quædã, iuxta quod Eſaias dicit: *Conſummationem, & abbreuiationem, Dominus faciet in medio omnis terræ*: ſed etiam, quia in eius contemplatione, omnia quaſi conſummantur; neque habent vltra ſpiritum: mens obſtupeſcit; cor hebetatur; ſenſus ſilet, lingua deficit, omnis eloquentia rudis eſt: &, vt Auguſt. inquit, lib. I. confeſſ. cap. 4. *Quid dicit aliquis, cùm de te dicit? Quoniam loquaces, muti ſunt.* Cæterùm (quia ſicut D. Leo Papa dicit ſermone II. de Paſſione Domini, *ipſa materia, ex eo quod ineffabilis eſt, fandi tribuit facultatem: nec poteſt deficere quod dicatur, dum non poteſt ſatis eſſe, quod dicitur*) balbutiendo, vt poſſumus, & per ænigma quoddam, ſiue figuram, explicare conabimur hoc ſacratiſſimum Incarnationis, & magnum pietatis ſacramentum. *Eſai. 10.* *Auguſt.* *Leo.*

In Exodo ſacratiſſima narrat Hiſtoria, quod filiis Iſrael de terra Ægypti egreſſis, & per vaſtam ſolitudinem deſerti pergẽtibus ad terram promiſſionis, Deus, nouo quodam, & admirabili alimento, de cœlo miſſo, panem præſtitit per annos quadraginta, quouſque terram promiſſionis intrarent. Verba autem ſacræ Scripturæ ſic habent. *Mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cum vidiſſent filij Iſrael, dixerunt adinuicem: Quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet.* Hæc, quæ olim in figura contigerunt filiis Iſrael, mirabiliter continent ſacrum Incarnationis arcanum, de quo tractamus. Nam quod illud ſenſibile manna, figura, & typus, fuerit veri manna, Ieſu Chriſti, ipſe docuit in Euangelio Ioannis, & vniuerſi ſancti Patres conſentiunt: & quidem meritò. Nam quemadmodum illud manna ſenſibile, de cœlo deſcendens, in admirationem rapuit filios Iſrael, vt dicerent: *Quid eſt hoc?* Ita etiam, & potiori ratione, hoc magnum, & nouum, pietatis ſacramentum, quod creauit Dominus ſuper terram, in admirationem, & ſtuporem rapuit, non ſolùm homines, ſed etiam Angelos: imo & ipſam ſacratiſſimam, ac ſapientiſſimam Virginem, ita vt diceret: *Quo-* *Exod. 16.* *Ioan. 6.*

*modo fiet istud? Apparuit*, profectò, *in solitudine minutum*, tam subtile, tam delicatum, diuinæ Incarnationis mysterium, quod humanis, & angelicis mentibus ignotum omnino esset: nisi Deus ipse supernaturali lumine illis reuelasset. Et sicut illud primum manna, ministerio Angelorum missum est de cœlo in terram, vnde & *panis Angelorum* vocatus est: ita etiam diuinum mãna, quod Christus est, ministerio Angeli Gabrielis alatum est de sinu Patris in vterum Virginis, tanquam in
Psalm. 77. sacratissimam terram, sicut in Euangelio dicitur: *Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c.* Non enim Angelus, qui nuntius mysterij fuit: sed Spiritus sanctus formauit in vtero Virginis Christum, secundum carnem, vt esset panis viuus de cœlo descendens, & daret toti mundo, non tãtum cibum, sed & vitam æternam: quam præstare non poterat illud primum manna, quod antiquis Patribus datum est de cœlo.

Ait ergo primò: *Mane ros iacuit, & operuit superficiem terræ.* Quoniam in hoc mysterio, primum locum tenet Spiritus sanctus: qui tanquam diuinus quidam, & cœlestis ros, fugatis tenebris ignorantiæ, & vetustatis antiquæ, descendit super terram illam virgineam, & operuit eam: sicut in Euangelio dicitur. *Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nam ab Spiritu sancto habuit plenitudinem gratiæ, & virtutum omnium, ac donorum, supra vniuersas creaturas. Ipse etiam eam operuit, ac protexit, ne in tam admirabili Incarnationis diuinæ opere opprimeretur, aut consumeretur à gloria. Ipse denique sua omnipotenti virtute fecit, vt quæ virgo erat purissima, esset simul mater Dei, *non ex virili semine, sed mystico spiramine*, vt Ecclesia confitetur: & sicut ha-
Michaæ. 5. betur apud Michæam: *Sicut ros à Domino super herbam. quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.* Ipse enim Spiritus sanctus fuit ille ros à Domino, qui Virginem fœcundauit, neque expectauit viri concursum; quemadmodum & ipsa Virgo sacratissima confitetur. *Quoniam virum non cognosco.* Ecce ergo iam
Psal. 84. completũ, quod prophetico Spiritu sanct. Dauid prædixerat: *Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.* Dominus enim benignitatem dedit,

quando Spiritum sanctum de cœlo misit, vt superueniret in Virginem; & tanquam ros lucis diuinæ eam doceret, & sua benignitate, ac virtute, fœcundaret (Nam quod ros significet Spiritus sancti potentiam, & viuificam efficaciam, D. Cyrillus docet, lib. 3. Commentariorum super Esaiam.) Ipsa autem purissima Virgo, velut sancta terra, illo rore Spiritus sancti plena, ac fœcundata, dedit fructum suum, quando concepit in vtero, & peperit Filium suum Iesum Christum, Dominum nostrum. *Cyrillus.*

Hoc est ergo, quod statim sequitur. *Et apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ, super terram.* Notanda profectò sunt maximè verba ista, quæ mysteriis plena sunt, & ad viuum explicant hoc Incarnationis mysterium. *Apparuit*, inquit: Quia diuinum hoc Dei beneficium, sola Dei misericordia donatum nobis est: & quando neque homines illud merebantur, & paucissimi illud expectabant. Sic docet Esaias, cum inquit in persona Christi: *Inuentus sum à non quærentibus me: palàm apparui his, qui me non interrogabant.* Et apertiùs multò D. Paulus ad Titum. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam, &c.* Ecce illa duo, quæ dicebamus, rorem & terram: benignitatem Domini, & fructum terræ nostræ: Spiritum sanctum superuenientem, & Mariam concipientem in vtero. Ecce diuinitatem & humanitatem in vna persona Christi: in quo mirabiliter dedit nobis Deus (iuxta Isaac Patriarchæ prophetiã, & intelligentiam Cyrilli, lib. 9. in Genesim: & Athanasij, quæstione 99. ad Antiochum) *de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam*: quando Verbum suum de cœlo misit, vt carnem sibi assumeret in vtero Virginis, vt omnium bonorum cœlestium abundantia perfrueremur, timore malorum sublato. Hoc autem totum factum est, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Quamuis enim antiqui iusti, quodam imperfectissimo modo (quod Theologi vocant, *meritum ex congruo*, cum D. Thom. 3. par. q. 2. art. 11.) meruerint Incarnationem Christi: non tamen ex aliquo merito condigni, aut iustitiæ: sed ex sola sua misericordia Deus saluos nos

*Esai. 69.* *Ad Tit. 3.* *Genes. 27.* *Cyrillus.* *Athanas.* *D. Thomas.*

fecit. Et quid mirum est, quod iustorum merita non præcesserint Incarnationem Verbi: quandò neque ipsius Christi meritis factum est, vt benignitas & humanitas Saluatoris nostri appareret nobis, sed sola Dei misericordia? Sic enim dicit D. August. lib. de Correptione & gratia, cap. 11. plurimis verbis: vbi, inter alia, tractans illa verba: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* dicit: *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Propterea, inquit: non propter opera, quæ nondum nati vtique nulla sunt: sed propterea, quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ista natiuitas, profectò gratuita, coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam natiuitatem bona opera sequuta sunt: non bona opera meruerunt.* Propterea ergo rectè dicit Scriptura, quòd hoc diuinum manna, *apparuit*.

August.

*Apparuit*, inquit, *in solitudine*. In primis rectè vocat solitudinem, & meritò, Beatissimam Virginem Mariam: non tantùm quia sola est inter mulieres, imò & per excellentiam ipsa solitudo, in gratiarum, & virtutum, plenitudine: quibus sola, & sine exemplo, visa est, nec habere similem in cœlo, & in terra: sed etiã, singulari quodam modo, in hoc mysterio Incarnationis sola fuit, & solitudò: quia sola concepit, & sine viro, quam solus ros Spiritus sancti fœcundauit: sicut etiam Esaias prædixisse videtur: *Lætabitur*, inquit, *deserta, & inuia: & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Vbi B. Virginẽ vocat, desertam terram, & inuiam: quoniam sine viro concepit, & vir non transiuit per eam; sed sola fuit, & solitudo, in conceptione, & partu, quo Christum edidit sine pudore, & dolore lætabunda, germinans, & laudans. Et quemadmodum lilium, solo beneficio roris cœlestis, & concursus diuini, florem emittit: sic Virgo Beatissima, solo beneficio Spiritus sancti, & virtute Sanctæ Trinitatis, Christum edidit ex vtero virginali: iam profectò nõ terra deserta, sed plena benedictionis cœlestis, plena Dei Filio, plena delitijs, quasi alter paradisus Dei, sicut Esaias prædixit: *Ponet*, inquit, *desertum eius, quasi delitias; & solitudinem eius, quasi hortum Domini*. Desertum, & solitudo, Maria est, quæ virum in concipiendo non

Esa. 35.

Esa. 51.

pertulit: sed, quasi hortum delitiarum, eam posuit Deus, quando Spiritus sanctus in eam superuenit, & fructum benedictionis æternæ terra illa benedicta produxit, salua integritate virginea. Quid ni delitias dixerim, fœcunditatis decus, cum virginitatis honore: Virginitatis, inquam, singularis, quam, vt Bernardus inquit, homilia 1. super Missus est, *non temerauit, sed honorauit fœcunditas.* *Bernard.*

Possemus etiam nomine solitudinis, in qua hoc diuinum manna apparuit, intelligere mundum istũ: in quo Christus apparuit, natus de Virgine: quia tanquã in solitudine quadã, in illo natus est. Nam neque mundus eum cognouit, nec sui eum receperunt: *neque erat ei locus in diuersorio*, vt Lucas Euangelista dicit. *Ei*, dicit, non erat locus: qui tamen hominibus insipientibus, & diuitibus huius sæculi, impijs, ac peccatoribus, amplissimus erat. *Cui dedi*, inquit Iob, *in solitudine domum:* & de Christo incarnato, per figuram onagri, loquitur cui Deus in solitudine domum dedit, quando eum nasci voluit in mundo: in quo iam pene homo non erat, cũ tam pauci essent, qui ratione vterentur, & virtute, ad cognoscendum, & diligendum Deum. Vnde & Dauid dicebat: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum.* Nisi quis dicat, non esse mirum, quòd in mundo non esset intelligens, aut requirens Deum, natum secundum carnem: quia non solùm apparuit in solitudine: sed apparuit minutum, & quasi pilo tusum *Luce.2.* *Iob 39.* *Psalm.13.*

Sed ô ingentem insipientiam filiorum huius sæculi! Nonne opportuit, Filium Dei natum in mundo, apparere minutum, vt possent homines eum cognoscere, & quærere, atque imitari: Si minutum non esset, quod apparuit in carne passibili, nec capere eum posset vterus Virginis neque angustum diuersorium, nec posset in præsepio reclinari, aut in crucis patibulo mori, *& quasi pilo tundi. Apparuit*, ergo, *in solitudine minutum.* In cœlo magnus est, & immensus, & quem nõ capit vniuersitas creaturæ: super terrã verò abbreuiatũ, & minutum apparuit, sicut & Dauid dicit: *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* In cœlo Angeli, compa- *Psalm.8.*

ratiione diuini Verbi, minutissimi erant, &quasi nihilum ante ipsum: sed quando super terram manifestatum est in carne, & in illa apparuit Angelis, minor illis apparuit, tanquam homo passibilis, qui posset pati, fundere sanguinem & mori, quod ab Angelis alienum est.
Philip. 2. Sed vt Paulus dicit. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*. Quasi dicat; Sic humiliauit semetipsum in carne, sic diminuit, vt non solum minor Patre secundum carnem (sed etiam minor Angelis, apparere voluerit. Considera Christum, vnius diei infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio, atque in stabulo natum: & videbis eum, non solum ab Angelis minoratũ,
Esai. 53. sed etiam ab hominibus: & vt Esaias dicit: *despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, &c.* Ecce quo pacto S. Propheta non solum vocat eum, *nouissimum*, sed etiam, *virum dolorum*: quasi dicat: apparuisse, non solum minutum, sed etiam, *quasi pilo tusum*. Nam ex quo natus est in mundo Christus, non solum minutus, &
Psal. 87. pauper fuit: sed laboribus, ac doloribus, contusus, & fractus. Sic enim dicit per os Dauid *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*. Ecce duo dicit habuisse à principio natiuitatis, paupertatem, vt intelligas fuisse minutum: & labores, ac dolores, vt videas, fuisse quasi pilo contusum. Quid enim aliud habuit Christus à creaturis, ab exordio natiuitatis vsque ad mortem crucis, nisi aut humiliari, & minui: aut certè conteri & contundi quasi pistillo quodam? Terra in quam decidit natus, illi dura fuit: præsepe, asperum: tempus inclementissimum: penuria rerum, maxima: homines, ingrati & crudeles, denique lignum crucis, horribile, in quo tandem comminutus est, & contritus vsque ad mortem. Sed hæc omnia suauissimum mana, noster IESVS, libenter suscepit, & sustinuit, propter delenda peccata nostra. Sic enim legis apud Esaiam: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus*
Esai. 53. *est propter scelera nostra*. Et infra: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate* Vocat autem Propheta, *infirmitatem*, ipsam Christi carnem, in qua conceptus est de Virgine, natus, & passus, & cruci affixus. In hac enim infirmitate sua Christus pro nobis sic afflictus est, sic percussus, sic confractus passionibus, sic contritus, &

comminutus laboribus ac doloribus tota vita vsque ad mortem, vt dicat per os Dauid: *In puluerem mortis deduxisti me*: non quidem quod per corruptionem corpus Christi in puluerem sit redactum in morte (hoc enim impossibile erat, vt fides docet, & August. adnotauit, epist. 120. cap. 15.) sed quod ita sit laboribus & doloribus attritus, & humiliatus contumelijs, vt quasi in puluerem redactus sit. *Psal. 21.* *August.*

Vultis scire, quam comminutus, atque contritus in terra fuerit secundum carnem Christus Dominus? Videte, quid sequitur: *In similitudinem pruinæ super terram.* Meritò profectò Christum incarnatum in vterò Virginis, & natum in terra, comparat cùm descensu pruinæ super terram. Primò, quia sicut pruina nocte descendit, & tacite, ac silentio quodam, nemine sciẽte, &, exorta luce, apparet super terram: sic Dei Filius, silentio venit in vterum virginalem, non *cum strepitu, nec cum exercitu Angelorum*, vt Chrysostomus dicit, homilia, 2. in Psalmum 50. Similiterque tacite, ac sine strepitu, natus est de vtero Virginis super terram, tanquam silentij, ac secreti, & humilitatis verus amator. In cuius rei consideratione adducere solent sancti Patres illud Psalmi: *Descendet sicut pluuia in vellus, &c.* maxime verò Diuus Ambrosius, sermone. 13. & Bernardus homilia 2. super Missus est: & locum illum Sapientiæ. *Dum medium silentium contineret omnia, &c.* quem ad hoc mysterium applicat Ecclesia. Secundo: quoniã, vt Aristoteles docet, lib. 1. Meteororum, pruina nõ cadit supra montes altos, qui maximos ventorũ impetus pati solent: sed super terram planam, & humilem: ita etiam nostrum manna de cœlo non descendit supra Angelos, qui montes excelsi sunt; sed super terram, naturam humanam assumens, quæ de terra est, & sicut Paulus dicit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, & sicut sponsa dicit: *Ecce iste venit, saliens in montibus.* Quæ omnia bene adnotauit Diuus Bernardus, sermone super 53. Cantica. Denique tertio *in similitudinem pruinæ* Christus, factus homo, apparuit super terram: quia si quis attenta, ac deuota meditatione, consideret Christum natum in terra, pauperem, nudum vix pauperibus pannis inuolutum, fri- *Chrysost.* *Psal. 71.* *Ambros.* *Bernardus.* *Sapientiæ. 18* *Aristot.* *Hebr. 2.* *Cantic. 2.* *Bernard.*

gido loco nascentem, noctis, & aëris, inclementiæ expositum; quid aliud videbit in Christo, quàm *similitudinem pruinæ super terram*: quid aliud, quam Iacob Patriarcham, gelu noctis afflictum? quid aliud, quàm Deum hominem in frigore ac nuditate, nostrorum criminum pœnas sustinentem? *De cuius vtero egressa est glacies*, ait Sanctus Iob: *Et gelu de cælo quis genuit?* De
Iob. 38. cuius vtero, nisi beatissimæ Virginis: in quo, tanquã in purissimo, & altissimo cœlo, genitus est Dei Filius secundum carnem, & per natiuitatem egressus apparuit in similitudinem pruinæ super terram, & quasi quędã glacies, & gelu: vt frigora peccatorum nostrorum depelleret, & in sinu ardentissimi amoris sui, nos confoueret? Nam quod infirmum est Christi, fortitudo est, & salus, animarum nostrarum.

Vtinam & ad nos peccatores, qui terra sumus, descẽdere per gratiam dignetur, & spirituali quadã generatione, ac natiuitate, diuinum hoc manna absconditum: & cor nostrum, ab omnium rerum temporalium amore
Psal. 50. desertam terrã, & solitudinem, efficiat: *Cor contritum & humiliatum*, donet nobis, *quod non despiciat*. Ipse enim per Esaiam dicit: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu?* Denique sic carnem no-
Esai. 66. strã mortificet. & ad disciplinæ rigorem induret, vt (quemadmodũ Dauid dicit de se ipso) facti simus, *sicut vter in pruina*. & *mortificationem Iesu Christi* (cum
Psal. 118. Paulo) *semper in corpore nostro circumferamus*: vt non terreat nos asperitas disciplinę, & rigor pœnitentiæ, ieiunia, vigiliæ, & cætera eiusmodi, quæ, in præsenti quidẽ, *Non sunt gaudij, sed mœroris*, vt Paulus docet: *postea*
Hebr. 12. *autem fructum pacatissimum* (*exercitatis per ea*) *reddent iustitiæ*. Væ autem homini illi, qui, vt sæculi deliciis affluat, & in mundo consolationem habeat, eiusmodi opera pœnitentiæ, ac disciplinæ, neglexerit, & sanctæ huius pruinæ rigorem timidus, ac meticulosus, suscipere recusauerit. Continget enim illi id, quod dicit S.
Iob. 6. Iob. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*: & vt Greg. dicit lib. 7. Moral. cap. 12. *Dum temporalia aduersa per-*
Gregorius. *timescit, districtioni se æternæ animaduersionis obiicit.* Quod misericorditer à nobis auertat diuinum manna, Christus Dominus. Qui cum Patre, &c. Amen.

## DE EODEM MYSTERIO INCAR-nationis.

## CONCIO IIII.

### *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* LVC. 2.

SAcramentum humanæ salutis (inquit D.Leo, sermone. 7 de passione) *nõ licet tacere, etiãsi nequeat explicari.* Et merito profectò ita inquit. Quis enim nõ loquatur potẽtias Domini, & immẽsa diuinæ largitatis beneficia; quæ in mysterio Incarnationis exhibita populo Christiano, omni sunt laude, & prædicatione dignissima? *Væ mihi, quia tacui,* ait Esaias: Et, *Væ mihi est, si non euangelizauero,* ait Paulus. Immo verò illud ipsum rectè nobis conueniret, quod quidã leprosi dicebant: *Si tacuerimus, & noluerimus annuntiare, sceleris arguemur.* Nam, vt egregiè dicit D. Leo, serm. 1. in anniuersario die Assumptionis suę: *Non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium est, beneficia tacere diuina.* Rectè ergo pręcipit Esaias: *Qui reminiscimini Dominum, non taceatis, nec detis silentium ei:* vt qui, per annos singulos, in memoriã reducimus beneficium Incarnationis diuinæ, non taceamus, sed prædicemus summum hoc, & maximum diuinæ sapientiæ & bonitatis, sacramẽtum. *Laudationem Domini loquetur os meum,* ait Dauid. *Eius Domini,* inquit August. serm. 27. de tẽpore, *per quẽ facta sunt omnia: & qui factus est inter omnia. Verbum Dei antè omnia tempora, Verbum caro opportuno tẽpore. Conditor solis, conditus sub sole. Cuncta secula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans in vtero Matris. Ita magnus in forma Dei, breuis in forma serui? vt nec ista breuitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine breuitas ista premeretur.* Hæc Augustinus. Sed *quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Quis explicare poterit ineffabile hoc, & vere magnum, diuinæ pietatis sacramẽtum? Generationem hanc mirabilem, & inenarrabilem, diuini Verbi in vtero Virginis, quis enarrabit: In

*Leo.*
*Esai. 9.*
*1. Cor. 6.*
*4. Reg. 7.*
*Leo.*
*Esai. 29.*
*Psal. 144.*
*August.*
*Psal. 105.*

August. vtero, inquam, Virginis, quando *infirmitate carnis indutus, virginali vtero receptus est, non, conclusus*: &, vt Augustin. dicit, epistola. 3. ad Volusianum, *ipsa magnitudo virtutis eius, nullas in angusto sensit angustias* Fateor profectò, superare hominum linguas & Angelorum, hoc Incarnationis mysterium: quod meritissimè August. libro 10. de Ciuitate Dei, cap. 29. vocat *summum exemplum gratiæ*: quia *gratia Dei*, inquit, *non potuit gratius commendari, quam vt ipse vnicus*

Idē Aug. *Dei Filius, in se incommutabiliter manens, indueretur hominem*. Sed, freti diuina hac gratia, tentabimus ad huc illud enarrare, & explicare, quibusdam verbis Sancti Iob assumptis, quibus in spiritu prophetico videtur, quamuis parabola quadam, mirabiliter præsignasse sacratissimum hoc Incarnationis mysterium, de quo agimus in præsenti.

Job. 38. *Quis conclusit*, ait S. Iob, *ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens: cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia: & dixi Huc vsque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Mare quidem multas, ac admirabiles proprietates, & virtutes, habet: quas D. Basilius

Basil. recenset, homil. 4. Hexameron, & D. Ambrosius, lib.

Ambros. 3. Hexameron, cap. 2. &. 5. Sed in præsenti materia duas tantum expendemus, inquibus maxime assimilatur hoc maremagnum huius mundi Verbo Dei, *cuius est ipsum mare* & sua potentia *fecit illud*, vt Dauid dicit Prima proprietas est: quòd mare est principium, &

Psal. 94. causa omnium fluuiorum, & fontium, qui per occultos terræ meatus diuiduntur, & fluunt ad irrigandam, & ornandam vniuersam terram: atque iterum in ipsum mare reuertuntur, tanquàm in proprium finem, in quo

Eccles. 1. quiescunt. Hoc apertè docet Salomon, inquiens: *Ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, &c.* Vbi mare, dicit esse originem, atque principium, à quo exeunt flumina: & simul esse locum, in quem se recipiunt, & conquiescunt. Secunda proprietas maris est, nec parum mirabilis: quòd quamuis vniuersa flumina redeant ad mare, atque in illud iterum se recipiant, non videbis ipsum excrescere. Neque enim maius est, aut magis abundat,

abundat, quam anteà; neque supergreditur locum alueì sui. Sic enim iterum docet Salomon, eodem loco: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat.* Quia cum tantam in se recipiat aquarum multitudinem non erumpit ex propriis terminis, neque inundat terram, aut suo loco excidit. Has autem proprietates multò excellentius, & mirabilius, habet Verbum diuinum Filius Dei, quasi quoddam mare infinitæ magnitudinis, & latitudinis immensæ, atque incomprehensibilis cuiusdam profunditatis. Hoc mare principium est, & causa, omnium creaturarum, quæ sunt in cœlo, & in terra. Et quemadmodum aquæ prodeuntes de mari, primò sunt mare, in ipso mari; & posteà sunt flumina aut fontes, quando iam exierunt de mari in terrā: ita etiam creaturæ vniuersæ, antequam producerentur à Verbo, erant, ipsa diuina essentia, in ipso Dei verbo secundùm quod dicit Euangelista Ioannes: *Quod factum in ipso vita erat.* Quod optimè explicat D. Thom 1. p. q. 18. art. 4 At verò postquàm per creationem productæ sunt extra suas causas, & distinctæ inter se, cœperunt habere proprias naturas, & essentias in suo proprio esse. Et illa, quæ vnum tantum erant in Deo, tanquam in artifice, seu arte diuina, vt August. dicit, tract. 1. super Ioann. per creationem, & productionem facta sunt in se ipsis, multa, ac diuersa: Angeli, & cœli, & homines, & cætera animantia, atque elementa, quæ omnia, tanquam diuersa flumina prodierunt ab hoc magno mari diuinæ sapientiæ, ac Verbi Dei. Vnde Ioann, dicit: *Omnia per ipsum facta sunt:* & in Ecclesi. *Ego sapientia effudi flumina* quia Filius Dei, qui est sapientia, & Verbum Patris, tanquam mare immensum, & infinitum esse, produxit ex se ipso, & emisit, tanquā flumina, vniuersas creaturas, cōferens illis proprium esse, quod in se ipsis habent, & essentias ac perfectiones, quas habent: quę nihil aliud sunt, quam participatio quædā illius immensæ bonitatis, & infiniti esse diuini.

*Eccle. 1.*
*Ioan. 1.*
*D. Thomas.*
*August.*
*Ioan. 1.*
*Eccli. 24.*

Neque verò tantum est principium, & causa efficiēs creaturarum, hoc nostrum diuinum mare; sed etiam est finis, & terminus, in quem reuertuntur, & conuertuntur; sicut ipsum Verbum Dei dicit de se ipso:

*Ego sum principium, & finis*: & D. Thom. egregiè do-
*Apocalypsis 1* cet. 1. p. q. 44. art 1. & 4 quod Deo æqualiter compe-
*D. Thom.* tit, quòd sit principium efficiens creaturarum, & quòd sit earum finis vltimus. Nam ex eo quòd Deus est infinitũ esse, habet quod sit primũ efficiens, & causa essendi, omnium creaturarum, quibus communicat suum esse. Similiter etiam ex eo quod est bonitas infinita, & substãtialis per essentiam suam habet, quod sit finis omnium illarum, quæ nihil aliud intendunt, quàm cõsequi ipsam diuinã bonitatem, & perfectionem vnaquæque secundum speciem suam, & gradum essendi, quem in vniuerso habet. Neque verò solùm in esse naturæ, quod cõmune est omnibus creaturis, ita se res habet,
*Bernard.* sed etiam in esse gratiæ, quod speciale est in Angelis & hominibus, vt Diuus Bernardns copiosè docet, sermone 13 super Cãt. Hoc enim diuinũ mare, quod est Christus Filius Dei, causa est, & principiũ, omnium gratiarũ & virtutũ, & donorum, quæ tanquã cœlestes aquæ, & supernaturales riuuli, deriuãtur in eos, ab illa infinita
*Joan 1.* plenitudine gratiæ, & veritatis quę in Christo est, iuxta quod dicit S. Ioannes: *De plenitudine eius nos omnes accepimus. Omnes*, inquit; quia siue Angeli, siue homines ab illa plenitudine Christi gratiam acceperunt. Angeli quidẽ ab illo, secundũ quod Deus est, homines verò ab eo, secundũ quòd Deus homo, & Christus est. Atque inde etiã prouenit, quod tã sancti Angeli, quàm homines iusti, nihil aliud intendunt, quàm in hoc diuinum mare reuerti, tanquam in suum finem, in quo perpetuò quiescant. Vnde apud Matthæum ad vnumquemque eorum dicitur:
*Matth. 25.* *Intra in gaudium Domini tui*: quia in illud æternum gaudium, tanquam in immensum mare, beatæ, & æternæ quietis, intrant, vt quodammodo in ipsum trans formentur, & similes illi fiant, videntes eum, sicuti est, & perfruentes fœlicissima ipsius maiestatis præsentia. Aut etiam tanquàm flumina reuertuntur, & intrant in mare, vt Diuus Bernardus meditatur, sermo. 1. in
*Bernard.* capite ieiunij, quando sancti Angeli, & homines, in ipsum Deum conuertuntur per gratiarum actionem, & vocem laudis; gratias agentes Deo, qui illos per gratiam suam ad cœlestia regna vocauit. Atque ita com-

pletur, quod dictum est in Psal. *Aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Quasi dicat, Angeli, & beati omnes, tanquam cœlestes aquæ, in mare diuinum reuertantur, & intrent, incessabili voce laudantes, ac benedicentes Dominum, à quo habent, & quòd sint & quod beati in perpetuùm sint Sed in his omnibus diuinum *mare non redundat*: quoniam Deo nihil accrescit in se ipso gloriæ, & honoris, ex illo aquarum recursu, quæ in cœlis perpetuò illum laudant, ac benedicunt: sed idem ipse semper est & incommutabiliter permanet. Psal. 148.

*Quis* ergo *conclusit ostijs* hoc immensum, ac diuinũ *mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens?* Quis alius? nisi Deus Pater, in hoc admirabili Incarnationis mysterio? Sicut enim in opere primæ creationis *congregauit sicut in vtre aquas maris*, vt S. Dauid dicit, ita etiam in hoc mirabili opere nostræ reparationis, diuinum mare Filij sui, in quo immensitas omnium perfectionum est, congregauit, & conclusit, in vtero Virginis: ita tamen, vt non discederet ab æterno vtero sũmi Patris, ex quo, summa quadã misericordia, & infinita charitate, erumpens processit in vterum Virginis, factus homo, & vt Paulus dicit: *habitu inuentus vt homo.* Et propterea consequenter dicit S. Iob. Psal. 32. Philip. 2.

*Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obuoluerem.* Nubem vocat carnẽ sacratissimã Verbi Dei, qua indutus est ab Spiritusancto, quãdo in vtero Virginis Verbum caro factũ est, De qua nube dicitur in Psalmo: *Nubes, & caligo, in circuitu eius*: & Ioann. in Apocalypsi, vidit Angelum, descendentẽ de cœlo, *amictum nube.* Simul autẽ vocat nubem, & caliginem: quoniam illa carne non solùm amictus est Filius Dei, sed etiã abscõditus, occultata ipsius diuinitate. Nubes enim ista, latibulũ Deitatis eius fuit: & in qua posuit tenebras latibulũ suũ, vt magnũ hoc pietatis sacramẽtum, quod manifestatũ est in carne, abscõditũ esset ab oculis omniũ viuentium, in gloria suæ diuinitatis. Vnde & ipsi beatissimæ Virgini, in nube obumbrante, & caligine inuoluente summam illam lucem diuinitatis, manifestatum est hoc mysterium dicente Angelo: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Psalm 96. Apoc. 10.

Quo loco *vmbram* vocat ipsam Christi carnem (vt Bern. dicit, ser. 31. In Cant.) in qua se occultauit diuinitas eius, vt posset etiam à Virgine, illo inuolucro, sustineri præsentia maiestatis, & lux illa inaccessibilis. *Bernard.* Meritò autem caro Christi appellatur vmbra diuinitatis. ait Origenes, lib. 2. Peri Archon, cap. 6. quia sicut vmbra inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter eosdem motus, & gestus suscipit: ita etiam humanitas, inseparabiliter Verbo adhærens, pro motu eius, ac voluntate, cuncta perpetrabat, secundùm quod ipse Christus dixit: *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei facio semper.* Hac igitur cœlesti, ac mirabili nube carnis, magnus Dominus, & immensum mare inuolutum est, ac vestitum, vt posset à nobis & videri, & inueniri, atque adorari. Vnde & Angelus dixit pastoribus: *Inuenietis infantem pannis inuolutum &c.*

*Origenes.* *Ioan. 8.* *Luca. 2.*

Deinde consequenter dicit S. Iob: *Circundedi illud terminis meis.* Certum est, terminos maris nihil aliud esse, quàm terram, siue arenam, dicente domino, per Hieremiã: *Posui arenam, terminum maris* Quid autem est homo, nisi terra, & puluis, aut arena? Sed istos terminos terræ habet in carne Verbum Dei, istis circundatum est immensum mare, in sacratissimo vtero Virginis, de qua Hieremias dicit: *Foemina circundabit virum.* Et meritò *virum* vocat, qui tã magnus est, vt multo *latior sit mari*, vt S. Iob dicit: sed propter nos circundedit eum Deus carne, velut arena quadam infirma: & quemadmodum Paulus dicit, *Et ipse circundatus est infirmitate.* Carne videlicet mortali atque passibili: in qua posset labores pati, ac crucifigi, & mori, vt saluũ faceret populũ suũ à peccatis eorũ, & ad portũ salutis deducere.

*Hierem. 5.* *Hiere. 31.* *Iob. 11.* *Hebr. 5.*

Deinde dicit: *Posui vectem, & ostia.* Vectẽ vocat mirabilẽ vnionẽ, qua in mysterio Incarnationis Verbũ Dei vnitũ est humanitati, tanto fœdere, ac tanta vi, & nexu vt impossibile sit, siue in vita, siue in morte, carnẽ, aut animã Christi, à persona Verbi separari. *Vectem* etiã vocat infinitũ amorem illum, quo Filius Dei conglutinatus est animæ & carni Christi, tã forti amplexu, vt iam nunquã dissolui possit. *Ostia* verò vocat, animã & carnẽ Christi, quibus tanquã ostiis quibusdam conclusit Deus

Verbum suum in carne, vt esset *Deus absconditus*. Aut certè ostia vocat purissima, & beatissima viscera Mariæ Virginis; quæ nouem mēsibus clausum habuerunt Dei Filium secundùm carnem quam Spiritus sanctus in eius vtero formauit, ita tamen, vt mirabilis illa porta semper clausa fuerit, & virginitatis vecti semper munita, & corroborata; vt impleretur, quod Ezechiel prædixerat: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eā: quoniam Dominus Deus ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Clausa, inquit, propter signaculum pudoris, & immaculatæ carnis integritatem, vt August. docet. *Non enim* (inquit, serm. 6. de tempore) *est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu.* Ezech. 44. August.

Sequitur: *Et dixi, Huc usque venies, & non procedes amplius.* Quoniā Deus hoc singulare beneficium Incarnationis soli homini reseruauit, quo diuinum Verbum, & vastissimum mare diuinitatis, sic naturā humanam assūpsit, in vnitate personæ, vt amplius non processerit, neque alteri naturæ creatæ, etiā angelicæ, quæ multo perfectior est, hanc mirabilem vnionem communicauerit. Sic enim dixit Paulus, *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu? &c.* Quamuis enim Sancti Angeli, filij Dei sint per gratiam adoptionis: nullus tamen eorum est filius Dei naturalis, per vnionem personalem ad Verbum. Vnde & subdit: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* In quo (teste Chrysostomo, homilia 5.) multam Deus benignitatem, & charitatem, demōstrauit, quam circa genus humanum habet, in eo quòd carnem ex nobis assumpsit, & Angelis hoc non donauit. *Et reuera magnum, & admirabile, & stupore plenum est* (ait Chrysost.) *carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis & Archangelis. Hoc ergo sæpe in monte versans, excessum patior, &c.* Nec mirum esse debet, quod Chrysostomus, considerans hoc mirabile opus Dei, in excessum rapiatur, & expauescat: quandò & Sanctus Dauid in eiusdem mysterij, & summi beneficij consideratione, cùm audisset à Domino promissionem illam magnam de regno futuro Salomonis: *Ego ero illi in patrē, & ipse erit mihi in filiū,* statim in admirationē, & extasim raptus & altitudinem Hebr. 1. Hebr. 2. Chrysost. 2. Reg. 7.

beneficij Incarnationis in spiritu agnoscens, ait: *Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque?* Hoc est: In tantam dignitatem, & gloriã vt qui est verus Filius Dei, simul etiam sit verus filius David secundum carnem. Et postea subdit: *Propter* 2. Reg. 7. *Verbum tuum, & secundum cor tuum, fecisti omnia magnalia hæc.* Non enim propter nostra merita, sed propter Verbum promissionis suæ, & propter nimiam charitatem cordis sui, qua dilexit nos, Deus voluit humanã naturam assumere, in vnitatem personæ. Nec tamen processit amplius, vt Angelicam naturam assumeret. Huc vsque enim Deus humanam naturam honorauit, & exaltauit in Christo: & (vt tandem verbis vtar Samuelis) *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.*

1. Reg. 7. Vnde recte, & consequenter concludit S. Iob: *Et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Vbi primo vocat *tumentes fluctus*, immensam copiam, & abundantiam diuini amoris, quo Verbum Dei dilexit nos, & voluit naturã nostrã assumere, & in illa cõcipi in vtero Virginis, & nasci, ac multa pati, atque in cruce poni pro salute hominum: quasi non posset alio modo impetus amoris eius sedari, & quiescere, nisi vehementes fluctus illius in carne humana frangerentur. Vnde & Paulus de illo Philip. 2. dixit: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* Quasi dicat: quod ideo Christus ex humilitate, & obedientia, & summa charitate, processit vsque ad mortem crucis: vt ibi confringeret tumentes fluctus incredibilis amoris sui. Mirabiles profecto elationes huius maris: mirabilis & ipse Dominus ab vtero Virginis, vsque ad altitudinem crucis: in qua, licet multos dolores pro nobis sustinuit, & quales nullus hominum passus est, vt D. Thomas ostendit. 3. p. q. 46. artic. 6. D. Thom. profecto, si iuxta mensuram amoris, liberum illi fuisset, dolores & plagas assumere, multo plures, & maiores, assumpsisset pro nobis, & quasi absque vllo termino. Sed propterea *circumdedit eum Deus terminis suis, & dixit: Huc vsque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Fluctus, vt dixi, infinitæ illius charitatis, qua se Christus obtulit passioni pro nobis.

Sed & alio secundo modo intelligi potest quod dicit

S Iob: *Hinc confringes tumentes fluctus tuos.* Vt nomine fluctuum intelligamus, seueritatem magnam, & iram iusti Dei, qua peccata hominum detestabatur, & summo quodam rigore,& quasi furore,arguebat, & puniebat:ita vt non esset, qui resistere posset vultui iræ eius. Vnde & alibi S. Iob dicit: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum: & pondus eius ferre non potui.* Iob.31.
Adeo terribilis, & seuerus erat Deus super filios hominum. Vide quam magnus,quam terribilis, quam iratus fuerit Deus in peccatores, & quam implacabilis: ita vt nemini parceret. Primum hominem, mandati sui præuaricatoré, statim è paradiso eiecit:deinde, cum multiplicata essent peccata, & multa malitia hominum esset in terra, fere omnes diluuio absumpsit. Ciuitates Sodomorum incendio consumpsit: Pharaonem, & Ægyptios omnes, in mari rubro submersit: Dathan, & Abiron, terra deglutiuit. Isti sunt fluctus Dei, quos S. Iob metuebat. At postea quam Dei filius ex summa misericordia carnem assumpsit passibilem, in ipsius carne cõfracti sunt omnes fluctus iræ Dei, & quieuerũt, Vnde & in Psalmo dicitur: *Dixit vt disperderet eos: si non Moyses, electus eius, stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret irã eius, ne disperderet eos.* Psal.105. Quæ verba Diuus Bernardus, serm.56. in Cant. de Christo Domino intelligit, quod ipse stetit in confractione: quoniam secundũ diuinitatem impassibilis stabat, secundum carnem vero confractus erat doloribus, & quos sustinuit ab ipsa natiuitate vsque ad mortem Aut aliter. *Stetit in confractione*, hoc est, in ipsa plaga, & pœna, cui nos eramus obnoxij propter peccata, quando, sicut dicitur apud Esaiam, *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Sed hoc pacto *stetit etiam in confractione* quoniam his suis doloribus, & passionibus, iram Dei aduertit, atque confregit tumentes fluctus eius. Qui omnes in carne Christi siluerunt, & Deus ipse placatus mansit, atque mansuetus effectus est. Sic enim dicit ipse Christus ad Patrem in Psalmo. *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Quoniam omnem iram, & tempestatem furoris sui, quam in homines peccatores effusurus erat Deus, induxit super Christum: qui peccata

(Margin: Bernard. — Esai.53.)

eorum suscepit, vt pro illis pateretur, & satisfaceret Patri Cui tamen ita satisfecit ex toto iustitiæ rigore, vt omnino auerterit iram Dei, & indignationem à nobis, sicut & postea dicit: *In me transierunt iræ tuæ.* Quoniam flagella Dei, quæ peccata hominum merebantur, induxit Deus super Christum, vt pro nobis pateretur. Sed eius passione transierunt omnes iræ Dei à nobis: & vt Paulus docet, Per eum reconciliata sunt omnia in corpore carnis eius, & *pacificauit per sanguinem crucis suæ, quæ in terris, & quæ in cælis sunt.* Beata ergo viscera Mariæ Virginis, in cuius sacratissimo vtero carnem suscepit Filius Dei pro salute nostra: quoniam hucusque venire potuit, nec procedere amplius, omnipotentia, & summa sapientia Dei, & amplissimũ mare misericordiæ, & charitatis eius, qua dilexit hominem, vt per ipsum homo intrare possit diuinum mare beatitudinis æternæ quam acquisiuit nobis suo sanguine ipse Christus Filius Dei viui, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat, &c. Amen.

*Psal. 87.*

*Colos. 1.*

# DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI.

## CONCIO PRIMA.

ALTERVM Opus Dei, non minus cardinale, atque præcipuum, inter ipsius opera, est Natiuitas Christi secundum carnem, ex intemerato Virginis vtero: & quod in admirationem rapuit Abacuc Prophetam. Qui in eius consideratione, quasi mente suspensus, & alienatus, dixit, *Domine opus tuum*. Neque explicat, quantum, aut quale, sit istud opus: significans, illud esse mirabile, atque ineffabile inter opera Dei, sicut reuera est, vt Bernardus dicit, sermone 3. in vigilia Natalis Domini, *opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera Dei*. De hoc ergo tam inenarrabili opere, & nouo mysterio Natiuitatis Christi, pauca narrabimus, auxiliante diuina gratia, & Incarnati Verbi magisterio.

*Abac. 3.*

*Bernard.*

***Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.***
IOANN. 1.

SAcratissimum Natalis Christi Diem *solem nouum* appellari solitum, D. Amb. fatetur, serm. 16. & Propheta Malachias multo ante prædixerat, *Orietur*, inquit, *vobis sol iustitiæ*. Merito profecto Natiuitas Saluatoris secundum carnem, comparatur ortui solis. Nam quemadmodum sol, quando oritur nobis, iam antea erat, sed incipit apparere in hoc nostro hemisphærio: sic etiam Dei Filius, quando de Virgine natus est se-

*Ambros.*

*Malach. 4.*

cundum carnem non primo nasci cœpit, sed *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* Patrem, de
Ioan. 1. quo in æternitate ante omnia tẽpora natus est. Vnde Propheta Malachias non absolutè dixit, *orietur sol iustitiæ*, sed *orietur vobis*: quasi diceret? Ille sol iustitiæ qui in æternitate ortus est de Deo Patre, orietur vobis, in plenitudine temporis, secundum carnem de
Luc. 1. Virgine Matre. Eodem modo S. Zacarias prophetauit dicens? *Visitauit nos oriens ex alto*. Non enim absolutè dixit, *oriens*, sed, *oriens ex alto*: quoniam ille qui erat *Altissimi filius* secundum deitatem, descendens de cœlo, factus est ex semine Dauid secundùm carnem,
1. Ioan. 1. & Virginis filius, visitauit nos, & habitauit in nobis: & vt S. Ioannes Euangelista dicit? *Vita manifestata est, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*. Erat quidem apud Patrem per æternam natiuitatem, quandò Verbum erat apud Deum, & dei filius *ille sæculis antiquior*
Nazianz. vt Gregorius Nazianzenus dicit, oratione. 42.) *ille inuisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud principium ex principio, illud lumen ex lumine, ille fons vitæ & immortalitatis: ille, inquam apparuit nobis, & manifestatus est in carne quando Verbum caro factum est, & carnem, carnis causa, suscepit, & cum intellectuali anima, propter animam nostram, coniunctum est vt simile per simile redimeret, atque purgaret.*

Hanc igitur duplicem Christi Natiuitatem, alteram in æternitate secundum deitatem ex vtero Patris, & alteram in tempore secundum carnem ex vtero Matris Virginis, fides catholica docet, & sancta mater Ecclesia veneratur, & verba à principio posita ex Euangelio aperte significant, quibus dicitur, *Verbum caro factum est*. Ac si diceret. Quod erat Verbum per natiuitatem ex Patre ante omnia tempora, postea factum est caro per natiuitatem temporalem, quando venit plenitudo temporis, & habitauit in nobis in terris visum, & cum hominibus conuersatum.

Hoc tam singulare mysterium vtriusque natiui-
Iob. 38. tatis Christi, prophetico spiritu præuidisse, ac prænuntiasse videtur S. Iob, quando dicit: *Nunquid post ortum tuũ præcepisti diluculo?* Soli enim Christo hoc potuit conuenire, vt ab æterno natus secundũ deitatẽ de

Patre, præciperet diluculo, hoc est, sibi ipsi incarnato in vtero Virginis, vt oriretur, & nasceretur ex ea secundum carnem, temporali natiuitate. Nam quòd ortus diluculi significet Natiuitatem Christi secundùm carnem, colligi potest ex prophetia Oseæ, qua dicitur: *Quasi diluculum præparatum est egressus eius*. Vbi Christum dicit egredi, quasi diluculum. Quia quemadmodùm diluculum est quædam lux admixta tenebris: ità etiam Christus est Deus coniunctus humanitati, & Verbum vnitum carni: & in quo lux diuinitatis lucet in tenebris humanitatis nostræ. Rectè ergo dicit S. Iob, quod Filius Dei, post ortum suum per æternam natiuitatem, præcepit, & ordinauit, temporalem sui ipsius natiuitatem in terra. Vnde statim subdit: *Et ostendisti auroræ locum suum*? Eundem Christum, quem vocauit diluculum, vocat auroram: cui Deus locum suum ostēdit: quando eum nasci voluit in terra, in tam humili loco atque despecto, vt nasceretur in stabulo, reclinaretur in præsepio, & *non esset ei locus in diuersorio*. Ad hoc enim præparatus est egressus eius secundùm carnem, vt propter nos humilis esset, & humiliatus in loco afflictionis. *Oseæ 6.* *Lucæ. 2.*

Ad eundem sensum subdit posteà S. Iob. *Sciebas tūc, quòd nasciturus esses: & numerum dierum tuorum noueras*? Quasi diceret Deus homini. Sciebas tu, quòd nasciturus esses: sicut ego, me secundùm carnem nasciturum, noui, qui & ante humanitatis ortum in diuinitate semper apud Deum Patrem substantialiter eram? Nam vt rectè D. Gregorius dicit, libr. 29. Moralium, cap. 10. *Homines tunc esse incipiunt, cùm in materni vteris concipiuntur* (concipi enim in vtero, nasci quoddam est, vt constat Matthæi 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*:) *& idcirco se nascituros nesciunt: quia priusquàm creentur, non existunt. Deus verò, qui sine initio semper existit, præsciuit de se hoc, quod in vtero Virginis per initium sumpsit: & quia præsciuit, disposuit: quia disposuit, nihil profectò in humana forma sine sua volūtate tolerauit* Hæc Greg. Et similem doctrinam tradit optimis verbis August. ser. 13. de tempore, & Bernardus, serm. 3. de Natali Domini. Itaque quia Verbum, quod erat apud Deum, caro factum est in vtero Virginis: manifestum est, quòd se- *Gregor.* *Matth. 1.* *August.* *Bernard.*

cundûm diuinitatem præsciuit ab æterno, quòd in tempore nasciturus erat secundum carnem: quod nulli hominum, nisi soli Christo conuenire potuit, qui solus inter homines Deus & homo est.

. Possunt etiam hæc verba S. Iob intelligi de Christo, etiam secundum humanam naturã; si supponamus ex D. Thoma 3. p. q 15. art. 10 & quæstione 34. art. 4. & aliorum sanctorum Patrum, quod anima Christi, ab instanti Incarnationis eius in vtero Virginis, habuit tantam plenitudinem gratiæ, & sciẽtiæ à Deo infusæ, vt etiam habuerit scientiam beatam, qua statim vidit Deum, sicut modo videt in cœlo. *Beatus*, ait Dauid, *quem elegisti, & assumpsisti*: quoniam ille homo Christus Iesus, quem Verbum assumpsit, quando Verbum caro factum est, beatus fuit à principio ipsius assumptionis, & anima eius vidit Deum facie ad faciem. Itaque quamuis secundum corpus habitabat in terra: secundum animam beatam *habitabat in atriis Domini*. Ex quo colligitur, quod solus ille in vtero matris existens, sciebat, etiam secundum animam, quando nasciturus erat ex vtero Virginis: & quando compleretur numerus dierum, & mensium eius; & simul implerentur dies B. Virginis, vt pareret filium suum primogenitum. Alij quidem homines, numerum dierum suorum prorsus ignorant, dicente Iob. *Breues dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud te est*. Quasi dicat, apud Deum tãtum esse cognitum numerum mensium, & temporum, vitæ hominum; quę tamen prorsus ipsi homines ignorant: & dicente Dauid: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est*.: Sed Christus Dominus, non solum quia Verbum Dei erat, sed etiam quia homo beatus erat, in Vtero Virginis planè cognouit, quando nasciturus esset, & quanto tẽpore mortalem vitam ageret, & illam per mortem finiret, vt in vita immortali, etiam secundum carnem perpetuo regnaret.

D. Thoma.

Psal. 64.

Iob. 14.

Psalm. 38.

Mira profectò vtraque natiuitas Christi est: & illa prima, qua ab æterno genitus est ex Patre: & hæc secunda, qua sublimis illa maiestas, procedens ex corde Patris, & infundens se in vtero Matris, post nouem menses homo natus est ex ea. *Mira est hac secunda na-*

*tiuitas*, ait Augustinus, lib. 4. de Symbolo ad catechumenos, cap. 4. *ceterum illam, qua de Patre natus est sine matre, quis enarrabit? Si hanc non possumus explicare; illam quando valemus & inchoare? Si hæc ita nos exercet, vt fidei det locum, illam quando attingimus, quam nec corda comprehendere potuerunt* Prophetarum? *de hac tamen secunda, mira, & ineffabili, dicamus aliquid quod factum est pro nobis, vt Verbum caro fieret, & habitaret in nobis.* Hæc August. Hoc autem nos præstare intendimus assumpto quodam testimonio Sapientiæ. 6. & 7. vbi sic dicitur. *Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit, referam; & non abscondam à vobis sacramenta Dei: sed ab initio natiuitatis inuestigabo.* Manifestum omnibus, & notum esse existimo, sapientiam in Scriptura sacra appellari Christum Dominum, quem Paulus vocat *Dei virtutem, & sapientiam.* Quem locum referens Gregorius Nazianzenus, Oratione 49. quæ est de fide, ait; *Hæc est illa sapiētia ineffabilis quæ initio viarum Dei apud Salomonem, vel condita, vel genita, vel creata, describitur. Quam tamen sic conditam dicit, vt eam semper cum Deo fuisse demonstret.* Hæc est illa, inquam, sapientià Dei, quæ dicit; *Ego ex ore Altissimi prodiui. Vniuersitatis conditrix, & effectrix, id est, Filius Dei, per quæ omnia, & in quo omnia. Quia Apostolus dixit: In ipso constituta sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia. Hinc & Salomon, cum sit, inquit, vna, omnia potest, & permanens in se, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Quod firmans Apostolus, ait: In interiore homine habitare Christum, vt per quem omnia à principio facta sunt, per ipsum in fine cuncta saluentur* Ad eundem ferè modum loquitur D. Ambrosius, lib. 3. de fide, cap. 3. copiosè, & alij sancti Patres, qui Christum sapientiam increatam, & æternam, esse docent contra Arrianos, & à Patre genitam; non autem factam, vel creatam. De qua generatione inenarrabili non est modo differendum.

Appellatur prӕterea Christus *sapientia Dei*, etiam secundum humanā naturam, propterea quod sicut Augustinus egregie docet, libro de Agone Christiano, cap. 20. *Non sicut cæteri homines, qui sapientes sunt, habe sapientiam Dei, sed ipsam personam sustinet sapientiæ Dei: eque habet solum beneficium illius diuinæ sapientiæ; sed*

Aug. | Sapient. 6. & 7. | 1. Cor. 1. | Nazian. | Ambros. | August.

*etiam personam gerit: quemadmodum alij homines iusti habent in se verbum Dei, sed in nullo eorum rectè dici potest, quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, nisi in* 1. Cor. 1. *solo Domino nostro Iesu Christo.* Rectè ergo dicit Paulus, quòd *factus est nobis à Deo sapientia*. quia secundum humanitatem, & carnem, Christus factus est: in quo Sapientia Patris personaliter assumpsit humilitatem carnis nostræ. Et, sicut egregie docet D. Bernardus, sermone 22. super Cant. *Quomodo ergo in principio erat Verbum, sed Verbum erat apud Deum, factum est autem, quatenus inciperet esse & apud homines: sic nihilominus sapientia in principio erat, erat iustitia, erat sanctificatio & redemptio, sed Angelis vt esset, & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique qui factus est, inquit, nobis sapientia a Deo, & non ait simpliciter, Qui factus est sapientia, sed, Qui factus est nobis sapientia: quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis.*

Bernard.

De hac ergo creata sapientia, quæ facta est à Deo secundum humanitatem in sacramento Incarnationis, inuestigandum nobis est à principio natiuitatis. Nam increata sapientia, sine principio genita est à Patre; quoniam *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, & ab ipsa sapiẽtia facta sunt omnia quæ in principio temporis de nihilo condita sunt in cœlo, & in terra. Qualis autem fuerit modus natiuitatis eius in humana carne, prosequitur Salomon, inquiens; *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus*. Ita enim Verbum caro factum est, vt carnem mortalem & passibilem assumpserit, & similem carni aliorum hominum: ita tamen quod carnem peccati non acceperit, sed *similitudinem carnis peccati*, vt Paulus dicit. Est ergo homo similis nobis passibilis: non tamen similis nobis peccator, qui nec peccatum fecit, nec facere potuit.

Rom. 8.

Sequitur. *Ex genere terreno illius, qui prior factus est.* Nam teste D. Thoma 3. p. q. 4. art. 6. & quæst. 31. art. 1. conuenientissimè factum est, vt Deus humanam naturam de genere Adę susciperet. Hoc enim pertinebat ad maiorem hominis dignitatem, dum illo genere victor diaboli nascitur, quo per diabolum fuerat victus. Quã rationem assignat etiam Aug. lib. 13. de Trinitate c. 18.

D. Thomas.

August.

Sequitur. *Et in ventre matris figuratus sum caro.* Hoc

est, quod in Euangelio dicitur: *Verbum caro factum est.* Nam Verbum illud, quod secundum deitatem est *splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei Patris*, vt Paulus dicit; Hebr. 1. secundum humanam natiuitatem, propter nos homines, & propter nostram salutem, factus est homo, & *figuratus est caro*. id quod aliis verbis scribit ad Philippenses Paulus; *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus. Formam* inquit, *serui accipiens*, vbi notauit Augustinus, sermone 58. de verbis Domini, *quia non amisit formam Dei, sed serui formam accepit. Hæc accessit, non illa recessit, hæc assumpta est, non illa consumpta.* In hac forma serui, qui est speciosus forma præ filiis hominum, factus est opprobrium hominum. In hac forma factus est obediẽs, humiliatus est, exinanitus est; factus est nobis exẽplar viuendi, & forma totius perfectionis. Denique in hac forma serui redemit nos, moriens in cruce, deformis, atque despectus, in qua formosus in stola sua, & gloriosus, in dextera Dei sedet, & iudicaturus est orbem terræ in æquitate. Hac igitur forma in hac mirabili natiuitate *figuratus est caro* Dei Filius propter nos, & adimpleta est prophetia Esaiæ, quæ dicit de Christo. *Inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum*. Mirabilis profectò est in Christo forma Dei, & summo honore venerabilis: sed nobis peccatoribus multò dulcius sapit forma serui, multò gratior & amabilior nobis est, ita vt fidelis anima, & Christo deuota, meritò dicere possit cum Salom. *Hanc amaui, & exquisiui eam à principio: & amator factus sum formæ illius.* Illius, inquam, qui pro me accipere formam serui dignatus est.

Philip. 2.

August.

Esai. 53.

Sapient. 8.

Deinde dicit; *Et ego natus accepi communem aërem.* Quis in hoc verbo non vehementer admiretur, & obstupescat, & velut exanimis fiat, & deficiat spiritus eius? Regina Saba videns Salomonis gloriam, sic admirata est, sic obstupuit, vt quemadmodum Scriptura dicit, *non esset præ stupore vltra in ea spiritus*. Quid si vidisset nostrum Salomonem, & gloriam eius, quam habuit in forma serui, quando de Virgine natus accepit communem aërem? *Domine mi* (di- 2. Paralip. 9.

Daniel. 10. cebat Daniel Angelo michaëli) *in visione tua dissoluta sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. Et quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? Nihil enim in me remansit virium: sed & halitus meus intercluditur* Quid ageret, si vidisset visionem hāc magnam & stupore plenam, Regem videlicet Angelorum natum in terra, & accipientem communem aërem? Qui dat spiritum habitantibus super terram; qui dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia; qui inspirauit in faciem hominis, spiraculum vitæ, ipse hodie natus secundum carnem, accepit cōmunem aërem. Vide Christi humilitatem, qua exinaniuit se in forma serui, aërem communem, non solum hominibus, sed etiam iumentis, accipit; quo viuere possit, & respirare. Vide paupertatem eius in hoc mundo, cui etiam respiratio non esset, nisi etiam communem aërem cum hominibus, & iumentis, hausisset.

Sed & alio sensu intelligere possumus quod natus acceperit communem aërem. Pueri enim quamdiu sunt in vteris maternis, communem aërem non accipiunt, sed proprio matris aëre, quo ipse respirant, similiter respirant & ipsi. Cùm autem nascuntur, incipiunt communem aërem accipere, & habere propriam respirationem Non aliter Christus Dominus se habuit, qui similis alijs hominibus esse voluit, sed quandiu in vtero Virginis latuit, communem aerem non accepit, sed propria Virginis Matris respiratione respirabat & ipse. O summa Christi paupertas, & indigentia, propter nos; qui etiam communi aere, quo homines & iumenta respirant, carere voluit! O summa Beatissimæ Virginis dignitas, quæ Christo, quem in vtero gestabat, dedit vitam, & inspirationem! Dignus profectò est diuinus iste puer, qui nostri causa in ventre matris proprium spiritum in ore suo non habuit, natus autem ex Virgine os suum aperuit, & attraxit spiritum, vt sic toto corde, ac spiritu, diligatur à nobis, sic feruenter ametur, vt (quemadmodum dixit diuinus Ignatius epistola. 14. quæ est ad Ephesios) *inueniamur in Christo Iesu, & in veritate viuamus Extra hoc autem, ne respirare oporteat aliquando. Spiritus oris nostri*, ait Hieremias, *Christus Dominus: in vmbra eius viuemus inter gentes.*

D. Ignat.

Thren. 4.

Hæc

Hæc vmbra Filij Dei, caro eius est, quam suscepit de Virgine, quando *Verbum caro factum est*, vt in ea nos, & per eam viuamus, & sub illa protegamur, atque quiescamus in Christo: sine quo nec respirare quidem nobis liberum sit, aut placitum.

Sequitur deinde: *Et in similiter factam decidi terram.* Tunc in terram decidit Filius Dei, quando Verbum caro factum est, quando descendit in vterum Virginis, vt terra illa benedicta daret fructum suum; vtique benedictum fructum vētris sui; quando in stabulo positus est, & in præsepio reclinatus. In terram decidit, quæ dura illi fuit, & , vt ita dicamus, maledicta in opere suo, in isto opere suæ natiuitatis, & nostræ reparationis. Quid ni decideret in terram ille magni cōsilij Angelus: qui, vt esset pax in terra, descendit in hanc vallem lacrymarum. &, vt dicitur in libro Iudicum; *Angelus Domini descendit ad locum flentium?* Ad hoc enim in terram descendit, vt nostra peccata defleret, & flendo deleret. Iudic. 2.

Vnde subdit Salomon; *Et primam vocem similem omnibus emisit, plorans.* Quicunque paruulus, recenter natus, vt docet D. Augustinus, lib 21. de Ciuitate Dei, cap. 14. & sermone 26. de verbis Apostoli, statim vt ex vtero matris egreditur. à ploratu incipit, quasi propheta suæ calamitatis futuræ. Lacrymæ enim testes miseriæ. Non aliter Christus ingrediens mundum, & natus in terra, à ploratu incipit: & quasi dira passurus, & dura pro nobis, incipit plorare; simul etiam *graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum.* Deplorat etiam peccata mundi, quæ ablaturus est; & qui postea sanguinem fundet, modò lacrymas effundit in pretium simul & lauacrum, vt redēpti à miserabili seruitute, à peccatis omnibus emūdemur. Denique primam vocem emittit plorans, orando ad Patrem, & fundens pro nobis preces, si non cum clamore valido, quia non potest infans, saltem cum lacrymis. Nam *lacrymæ, tacitæ preces sunt*, vt Ambrosius dicit, sermo. 46. Ecce quomodo noster Iacob hac nocte luctatur cum Angelo, qui descendit in terram; &, vt habetur apud Oseam, *fleuit, et rogauit eum.* Sic Christus homo in nocte suæ natiuitatis, lacrymas orationis ad Deum emittit pro nobis vt copiosum à August. Ambros. Osea. 2.

Deo benedictionem obtineat. Hæ Christi lacrymæ, delitiæ nostræ sunt. Hæ lacrymæ abstergent omnem lacrymam ab oculis electorum. Hæ lacrymæ, voces sunt; quæ nos ad pœnitentiam peccatorum vehementer prouocant; & iustos, ac sanctos, ad excessum quendam amoris erga Christum natum, & ab exordio suæ natiuitatis lachrymantem, qui per Esaiam dixit: *Inebriabo te lacryma mea.* Vbi enim Verbum, quod sicut pluuia descendit de cœlo, guttis lacrymarum suarum, venas terræ nostræ, hoc est, animæ, ac mentis, irrigauerit, mirabiliter eam inebriat gratia, & charitate sua, & germinare eam facit fructus sanctarum virtutum, ita vt meritò dicamus Christo cum Dauid: *Visitasti terram, vt inebriasti eam. Susceptione enim corporis, visitauit, vt sanaret infirmos*, ait Ambrosius in Psalmum 118. sermone 13. *inebriauit gratia spirituali, &c.*

Esai. 16. Psalm. 64. Ambros.

Deinde dicit Salomon; *In inuolumentis nutritus sum.* De Christo etiam nato dicitur apud Lucam: quòd Virgo Mater *pannis eum inuoluit*. Et iterum, *Inuenietis infantem, pannis inuolutum. Naturale est* (inquit Hieronymus, libr. 4. Commentar. in Ezechielem, circa cap. 16.) *vt tenera infantium corpora pannis inuoluantur, ne membra tenera facile deprauentur, &c.* Et hanc etiam indigentiam propter nos assumere voluit Dei Filius in illa tam tenera ætate, & carne, in qua nasci dignatus est. Neque inuolutus est purpura, & bysso, quemadmodum Reges terræ, & diuites huius sæculi: sed, vt Cyprianus dicit, sermone de Natiuitate Christi, *panniculi pro purpura, pro bysso, in ornatu regio, lacinia congeruntur.* Primò, vt nos doceat vana mundi ornamenta despicere, paupertatem amare, his debilibus pannis inuoluitur Christus adhuc infans, vt omnes mundi luxus, diuitias, ac delitias, non modò despiciat, sed etiam damnet, ita vt cum Sophonia Propheta possimus dicere: *Disperierunt omnes inuoluti argento.* Quoniam mirabili hac Christi paupertate omnis diuitiarum, ac delitiarum, superfluitas damnata est, atque destructa. Secundò, vt humilitatem nos doceat: & quemadmodum ipse, pannis inuolutus, abscondit se ab huius mundi gloria, & vana hominum laude, ita & nos, exemplo eius edocti, faciamus, existimantes veras di-

Luca. 2. Hieronym. Cyprianus Sophon. 1.

uitias nostras, atque gloriam, esse hoc improperium Iesu Christi. *Absconde*, ait Bernardus sermon. 4. in vigilia Natalis Domini, *Absconde, Maria, noui solis fulgorem; pone in praesepio, inuolue pannis infantem. Nam & ipsi panni, diuitiae nostrae sunt. Pretiosiores siquidem panni Saluatoris omni purpura: & gloriosius hoc praesepe auratis regum solijs, ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris saeculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius inuenitur, qua nimirum regnum caelorum emitur, & diuina gratia adquiritur?* Haec Bernardus. Tertiò, pannis infantiae obuoluitur Christus, vt miserum genus humanum, peccato primi hominis vulneratum, & quod, vt habetur apud Ezechielem, *non est obuolutum, vt restitueretur sanitati, & ligatum pannis, vt robur acciperet*: ipse Dei Filius pannis, quibus inuolutus est, vulnerata illius membra colligeret, alligaret, atque sanaret. Quartò, denique vilibus pannis inuoluitur, vt viles pannos miseriarum nostrarum, foedos atque deformes, assumens, omnes illos à nobis abiiceret, & gloriae suae, atque immortalitatis indumentis ornaret, & sic adornatos adamaret. Ita enim dicit August. serm. 6. de verbis Domini; *Abiecit pannos tuos, discidit cilicium tuum, misertus est, vt ornaret, ornauit, vt amaret.*

Bernard. Ezech. 30. August.

Tandem concludit Salomon. inquiens; *Nemo enim ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium Habuit*, dixit: vt nullam iniuriam faceret futurae natiuitati Iesu Christi, Regis, ac principis regum terrae. Nam si nouam hanc, & singularem eius natiuitatem vidisset; intellexisset vtique, quod iste solus ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Quamuis enim mortalis homo natus sit, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & natus in terram deciderit; acceperitque communem aërem: primamque vocem emiserit plorans, ac tandem pannis inuolutus sit; omnia tamen haec, non necessitate aliqua, sed sola sua voluntate, propter nos, & propter nostram salutem elegit, & assumpsit. Hoc autem nemo ex regibus fecit, aut facere potuit. Deinde, quis vnquam ex Regibus, sciebat, quod nasciturus esset, & numerum dierum suorum nouerat: nisi iste Rex regum, qui, cum esset *Verbum apud Deum in aeternitate*, nasci voluit secundum carnē in tempore

admirabili natiuitate? Quis ex Regibus, sine viri semine conceptus est, ac de virgine natus: nisi iste plusquam Salomon in omni gloria sua? *Decebat enim* (vt diuinus Ignatius dicit, epistola 13. ad Heronem) *Opificem, non secundum humanam consuetudinem natiuitate vti, sed gloriose, & noue, vt decebat nasci factorem.* Nemo ex Regibus in stabulo nascitur, & in præsepio collocatur, ac vilibus pannis innoluitur: sed Rex noster ante sæcula, qui hac sua noua, & singulari natiuitate operatus est salutem in medio terræ, infirma hæc, & despecta mundi, elegit: vt vniuersos mundi principes, & sapientes, confunderet, & electis suis viam humilitatis, & veritatis, ostenderet, qua possent illum quærere, & inuenire. *Inuenietis*, ait Lucas, *infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio. Archelaus* (ait D. Fulgentius, sermone quodam) *natus est in Palatio, Christus in diuersorio. Archelaus natus, in lecto est appositus: Christus autem in præsepio est collocatus. Ille pretiosis inuolutus est sericis, iste vilissimis inuolutus est pannis. Et tamen ille contemnitur, iste quæritur: & inuentus suppliciter adoratur.* Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, &c. Amen.

D. Ignat.

Luc. 2.

D. Fulgen.

---

## DE EADEM CHRISTI Domini Natiuitate.

### CONCIO II.

*Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* IOAN. I.

PRofundum quidem, & magnum, vereque admiratione dignum, hoc religionis sacramentum, quo Vnigenitus Dei, homo factus est, ac de Virgine natus secundum carnem. De cuius materiæ dignitate (vt verbis vtar D. Leonis, sermo. 18. de Passione Domini.) *Nemo humilius sensit: quam qui putauit sufficisse, quod dixit. Magnitudo siquidem ineffabilis sacramenti, humanæ intelligentiæ altitudinem, & totius vincit eloquij facultatem: vt excellentissimis ingeniis, & facundissimis linguis, subli-*

D. Leo.

*minor sit. Sed gaudendum nobis potiùs, quam erubescendum est, quòd tanta superamur materiæ dignitate.* Quapropter non erubescimus, etiam si nobis nitidior dicendi facundia desit: vel mediocri tamen sermone partum sacræ Virginis, & ortum dominici corporis differentes, conabimur explicare, nihil de vi facultatis nostræ fidentes, sed tantum de virtute diuinæ lucis: sine qua, *Quid sacramenti habeat, Verbum caro factum est, nec cogitare quidem possumus*, sicut de se ipso dicebat August. 7. libr. confessionum, cap. 19. *August.*

Quod ergo Apostolus Ioannes dicit in Euangelio: *Verbum caro factum est*, duo mirabilia dicit de Christo. Et quod per æternam generationẽ Patris, sit Verbum, & quod per humanam natiuitatem factum sit caro. *Verbum* itaque *dixit* (ait Basilius in Homilia huius Euangelij) *vt impaßibilem Patris generationem demonstret, & perfectam Filij substantiam, & coniunctionem sine tempore Filij ad Patrem ostendat.* Carnem verò factum, dixit, vt humanam, & temporalem natiuitatẽ declaret: & quòd in ea, nostri amoris causa, vt Gregorius Nazianzenus dixit, Oratione 51. *Vsque ad deteriorem, & viliorem hominis partem, sese Dei Verbum demisit, atque humiliauit.* Caro enim hominis multò inferior est, ac deterior, quàm anima. Aut certè alia duo mirabilia nos docet his verbis. Et quod Verbum Dei humiliauerit se, ex summa misericordia, vsque ad assumptionem nostræ carnis: & quod caro nostra, ex diuina potestate, eleuata sit vsque ad esse personale Verbi Dei. *Semel loquutus est Deus* (ait Dauid) *duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia. Quomodo semel loquutus est Deus* (ait Augustinus, in oratione contra Iudæos & Arrianos, cap. 6.) *& secundo sonuit: nisi quia Verbum intransgreßibile, procedens à corde Patris, suscepit carnem, vt esset homo in vtero Matris? Per hoc quod semel loquutus est Deus surrexit omnis fabrica nostra. Per hoc quod secundo sonuit, factus est pax nostra, vt solueret inimicitias in carne sua.* Hæc Augustinus. Duo ergo mirabilia audiuimus in hoc mysterio, & quod potestas Dei est maxima, qua carnem nostram exaltauit vsque ad esse personale Verbi diuini: & quod singularis, & summa eius misericordia est super nos, qua voluit verbum suum humiliari, & *Basilius.* *Nazian.* *Esai. 61.*

Leo. exinaniri, vsque ad assumptionem carnis nostræ. Et quamuis vtrumque mirabile sit valde, atque singulare: profecto (vt verbis vtar D. Leonis, serm. 11. de Passione) *mirabilior fit nobis in Deo humilitas, quam potestas: et difficilius capitur diuinæ maiestatis exinanitio, quam seruilis formæ, in summa, prouectio.* Sed ambo hæc mirabilia conabimur breuiter enarrare, auxiliante Domino, assumpto testimonio sacræ Scripturæ, ex libro Genesis: vbi habetur, quòd dormiente Adam, Deus *tulit vnam*

Genes. 2. *de costis, eius et repleuit carnem pro ea.* Et infra, *Hoc nunc*

Ephes. 5. *os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quod factum referens Paulus, ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo.*

August. Sancti Patres, & potissimùm D. Augustinus, sermone 6. de tempore, animaduertunt, hoc factum mirabile, significasse nobis mysteriũ multò mirabilius, quod in Incarnatione Verbi, & eius Natiuitate secundùm carnem, operatus est Deus in Christo, & in vtero virginali Mariæ. Vbi Deus Pater tulit vnam de costis suis: vnum videlicet Verbum suum, quod est in sinu suo immortale, & impassibile, atque summum fortitudinis os, & vestiuit illud carne mortali, & infirma, vnione, & coniunctione, tã admirabili, vt statim cõuenirent in vnitate personæ Verbũ & caro, Deus & homo, ita quod verè, & propriè, Deus sit homo, atque homo sit De⁹. Quapropter subdit, *Hoc nunc os ex ossibus, et caro de carne mea.* Facta enim illa mirabili vnione non solùm Verbũ est Verbũ Dei in Christo, sed etiam est Dei caro, vnita substãtialiter ipsi personæ Verbi, & (vt ita dicamus) vna & eadem persona Christi, simul est fortissimum os Dei, & infirma caro hominis Dei. *Quamobrem* (inquit) *relinquet homo patrem suum, & matrem, et adhærebit vxori suæ.* Magna profectò fuit vnio Filij Dei cum Matre sua, in eius vtero virginali, in quo fuit secundũ carnem tanquam verus Filius in vera matre, de qua virtute Spiritus sancti conceptus est, & natus. Singularissima etiam, & mirabilis, est vnio Verbi Dei cum Patre, cum quo est vna substãtia, & essẽtia. Sed hæc vnio, & coniũctio Verbi cũ carne, tanta fuit, dę qua subditur, *erũt duo in carne vna* (duo illa videlicet, quæ audiuit Dauid in hoc mysterio; hoc est, duæ naturę, diuina & humana, in vna

persona Verbi) vt quodammodò magis vnum sit Verbum cum carne, quàm cum ipso Patre. Sic enim dicit D. Augustin. libr. 1. de Trinitate, cap. 10. *Homo potius est in Filio Dei, quam Filius in Patre.* Quod explicans D. Thomas. 3. p. q 2 art. 9. docet, in hoc sensu maiorẽ esse hanc vnionem: quia Pater & Filius nõ sunt vna persona in Deo, quãuis sint vna essentia: Verbum autẽ & caro, vna tantũ persona in Christo sunt, quamuis sint diuersæ naturæ, & inconfusæ. Et si in coniunctione carnali, quæ fit in Matrimonij Sacramento, verum habet, quod dicitur apud Matthæ. *itaque iam non sunt duo, sed vna caro*, multo profectò excellentius in admirabili Incarnationis mysterio cõiungũturduę naturę, diuina & humana, in vnitate personæ: quod iam in Christo, non duæ, sed vna tantũ persona est: & quemadmodũ dicit Athan. in Symbolo; *Licet Deus sit, & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.* Quo Dei beneficio audiuit profectò Deus preces, & gemitus, sanctorum Patrũ, & ardentissimis eorũ desiderijs satisfecit plenissime. *Propter miseriam inopũ, & gemitũ pauperum, nunc exurgã, dicit Dominus Ponã in salutari. fiducialiter agam in eo.* Sic dicit Dauid in persona Dei Patris, & sensum insinuat Augustinus, & Hieronym': quod Deus Pater propter subleuandã hominum miseriã, atque inopiã, qua indigebant Christo redemptore, atque reparatore, quasi surrexit ex infinita sua misericordia, vt illis subueniret, Filiũ suum mittẽs de cœlo, vt in vtero Virginis carnem sumeret, ac de illa nascẽs, operaretur salutẽ generis humani In quo posuit nõ minus quã Verbũ suum, vt posset saluũ facere genus humanum. *Posuit* etiam *in eo iniquitates omnium nostrum*, vt Esaias dicit, vt pro illis pateretur, & omnia deleret, sicq; fiducialiter egit, atq; consũmauit totum opus redẽptionis nostrę. Eodem sensu Deus Pater dixisse videtur per os ipsius Dauid. *A voce gemit' mei, adhæsit os meũ carni meæ.* Gemitũ suum vocat Deus Pater, gemitum Sanctorũ suorum, gemitũ illorũ cõpeditorũ, qui in Limbo detinebãtur, expectãtes beatam spẽ, & aduentũ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, vt in carne sua illum viderent natum in mundo & soluentẽ eos à vinculis illis, quibus captiui tenebãtur. Propter hos gemitus fecit Deus Pater, pater mi-

August.
D. Thomas.
Matth. 19.
Athanas.
Psalm. 11.
August.
Hieronym.
Esai. 53.
Psal. 101.

ſericordiarum,& Deus totius cōſolationis, vt os ſuum, hoc eſt, Verbum ſuum, Verbum illud quod eſt fortitudo Patris, Verbum medullatum, medulla totius Deitatis, iſtud os adhæreret carni ſuæ, quam de Virgine ſuſcepit; vt eſſent duo in carne vna, & Verbum caro fieret, atque habitaret in nobis.

Eſt autem maxima conſideratione dignum; quàm apposita ſimilitudine Verbum, caro factum, comparetur oſſi, quod eſt vnitum carni, aut coſtæ, quam Deus veſtiuit carne in prima productione hominum. Primò quidem, quia ſicut os, vel coſta, latent ſub carne, abſcondita, & cooperta, ita etiam Verbum Dei, vnitum carni humanæ, in ea eſt abſconditum ab oculis hominum, ſecundum quod dixit Eſaias. *Vere tu es Deus abſconditus*. Et iterum alio loco: *Quaſi abſconditus vultus eius*. Humana ſiquidem caro ita abſcondit ſua infirmitate fortitudinem diuini Verbi ab oculis hominum, vt ignotus illis eſſet, atque deſpectus, ſicque poſſet ab illis pati multa, atque crucifigi. Nam, vt Paulus dicit, *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Secundo comparatur Verbum Dei oſſi, aut coſtæ: quoniam vt naturales Philoſophi docent, os ſecundum ſe nullum poteſt ſentire dolorem, cùm non ſit animatum anima ſenſitiua, ſed vegetatiua tantū: quòd ſi dolorem ſentit, illud eſt ratione carnis, cui cōiungitur, & vnitur. Ita ſimiliter Verbum diuinum, ſecundum ſe nullum potuit ſentire, aut dolorem, aut laborem, aut aſperitatē frigoris, nec duritiam præſepij tempore natiuitatis, non famem, aut ſitim, non plagas, aut mortem crucis, ſed in his omnibus integrū, & impaſſibile erat. Vnde & Chriſto paſſo in carne adimpleta eſt prophetia vt refert S. Ioa. quæ dicit: *Os non comminuetis ex eo*: quoniā in illa paſſione os diuini Verbi integrū, & illæſū permāſit, confracta carne, & mortua. Vnde in epiſt. ad Hebreos, vbi nos legimus, *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortē*, legit D. Am. li. 2. de fide cap 4. & li. 5. ca. 4. *Vt ſine Deo pro omnibus guſtaret mortē*, ad ſignificandū, paſſionē illam Chriſti, nō fuiſſe diuinitatis, ſed carnis. Nō negamus, eſſe doctrinā fidei quod Deus Verbū natus ſit de Virgine, & paſſus, atque mortuus: ſed dicimus, natū & paſſū eſſe ſecundū carnem, quam accepit ex Virgine,

Eſai. 45. Eſai. 58. 1. Cor 2. Ioan. 19. Hebr. 2. Ambroſ.

nō autem secundū deitatem, iuxta quod in Concilio.1. Ephesino, Canone. 12. dicitur: *Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne & mortem carne gustasse, anathema sit.* Sensit igitur Persona Verbi diuini illam passionem, & mortem crucis: non tamen ratione diuinitatis, quæ est impassibilis costa Dei Patris, sed ratione carnis infirmæ, atque mortalis, quam assumpsit. In qua re oportet etiam considerare, & notas facere mirabiles adinuentiones Dei, ad ostendendam erga nos summam dilectionem suam in hoc mysterio Incarnationis, & Natiuitatis Christi. Sicut enim adinuenit modum, quo exinaniret se, formam serui accipiens, hoc est, posset appellari minor Patre secundum humanitatem, qui est illi æqualis secundum deitatem, ita etiam adinuenit modum, quo, qui est impassibilis Deus, & expers omnis doloris, posset pro nobis & dolere, & pati in carne assumpta, & sicut Paulus docet, *crucifigi ex infirmitate, qui viuit ex virtute Dei*, Et hanc veritatem explicat etiam D Thomas. 3. p. q. 46. art. 12. Aut tertio comparatur costæ, siue ossi Filius Dei, propterea quod os in corpore est fortitudo carnis, & eam sustentat, vt Aristoteles docet, lib. 2. de partibus animalium, cap. 8. Similiter costę, vt Hieronymus dicit, super Ecclesiastem, cap. 12. totam vetris mollitudinē, & internorum viscerum circundant, & seruant suo robore. Vnde & apud Iob, costæ appellatur robur corporis, vbi dicitur. *Attenuetur fame robur eius, & media inuadat costas illius.* Vbi Gregorius dicit, lib. 14. Moralium, cap. 7. quòd costę viscera cōstringunt, *vt latentia intrinsecus, earum soliditate muniantur* Pari ergo ratione in Christo Domino Verbum est velut os, aut costa carnis, quia est fortitudo, & robur illius, quo sustentatur, & à quo accipit virtutem, ad vniuersa opera, quæ pro nostra salute operatur in cœlo, & in terra. Vnde in Ps. dicitur ex persona Christi, vt homo est, ad se ipsum, vt Dei Verbum est. *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum.* Est etiam virtus, & robur, quo vniuersas creaturas conseruat, atque sustentat, Angelos, homines, cœlum, & terram, sicut dicitur ad Hebræos, *Portās omnia verbo virtutis suæ.* In illo ergo paruulo, recēter nato, & pānis inuoluto, & inter arcta

Con. Eph. 1. · 2. Cor. 13. · D. Thom. · Aristot. · Hieronym. · Iob. 18. · Gregorius. · Psal. 17. · Hebr. 1.

præsepia collocato, erat omnis virtus, & fortitudo Dei: os, & costa Patris, quæ sustentat, & portat totum
*August.* orbem, & vt verbis vtar Augustini, epist. 3. ad Volusianum, *in illud vnum corpusculum totius mundi cura translata est.* Hinc est, quod Abacuc Propheta, qui vehe-
*Abac. 3.* menter mirari cæperat in spiritu hoc opus Incarnationis, & Natiuitatis Christi, postea cognoscens Dei Verbum absconditum esse in illa carne mortali, dixit, *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Absconditam, dicit, fortitudinem Dei: quoniam vestita, & operta erat infirmitate carnis passibilis, vt esset abscondita ab oculis omnium viuentium. Aut certe absconditam dicit quia in sua natiuitate Christus, & vsque ad mortem crucis, potius manifestabat infirmitatem carnis, quam fortitudinem Verbi: neque exercebat opera virtutis, aut fortitudinis suæ contra paupertatem, & famem, aut sitim, plagas, & mortem: sed potius patienter dabat eis locum aduersus carnem suam, ac si non esset ibi abscondita fortitudo, & virtus, & robur diuini Verbi. Omnibus enim, à quibus pati potuit, potentiam suæ maiestatis occultauit, & infirmitatem nostræ humilitatis obiecit. Aut denique quarto, Verbum Dei vocari potest *costa* Dei Patris vnita carni humanæ, eo sensu, quo apud homines communi vsu loquendi, maxime apud Hispanos, *costa*, (quæ ab eis dicitur *costilla*) accipi solet pro abundantia, & opulentia diuitiarum & prouentuum, quibus homines, potentes sunt ad magnifica opera exercenda: atque adeo potentes viros, ac valde diuites, dicunt, habere magnam costam (*grande costilla*) pauperes vero, aut infirmos, è contra dicunt, non habere costam ad opus aliquod magni momenti exercendum. Itaque substantiam, & potentiam hominis, vocant eius *costam* (*su costilla*) In hoc ergo sensu costa Dei Patris, & tota substantia, atque potentia & virtus, & opulentia & Verbum eius: neque habet maiorem, aut meliorem substantiam. Vnde & apud Ioannem dicit ipsum Verbum: *Omnia, quæ habet Pater, mea*
*Ioan. 16.* *sunt.* Quasi diceret: Omnis substantia, & fortitudo, & sapientia, quæ summo modo est in Patre, & omnis per-
*Ambros.* fectio illius, mea sunt. Nam iure natiuitatis æternæ accepit illa filius à Patre, vt Ambrosius dicit, lib. 4. de fide, c. 4. Iuxta quod & ipse Filius dixerat in Euangelio

Ioan. *Pater, quod dedit mihi, maius omnibus est.* Intelligit autē quod Pater per æternā generationē cōmunicauit ei substantiam, & essentiam suam: quæ maxima omniū est, vt egregie exponit Augustinus, Tractatu. 48. in Ioannem. Eodem sensu dicit iterum ad Patrem in eodem Euangelio Ioannis: *Mea omnia, tua sunt: & tua, mea sunt.* Et, vt Cyrillus lib 11. super Ioannem, cap. 2. dicit: *In quibus nulla differentia est, sed substantiæ identitas maxima, quomodo illis eadem omnia communia natura non erunt?* Hanc igitur costam Verbi sui Deus Pater homini dedit, quando *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ex qua coniunctione factum est etiam, vt homo in Christo tam diues sit, tam omnipotens, tam fortis, tam abundans in omnibus, sicut est ipse Deus Pater: nam, vt ita dicamus, eandem costam habet in semetipso, sicut habet ipse Pater, quamuis abscondita fuerit in infirmitate carnis nostræ. Vnde & Paulus de Christo dicit: *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, absconditi*: & iterum dicit: *In ipso, complacuit, omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia.*

*Ioan. 10.* *August.* *Ioann. 17.* *Cyrillus.* *Colloss. 2.* *Colloss. 1.*

Videant ergo homines, quantum nos dilexit Deus Pater, & quam incredibili prouentu, & copia totius thesauri sui, operatus est per Christum nostram reconciliationem, ac reparationem, propterquam necesse habuit, tollere vnam ex costis suis, Verbum, videlicet, cordis sui, & Vnigenitum, qui est in sinu suo, mittere in terram, vt carnem nostram sibi in vnitate personæ copularet, ac seruilem formam, obumbrata maiestatis dignitate, susciperet.

Ecce quo pacto, *manus Moysi educta de sinu prolata est leprosa*, aut, sicut legit Gregorius Nyssenus, libro de vita Moysi, *visa est commutata.* Hoc enim egit summa Dei Patris erga nos misericordia, & dilectio, vt à seruitute peccati, & mortis redimeret, Verbum suum misit de cœlis: Filium vnigenitum ex visceribus protulit: manum dexteram, de sinu suo produxit, carne humana vestiuit, & eum qui est verus Filius Dei, & incommutabile Verbum, in filium hominis commutauit. Sic dicit Dauid: *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.* Quamuis enim Dei Filius, cum in sinu Patris est, & dextera Excelsi est, immutabilis sit, & nullo pacto mutari queat:

*Exod. 4.* *Nyssenus.* *Psal. 76.*

tamen cum ex sinu Patris ad nos visitandos descendit, & assumpta carne, homo factus est, commutatus dicitur, & vt verbis vtar Salomonis, *Potentissimus faciem illius commutauit.* Potentissimus iste, non alius est, quam Pater æternus, qui propter liberandum genus humanum, & propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, faciem Christi sui commutauit: quando Filium suum, qui in forma Dei æqualis est illi, formam serui, & hominis faciem, accipere voluit, vt in ea nobis appareret visibilis, indutus carne humana, in qua nasceretur ex Virgine, & in qua non esset ei species neque decor, & in qua *quasi leprosus esset, & percussus à Deo, & humiliatus*, vt Esai. dicit: in qua denique facie posset pati, posset alapas & sputa suscipere, & per irrisionem velari, ac tandem, inclinato capite, spiritum emittere.

Eccles. 8.

Esai. 53.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, & quanti nos æstimauit: qui etiam pro ingratis, pro inimicis, Filium suum vnigenitum dedit, hominem fecit, humiliauit, exinaniuit, & tam noua mutatione, ac mirabili, faciem illius commutauit, manum dexteram suã è sinu suæ maiestatis eduxit, & leprosam protulit, atque commutatam: vt nos commutaret ex inimicis in amicos, ex peccatoribus in sanctos, ex miseris in beatos: & qui propter nostra peccata portauimus imaginem, & faciem terreni, renati per Natiuitatem Christi portemus, sicut Paulus ait, *imaginem*, & faciem *cælestis.* O summa, & incredibilis Dei Patris in nos dilectio, & magnificentia! O humani generis maxima duritia, & in Deum ingratitudo! Libet profecto ad Deum Patrem clamare cum Dauid: *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo?* Propter quem finem, & quam vtilitatem, propter quæ merita hominum, profers manum dexterã tuam de sinu diuinitatis tuæ, vt humanam carnem assumat, & commutata sit? Propter quam hominum gratitudinem, aut gratiarum actionem? Certe pro inimicis, & quibus hæc Christi cõmutatio, opprobriũ est futura, non gloria quemadmodum ipse Dauid alio loco dicit: *Exprobrauerunt inimici tui, Domine: exprobrauerunt commutationem Christi tui.* Exprobrauerunt enim commutationem

1. Cor. 15.

Psal. 73.

Psal. 88.

Christi in hac noua natiuitate, & vsque ad mortem crucis, inimici omnes: Iudæi, quibus scandalum erat: gentes, quibus stultitia fuit, & peccatores, ac terrena sapientes, *Inimici crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, vt Paulus dicit. *In signum* (ait Bernar. ser. 4. de Natiuitate) *positi sunt panni tui, Domine Iesu: sed in signum, cui à multis vsque hodie contradicitur*. A multis profecto, qui nec paupertatem Christi, nec humilitatem sectantur, aut, sicut ipse ambulauit conantur ambulare per viam, quam Christus verbo, & exemplo, monstrauit. Qui ingrati tanto Dei beneficio, fructum natiuitatis Christi non percipiunt. Nam (vt recte dicit D. Leo, serm. 5. de Natiuitate Christi) *Frustra appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi, qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus*. Nos autem tam singulari Dei beneficio grati semper simus, & veri Christi imitatores facti, prorumpamus in gratiarum actiones, & vocem laudis, glorificantes & laudantes Deum, pro hac admirabili commutatione diuini Verbi, & dexteræ Dei Patris, qui tantum nos dilexit, tanti nos æstimauit, vt Filium suum vnigenitum daret, & hominem faceret, pro nostra salute. Et (vt S. Leo dicit serm. de Natali Domini) *Exultent in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum, quoniam in hoc præcipue Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimauerit. Qui cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum seruili forma ipse se Dominus coaptauit*. Cui est honor & gloria, &c. Amen.

*Philip.* *Bernard.* *Leo.* *Leo.*

*Aduertat prudens, ac diligens Lector, has duas conciones de Natali Christi, posse optime accommodari ad mysterium Incarnationis: & illas quatuor conciones de mysterio Incarnationis, similiter accōmodari posse ad istud Natiuitatis, maxime circa hæc verba,* Verbum caro factum est, &c.

## DE EADEM CHRISTI Domini Natiuitate: & potissimum de eius præsepio.

### CONCIO III.

*Peperit Filium suum primogenitum: & reclinauit eum in præsepio.*

LVC 2.

S. Ambr. DE Præsepio Domini (sicut annotauit D. Ambros. lib. 2. Commentariorum in Lucam) solus inter quatuor Euangelistas Beatus Lucas scripsit, *satis diuitem se fore credens, si præsepe Domini sibi ex omnibus vendicasset*. Et merito se potuit diuitem existimare, cum Bernard. sicut Bernardus, ait, sermone 4. in Vigilia Natalis Domini *ipsi panni Saluatoris*, quibus in præsepio inuolutus est, *diuitiæ nostræ sunt, pretiosiores omni purpura: gloriosius hoc præsepe auratis Regum solijs: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris seculi*. Sed quis poterit ingredi in hos profundissimos thesauros, humilitatis, & improperij Iesu Christi, quos continet diuinum hoc præsepe, & reclinatorium plusquam aureum ipsius? Timeo enim, ne dum laudare illud, ac prædicare cœpero, iniuriam, & contumeliam inferam eius laudi, atque gloriam minuam illius, quod adorare, & honorare suppliciter necesse est. Nam sicut ad Marcellam scribunt Paula & Eustochiũ, epist. Hieron. 17. & Hieronymus, epist. 18. inuitantes eam, vt, relicta Roma, ad loca sancta se conferat: *Illud præsepe, in quo infantulus vagijt silentio magis, quam infimo sermone, honorandum est*. Inter magnifica, & gloriosa opera Sa- 3. Reg. 4. lomonis, illud mirabile narrat Historia sacra libri Regum, quod habebat Salomon *quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium*. Sed vniuersa hæc stabula, & præsepia, si cum stabulo Chri-

sti, & præsepio Domini conferantur, omnia illa, & apparatus eorum, quasi nihilum reputabuntur: & nec Salomon in omni gloria sua habere potuit præsepia, qualia fuerunt admiranda cunabula Saluatoris. Expauescit, & timet Sanctus Dei Propheta Abacuc, secundum lectionem Septuaginta, inquiens. *Consideraui, Domine, opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognosceris.* Et Aug. explicans locum, in oratione contra Iudæos & Arrianos, cap. 13. dicit: *Quæ opera Dei iste miratus expauit? Nunquid fabricam mundi iste miratus expauit? Absit. Sed audi, ad quid expauit. In medio duorum animalium cognosceris. Qui, quousque descendisti, expauescere me fecisti: qui Verbum, per quod facta sunt omnia, in præsepio iacuisti. O magnum mysterium* (canit Ecclesia) *& admirabile sacramentum, vt animalia viderēt Dominum natum, iacentē in præsepio!* Recte vocat mysterium, & sacramentum, hoc tam nouum, tam rarum inter opera Dei, quod neque ipsis etiam supremis Angelis cognitum esse potuisset, nisi Deus ipse, qui reuelat mysteria, per Vnigenitum suum enarrasset, & per Spiritum sanctum reuelasset. Quis enim, quantumuis excellenti ingenio præditus, cognoscere posset, aut credere quod Deus tam omnipotens, tam immensus, tam fortis, cuius maiestas, & gloria, cœlum, & terram implet, natus sit in terra inuolutus pannis, & in angusto præsepio reclinatus, medius duorum animalium? Quid sub sole tam nouum, tam inauditum? *Domine audiui auditum tuum, & timui.* Fateor mysterium esse mirabile, ac stupendum & cuius dignitati nulla possit humana ratio, aut lingua sufficere. Sed quoniam (vt S. Leo dicit, sermone. 10. de Natali Domini) *in eo ipso, quod digne non potest explicari, semper exuberat ratio differendi,* conabimur, auxiliante Domino, pauca de eius præsepij sacramento differere, assumpto testimonio S. Iob: qui prophetico spiritu mirabiliter illud videtur præuidisse, ac prænuntiasse sub quadam parabola in hunc modum.

*Abacuc.* *August.* *Abacuc. 3.* *Leo.*

*Nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis eum ad arandum loro tuo?* Rhinoceros iste, siue Vnicornis, Verbum Dei significat, cuius proprietates maximam similitudinem *Iob. 39.*

habent cum ipso Filio Dei, in hoc mysterio, quod tractamus Vnde & Dauid sic eum vocat in Ps. *Dilectus, quemadmodum filius Vnicornium.* Vbi D. Basilius dicit, per istum Vnicornem intelligi Filium Dei. Quod profecto, conuenietissimè dictum est. Primo, quia Rhinoceros, siue Vnicornis, vt docet Ambrosius, libro de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 11. hoc habet singulare inter omnia animantia, quod eius generatio à nemine inuenitur, aut cognoscitur. In quo assimilatur Filio Dei, cuius generationem nemo cognoscere, aut explicare potest. De qua per Esai dicitur, *Generationem eius quis enarrabit?* Quod, vt S. Leo dicit, sermone. 9. de Natali Domini, *In Christo Iesu Filio Dei, non solum ad diuinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam. Vtrumque enim substantiam in vnam conuenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat.* Siue ergo intelligamus de æterna generatione, qua ex Patre natus est modo incomprehensibili, siue de generatione temporali, qua ex Virgine Matre per gratiam Spiritus sancti conceptus est secundum carnem, & natus, vtraque generatio incomprehensibilis est, atque inenarrabilis. Vnde & Ambrosius dicit, libr. 1. de fide, c 5. tractans de generatione diuina, *Mihi impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed Angelorum.* Et posteà de humana Christi generatione subdit, *Non solum admirabilis ex patre generatio Christi, sed admirabilis etiam ipsa eius generatio ex virgine* Hæc Ambrosius. Sed & Gregorius Nazianzenus, Oratione. 36. in fine, refert verba Pauli ad Hebræos asserentis, quòd *Melchisedech sine patre, sine matre, & sine genealogia*, assimilatus est Filio Dei: quia, quod attinet ad diuinam naturã, matris expers est: quã tum verò ad humanam naturam, caret patre: tum etiã quia sublimitus absque genealogia est. Nam *generationẽ eius, quis enarrabit?* Quod etiam Ambrosius docuit, libr. 3, de fide, cap. 5. & alij sancti Patres.

Secundò, quoniam hoc animal, vt Basilius docet, super Psa. 28. & Gregorius Nazianzenus, Oratione. 28. est indomabile, & eximiæ cuiusdam fortitudinis in capite: nullius voluntati subijcitur, sed suis legibus viuit. Talis profecto est Christus Filius Dei, cuius fortitudo

*Psalm. 28.* *Basil.* *Ambrosi.* *Esai. 53.* *Leo* *Ambros.* *Nazianz.* *Hebr. 7.* *Ambros.* *Basil.* *Nazianz.*

titudo insuperabilis est, & inuincibilis, omnia potest. *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia?* Propterea recte dixit Moyses de Filio Dei, *Cuius fortitudo similis est rhinoceroti.* Sicut enim rhinoceros omnem fortitudinem habet in capite, ita etiam Christus totam suam fortitudinem habet in deitate Verbi, quod est veluti caput ipsius, dicente Paulo, *Caput Christi Deus.* Et quemadmodum rhinoceros indomabilis est, & nullius subijcitur voluntati: ita etiam Dei Filius à nemine vinci potest, & omnia vincit. Nemo est, qui eius fortitudini & voluntati, resistere possit: vnde & Paulus dicit? *Voluntati enim eius quis resistit?* Nihil potest esse boni, nihil pacis, in eo, qui resistere conatur voluntati diuinæ: quoniam vniuersa, quæ voluerit, faciet in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Exod. 15. Num. 23. 1. Cor. 11. Rom 9.

Aut tertio: Quoniam Vnicornis (vt naturales Philosophi affirmant) ita ædificat sibi antrum, siue cubile, ad habitandum, quòd sibi soli illud ædificat, neque admittit alterum cohabitatorem secum: sed singularis, ac solus habitator illius est. In qua re etiam maximè assimilatur Filio Dei: qui in mysterio Incarnationis, ita ædificauit sibi habitaculum in vtero Virginis, quò sibi soli, tanquam diuinus Vnicornis, ædificauit, neque admisit vnquam, vt homo alius habitaret in ea. Vnde & in Psalmo dicitur. *Ædificauit sicut Vnicornis sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula.* Quoniam Filius Dei in terra vteri virginalis, quam ipse fundauit, ædificauit sibi habitationem sanctificatam, in qua ipse solus carnem sumeret, & solus nouem mẽsibus habitaret, & de qua nascendo procederet, salua integritate Virginis Matris. De qua etiam per os Dauid dicitur, *Elegit eam Dominus in habitationem sibi. Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Dicit autem elegisse eam sibi, quoniam sibi soli, & nulli alteri elegit eam in habitaculum Dei Filius. Pari etiam modo, quando spiritualiter Dei Verbum in anima per gratiam habitat, & in ea concipitur, aut nascitur, sicut Vnicornis ędificat tabernaculũ suũ, quia sibi soli ędificat, ipse solus ibi commoratur, neque admittit alterum cohabitatorem. Psalm. 77. Psal. 131.

Vnde apud Esaiam dicitur, *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat*. Quasi diceret, Ita angusta est spelunca diuini Vnicornis, quod in ea simul habitare non possunt Deus & mundus, gratia & culpa mortalis, Christus & Sathanas,& vt dicitur à Salom. *Sapientia* diuina *non habitabit in corpore subdito peccatis.*

*Sapien. 1.*

Denique quarto assimilatur Vnicornis Verbo Dei: quoniam (sicut Gregorius refert, lib. 31. Moralium, cap. 10.) naturales Philosophi asserunt, quod cum tantæ sit fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille, omni feritate deposita, caput deponit, sicque à venatoribus, velut inermis, inuenitur, & capitur. Non aliter profectò Filius Dei, propter incredibilem eius fortitudinem, & potentiam à nulla humana creatura potuit capi, vt homo fieret assumpta carne. Et quamuis ab ipso mundi exordio sancti Dei omnes expectarent aduentum eius, & orationibus, ac lacrymis, postularent multi Patriarchæ, Prophetæ, & Reges, nullus tamen eorum obtinere potuit, donec vna puella Virgo singularis, & purissima Maria, sinum vteri sui virginalis ei aperuit, in quo, Spiritu sancto cooperante, vinculis carnis nostræ mortalis alligatus est & captus, & ipsis virgineis visceribus conclusus. Vnde & ipsa confitetur: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Quia sola illa tantæ puritatis extitit, tantæ sanctitatis, ac meriti, vt concipere & parere meruerit Filium Dei. Ipsa eum traxit in terram, & collegit eum in sinu virginalis vteri sui, in quo fortissimus, & indomabilis Vnicornis, mansuetus effectus est, blandus, benignus, patiens, & multæ miserationis, tam blandus, vt esset tenerrimus infans vnius diei, tam patiens, vt subiectus esset miseriis humanę vitę, qui quasi flos egressus de ytero Virginis secundũ carnem in natiuitate, contritus est, & confractus in passione, vt nos ab omni peccato, & miseria, liberos faceret, & participes æternæ fœlicitatis.

*Gregor.*

*Luc. 1.*

*Luc. 1.*

Ecce ergo fortissimum Vnicornem, & indomabilem in sinu Patris, iam factum seruum Domini in sinu vteri virginalis, in quo habere cœpit formam serui, & seruire cœpit in operibus duris pro gloria Dei, & salute

generis humani, sicut per Esaiam dixit, *Formans me ex vtero seruum sibi.* Prius enim, quam Verbum Dei caro fieret in vtero Virginis, nemini poterat seruire Dei Filius. Postquam vero factus est homo, formam serui accepit,& in opere redemptionis nostrę multis annis seruiuit, atque, laborauit. Vnde & per Esaiam dixit Deus homini. *Seruire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem.* In hoc enim seruiuit, & laborauit Christus redēptor noster, vt nos defenderet ab ira Dei quam propter peccata nostra merebamur, & præberet exempla virtutum,& formam relinqueret,quam imitaremur sequentes eius vestigia, qui nullum peccatum commisit, & in omnibus placuit Deo & inuentus est iustus, atque saluator. Propterea recte dixit Apostolus de ipso: *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Vbi, *formam serui*, vocat (iuxta intelligentiam Ambrosij, libro. 5. de fide, capit. 4.) perfectissimum exemplar humanæ vitæ. Solet enim in sacra Scriptura accipi *forma*, pro norma, aut exemplari viuendi, vt ad Philippenses ait Apostolus, *Sicut habetis formam nostram:* & Diuus Petrus, *Forma facti gregis ex animo.* Dicit ergo Ambrosius. *Quid est, in forma Dei, nisi in diuinitatis plenitudine? Disce igitur, quid sit, formam serui accepit, id est, plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinē obedientiæ.* Hæc Amb. Habemus ergo in Christo perfectissimā formā, & exemplar humilitatis, & obedientiæ, qui in hac forma serui humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem crucis.

*Esai. 49.* *Esai. 43.* *Philip. 2.* *Ambros.* *Philip. 3.* *1. Petr 5.*

Ecce nostrum Vnicornem, qui suis legibus viuebat in forma Dei, factus homo in forma serui, legem Dei habere cœpit: quoniam vt Paulus dicit: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Et cuius generatio ineffabilis erat in forma Dei, iam in forma serui narratur genitus, & natus de Maria Virgine, quę peperit Filiū suū primogenitum: ita vt S. Mat. dicat. *Christi autem generatio sic erat.* Ecce Vnicornem nostrū indomabilē in forma Dei, qui iam in forma serui alligatur ad arandum loro Dei, & moratur ad præsepe Domini. Quid dico, moratur? Reclinatur in pręsepio, iacet in pręsepio, vt videas, quam quietus, & mansuetus amator præsepij est. Ibi alligatus est pannis

*Galat. 4.* *Matth. 1.*

ad arandum, non alio aratro, quam ipsius præsepij sacratissimi, quo proscindebat terram durãm, & incultã humani cordis. Et qui præceperat per Moysem, inquiens, *Non arabis in boue simul et asino*, hoc sibi soli reseruauit faciendum in forma serui. Nam in Natiuitate, aratro præsepij sanctissimi arauit in boue & asino, & sicut Esaias dicit, *Cognouit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui.* In morte vero, aratro crucis similiter arauit in boue & asino, quando inter duos latrones, & in medio duorum animalium, operatus est nostram redemptionem, alligatus loro infiniti amoris, & nimiæ charitatis, ita vt iugum illud suaue illi esset, & onus leue, & vt ita dicam, omnia quæ pro nobis operatus est, & passus, quantumuis sæua, & immania, videbantur illi pauca quidem, & illa suauia, atque iucunda, præ amoris magnitudine. Denique, qui in forma Dei nemini subiectus erat, iam in forma serui subiectus erat Deo & hominibus, dicente Luca in Euangelio: *Et erat subditus illis.* Non enim solum Patri æterno erat subiectus, sed etiam Mariæ, & Ioseph, subditus erat, atque obediens: vt discant, exemplo Christi superbi vnicornes, atque indomiti, humiliari, & subijci Deo, quando vident ipsum Deum in forma serui humiliatũ, & subditum, etiã ipsis creaturis. Recte Bernardus dicit, homil. 1 super Missus est. *Disce homo obedire, disce puluis humiliari, et disce terra subdi.* Quasi diceret. Vbi conspicis in Christo Deum tam humilem, & humiliatum, & subditum pro nostra salute, & vt relinquat nobis exemplar, & formam perfecte seruiendi Deo, disce tu homo, qui terra & cinis es, humilis esse, & obediens, atque subiectus. Vnde enim superbis terra & cinis, vbi dominum maiestatis, & gloriæ, vides propter te humiliatum in stabulo, & pannis alligatum, & reclinatũ in præsepio? Tandem ille solitarius vnicornis, qui sibi soli antrum & habitationem ædificabat, iam factus homo, in hominibus habitat, & cum eis conuersatur. *Post hæc* (ait Propheta) *in terris visus est, et cum hominibus conuersatus est.* Et Ioannes: *Verbum caro factum est, et habitauit in nobis.* Neque vero tantum nobiscum habitauit: & conuersatus est: sed etiam publicanos, ac peccatores, ad se vocabat, & recipiebat, atq; cum illis man-

Deuter. 22.
Esai. 1.
Luc. 2.
Bernard.
Baruch. 3.
Ioan. 1.

ducabat, sicut domesticus, & amicus. Et qui nulla vi, aut arte, capi poterat, non solum à Virgine captus est, & pannis alligatus, sed etiam ab inimicis captus est pro pter peccata nostra, atque ligatus, dicente Propheta: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Nam propter nostra peccata delenda factus est homo, seruiuit, laborauit, captus & passus est, atque mortuus, vt populum suum saluaret à peccatis eorum. *Thren, 4.*

In hoc sacratissimo præsepio, in quo B. Virgo reclinauit Christum Filium suum, discunt vniuersi viri sancti tanquam veri vnicornes, fortissimi in fide, & solitudinis amatores, veram humilitatem, obedientiam, & omnem Euangelicam perfectionem. In hoc diuersorio Christi, tanquam in antro morantur, nihil aliud appetentes præter Christum, & hunc panem viuum, qui de cœlo descendit, esurientes, in hac Bethleem, quæ domus est veri huius panis, & ad hoc præsepe, quod plenum est Christo, tanquam animalia munda, se colligentes, vt impleant in nobis desideriũ suum, de quibus dixisse mihi videtur S. Iob *Nunquid mugiet bos, cũ ante præsepe plenum steterit?* Nomine bouis Gregorius Nazianzenus, Oratione 38. quæ est in sanctam Natiuitatẽ, intelligit virum sanctum, & obseruatorẽ diuinæ legis: & similiter Cyrillus, libro. 7. de adoratione in spiritu, &c. Hic autem, quando ante hoc præsepe Christi plenum, per sanctam meditationem steterit, profecto amplius mugitum non dabit. Homines, mundi amatores qui terrena sapiunt, & concupiscunt, quia ad hoc præsepe Christi tanquam spirituales boues, non commorantur, incredibiles mugitus emittunt, quærentes mundi gloriam, diuitias & honores & vana Mundi oblectamenta. De quibus dicitur per Hieremiam: *Mugiebatis vt tauri.* Et quamuis præsepe Christi plenũ sit, & vt S. Euangelista dicit, *plenum gratiæ & veritatis,* istis tamen, qui spiritales boues non sunt, desertum potius & vacuum omnino est, dicente Salomone, *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est.* At viris sanctis præsepe Christi plenum est omnium gratiarum, & benedictionum, de cuius plenitudine accipientes, ad ea, quę mundi sunt, siuę prospera, siue aduersa, amplius mugire

*Iob. 6.* *Nazianz.* *Cyrillus.* *Hierem. 50.* *Ioan. 1.* *Prouerb. 14.*

non possunt: ac deniq; miserantes, & despicientes vniuersos mundi amatores, qui sacratissima Christi præsepia non amant, atque in illis commorantur, perfusi
Abacuc. 3. spirituali gaudio & satietatis ęternę dulcedine mirabili, dicunt cum Propheta: *Non erit armentum in præsepibus: ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat, &c.

## DE EADEM CHRISTI DOMINI Natiuitate: quando concio habenda est die secunda, in festo sancti Stephani Prothomartyris.

### CONCIO IIII.

*Video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Actor. 7.

EXcedit quidem humani eloquij facultatem diuini huius operis magnitudo (vt sanctus Leo Papa dicit, sermon. 9. de Natali Domini) *& inde oritur difficultas dicendi, vnde adest ratio non tacendi.* Nam & sacramentum ipsum natiuitatis Christi, de quo agimus, ineffabile est, & verba, quæ assumimus explicanda, mysteriis sunt plena. Ex multis tamen pauca conabimur explicare: si modò, præstante diuina misericordia, videre mereamur cœlos apertos, & Spiritum sanctum descé-
1. Cor. 2. dentem super nos, qui, vt Paulus dicit, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Hæc autem verba, quæ ex Actis Apostolorum sunt proposita, si in sensu plano, & literali, quo à Sanctissimo Stephano Martyre dicta sunt, essent accipienda, significant nobis singularem amorem, quo Christus prosequitur illos, qui pro eius honore, ac religione patiuntur; & pietatem magnam, qua eis compatitur: atque ingentem curam, qua illis præsto est, & auxilium illis præbet in tribulatione, vt eripiat eos, & victores

efficiat. Ideo dicit: *Et Filium hominis stantem* (vt Gregorius dicit, libr. 1. super. 1. Regum) vt compateretur eius passionibus, quem diligebat. Stare enim compati est. Quamuis enim Christus Dominus ad dexteram Patris sedeat in sede maiestatis suæ, cum sit Dominus, & Rex cœli, & terræ: tamen, cùm videt sanctos suos, pro fide aut iustitia, persequutionem patientes, surgit, & stat, sicut Ambrosius dicit, sermone 60. vt aduocatus eorum sit apud Patrem. Stat etiam, vt spiritum Stephani martyris suscipiat. Denique stat, vt auxiliator eorum sit, & pro eis pugnet contra persequutores, sicut Dauid dicebat: *Exurge Domine, adiuua nos, &c.* *Gregor.* *Ambros.* *Psalm. 93.*

Cæterùm, quoniam Sancta Ecclesia diem hanc magis consecrat Natiuitati Christi secundum carnem in terra, quàm passioni Stephani Martyris, qui illum vidit stantem in cœlo, nos etiam proposita verba in eo sensu tractabimus, quo ad sanctam Christi Natiuitatem satis congruè accommodari possunt. *Video cœlos apertos, & Filium hominis, &c.* Celebramus ineffabile sacramentum generationis, & natiuitatis Christi secundum carnem, quod Apostolus Paulus ad Romanos scribens vocat, *temporibus æternis tacitum:* & ad Ephesios scribens vocat, *Mysterium absconditum à sæculis in Deo* & quãuis D. August. libro 5. super Genes. c. 19. dicat, hoc sacramentum ita fuisse absconditum hominibus, vt tamen Ecclesiæ cœlesti, quæ continetur in Principibus, & Potestatibus, notum esset à sæculis (Angeli enim, vt Theologi docent, à principio suæ beatitudinis planè cognouerunt mysterium Incarnationis, & Natiuitatis, & mortis Christi:) non tamen dubitat Augustinus, quem etiam sequitur D. Thom. 1. part quæstion. 117. articul. 2. quòd multa ex his mysteriis manifestata sunt Angelis, quando opere completa sunt, atque etiam per Apostolos prædicata, quæ antea erant eis occulta. Quod videtur significasse idem Paulus, scribens ad Timot. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Vocat enim magnum pietatis sacramentum, hoc maximum Incarnationis & Natiuitatis Christi opus, quod non *Roman. 1.* *Ephes. 3.* *August.* *D. Thom. at.* *1. Timot. 3.*

iustitiæ, sed pietatis & misericordiæ diuinæ opus fuit: & cùm esset absconditum in Deo, manifestatum est in carne, quando Verbum Dei factum est caro, & natum est secundum carnem. Iustificatum est autem in spiritu; quia, vt apud Matthæum habetur: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et, vt S. Leo dicit, sermon. 2. in Natiuitate Domini: *Auctor in carne nascendi Deus est, testante Angelo ad Mariam, Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Apparuit ergo Angelis: quoniam, vt iam diximus, multa de mysterio nostræ reparationis manifestata sunt Angelis, ab ipsa Natiuitate Christi, & deinceps, quæ anteà nesciebant: sicut etiam docet Chrysostomus, in prologo super Ioannem, & Gregorius Nyssenus, Homilia 8. super Cantica: quamuis Diuus Gregorius Papa libro 34. Moral. cap. 4. nomine Angelorum intelligat Doctores, & prædicatores Ecclesiæ. Atque hoc sacramentum Christi est, quod prædicatum est gentibus per Apostolos, creditum est in mundo ab his qui susceperunt Euangelium, & assumptum est in gloria. Nam & B. Stephanus *intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.* Notanter verò dicit, *stantem*, vt adnotauit Epiphanius libro 1. contra hæreses c. 44. vt ostendat carnem Christi vnitam Verbo, gloriosam esse in dextera Patris, & perpetuo regnaturam, ac sine fine permansuram in cœlo, quam post tantum temporis spatium vidit S. Stephanus à dextris virtutis Dei.

*Matth. 1.* *Leo.* *Luc. 1.* *Chrysost.* *Nyssenus.* *Gregor.* *Epiphanius.*

*Video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Antequam Filius Dei carnem sumeret ex Virgine, clausi erant cœli, ita vt nec Deus descenderet ad homines de cœlo, neque homo in cœlum ascenderet ad Deum. Ascendebant quidem sanctorum preces, desideria, atque suspiria tam importuna, tam plena lachrymis, vt dicerent apud Esaiam: *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Sed dissimulabat Deus, & prudenter tacebat vsque ad tempus; interim tamen quibusdam piis promissionibus, & consolatoriis verbis, eos detinebat, & signa quædam dabat, quibus significaret, quòd opportuno tempore aperiret cœlos, & descenderet ad homines factus homo. Sic consolatus est sanctum Noë, & signum illi dedit inquiens: *Arcum meum*

*Esai. 64.* *Genes. 9.*

*ponam in nubibus cœli, & erit signũ fœderis inter me, & terram.* D. Augustinus, Homilia 2. in Apocalypsi docet, arcum istum fuisse promissionem, & signum aduentus Christi in carne. Nam, quemadmodum sole nubem roridam illustrante, ac radiis suis penetrante, apparet arcus diuersorum colorum, qui est signum serenitatis; ita etiam cùm Patris Verbum, quod est candor lucis æternæ, & sol iustitiæ, humanam naturam suscipiendo (quæ à Prophetis appellatur *nubes*) eam illustrauit, ac penetrauit, arcum fecit mirabilem in Christo, qui Deus & homo est, & non tantùm signum reconciliationis & pacis, sed ipsa reconciliatio nostra, & ipsa pax nostra inter Deum & hominem. In huius signi consideratione antiqui Patres non nihil consolationis & refrigerij accipiebant, videntes arcum, & mysterium illius, atque significationem meditantes, sicut ille, qui dicebat. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum.* Videbant enim corporeis oculis arcum, & interioribus animæ agnoscebant mysterium. Et propterea laudabant & benedicebant Dominum, qui alium arcum mirabiliorem facturus erat in Christo, quem significabat. Propterea enim dicit: *Signum fœderis inter me & terram* Hoc est, inter me, qui Deus sum, & hominem, qui terra est, quòd facturus sim fœdus mirabile, assumendo carnem humanam in vnitatem personæ diuinæ, & tanto fœdere vtramque naturam conserendo, vt salua vtriusque proprietate Deus & homo vnus sit Christus. Deus etiam istum arcum admirabilem, quem facturus erat, contemplabatur, vt non destrueret mundum propter peccata hominum, attendens id quod significabat futurum in Christo, quem missurus erat, vt redimeret mundum. Vnde & dicebat: *Videbo arcum, & recordabor fœderis sempiterni, &c.* Nihilominus tamen intelligebant Sancti Patres, diuinam illam promissionem & fœdus, atque consolationem, non transire nubes cœli, & descendere in terram. Propterea enim dicit, *Inter me & terram.* Quasi dicat; Ponam arcum inter cœlum & terram in ipsa regione aëris, in qua nubes generantur, sicut & Dauid dicebat Deo: *Domine, in cœlo misericordia tua: & veritas tua vsque ad nubes.* Quasi diceret, misericordiam, & veritatem huius my-

August. Eccle. 45. Genes. 9. Psal. 55.

ſterij, in cœlo apud Angelos, & in ſinu Dei Patris eſſe, & in Prophetis, qui nubes vocantur, per ſolam propheticam cognitionem reperiri: in terra autem, & apud homines, ſignum tantum apparere illius fœderis, quod per incarnationem & Natiuitatem Chriſti Deus facturus erat, vt reconciliaret ſibi totum genus humanum. Sed iam hoc fœliciſſimo tempore noſtro, non ita ſe res habet, ſed vt dicebat Sanctus Martyr, *Video cælos apertos, &c.* Iam enim ſol iuſtitiæ carnem humanam penetrauit, & aſſumpſit, habens in arcu iſto mirabili veros Dei & hominis colores, natus in terra & inter homines, vt daret pacem æternam & ſalutem mundo. Sic illum vidit Sanctus Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi, quando dicit; *Vidi alium Angelum, fortem, deſcendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite eius, &c.* Ambroſius in hæc verba intelligit de Chriſto in hoc myſterio Incarnationis & Natiuitatis. Ipſe enim fuit ſingularis Angelus, fortis: qui ſolus habuit virtutem, & fortitudinem, ad deſtruendum peccatum, & occidendam mortem, & debellandas aëreas poteſtates; ille magni conſilij, & noui teſtamenti, Angelus, & Filius Dei, qui venit in mundum, amictus puriſſima carne, atque quaſi quodam arcu circundatus infirmitate humanæ naturæ. Hoc ergo eſt ſignum pacis, & reconciliationis noſtræ, Filius Dei veſtitus carne, pannis inuolutus, & poſitus in præſepio, ſecundum quod Angelus ad paſtores dixit: *Inuenietis infantem, pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Mirabile ſignum noui teſtamenti, Deus in carne abſconditus, Deus carne circundatus, Deus viliſſimis pannis circumuolutus, & inter arcta præſepia circumcluſus. Meritò clamat Salomon: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Manus Excelſi apperuerunt illum.* Solæ enim Dei Patris omnipotentis, atque altiſſimi, manus formare potuerunt arcum iſtum, & manifeſtare illum in carne, factum hominem, & natum de Virgine; vt videamus, quam miſericorditer aperuit cœlos, & inclinauit eos, atque deſcendit in terram.

*Apoc. 10.* *Ambroſ.* *Luc 2.* *Eccleſ. 43.*

*Video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei* Videte admirabilem mutationem dexteræ Excelſi, & in auditam Patris viciſſitudinem, Dei, & hominis,

in hac apertione cœlorum: per quam factum est, vt Deus factus sit homo, infans, pauper, natus in stabulo, & in præsepio reclinatus: è contra verò homo factus sit Deus, magnus, & diues, & stans à dextris virtutis Dei. Res profectò miranda, & stupenda ipsis etiam Angelis, quòd Deus tam pauper sit, vt homo, & quod homo tam diues sit, sicut Deus, atque eadem persona sit Deus pauper, & diues homo, & (sicut dicit Leo Papa, sermone 6. de Ieiunio septimi mensis) *diues in suis, pauper in nostris*. Quasi diceret; diues in his, quæ sunt propria Dei, & pauper in his, quæ sunt propria hominis. Aperi ergo oculos cordis, ô homo, & videbis in hac Christi Natiuitate, Deum pauperrimum, hominem verò ditissimum, Deum in terra iacentem, & hominem stantem in Patris dextera, Deum humiliatum in fœno, & hominem exaltatum in cœlo, Deum patientem, & hominem regnantem, Deum in sinu Matris Virginis, & hominem in sinu Patris æterni. Iste est mirabilis arcus, quem aperuerunt, & formauerunt manus omnipotentis, & clementissimi Dei Patris. Vnde & in Cantico suo Anna, benedicens illum, dicebat: *Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat*. Nam Deus Pater in hoc mysterio Incarnationis & Natiuitatis Christi Filij sui, fecit Deum pauperem, natum de Virgine paupere, & in domo pauperi, in qua nec locum habuit, in quo reclinari posset, nisi in præsepio: hominem vero ditauit, in quo posuit vniuersos thesauros diuinitatis suæ. Ibi Deum humiliauit vsque ad stabulum, & stercora, hominem verò subleuauit vsque ad thronum diuinitatis suæ. Vnde sequitur, *De stercore erigens pauperem, vt solium gloriæ teneat*. Nam in Christo nato, homo erat in solio gloriæ, Deus vero in stratu nostræ miseriæ: Deus in stercore, quasi proiectus & homo de terra erectus vsque ad solium gloriæ Dei. Propterea Deus fecit arcum istum, & hanc mirabilem vnionem diuini Verbi cum carne nostra, vt (quemadmodum dicit S. Leo, sermo. 17. de Passione) *dum nostra facit esse, quæ sua sunt, sua faceret esse, quæ nostra sunt*. Vniuersa enim bona sua posuit Deus in homine: & vniuersa mala hominis, (præter culpam) accepit Deus in se ipso, vt eadeleret, & pro peccato ho-

*Leo.*

1. *Reg* 2.

*Leo.*

minis satis faceret æterno Patri.

Rectè ergo dixit Sanctus Martyr: *Video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Itaque ad hoc vsque procedere potuit Dei omnipotentia, sapientia eius, misericordia, & dilectio, humiliando semetipsum vsque ad assumptionem carnis humanæ, & exal-

Leo. tando hominem vsque ad esse personale Verbi diuini. Et quamuis vtrumque mirabile sit in Deo, & (vt S. Leo dicit, serm. 4. de Natali Domini) *quamuis ex vna eademque potentia sit, quidquid creatura creator impendit, minus tamen mirabile est, hominem ad diuina proficere, quàm Deum ad humana descendere.* Nam cum proprium sit Deo omnia posse, quæ voluerit facere, tam in cœlo, quàm in terra, etiam si admiranda illa sint, de quo scriptum

Psalm. 76. est: *Tu es Deus, qui facis mirabilia*: non ita difficile creditu reputatur, quod natura humana, ita sit magnificata à Deo, vt etiam in vnitatem personæ diuinæ sit assumpta. Dicemus enim, id fecisse Deum, quod infinitæ bonitati suæ, & misericordiæ conuenientissimū est. *Facile est vmbram ascendere* (dixit Ezechias.) Homo

4. Reg. 20. autem vmbra quædam est &, vt S. Iob dicit, *fugit velut vmbra*, & ipsa Christi caro vmbra quædam diuinitatis est, vt sancti affirmant. Facile igitur fuit Deo, hāc

Iob. 14. vmbram carnis Christi ascendere vsque ad personalem vnionem Verbi diuini. Sed quod inter omnia Dei mirabilia mirabilius est & magis stupendum, hoc profectò est, Dei filium vsque ad assumptionem carnis nostræ descendisse, & in ea vsque ad mortem humiliatum esse: quod non tantum homines, sed etiam supremos Angelos in admirationem ac stuporem rapit: &, vt Dionysius dicit; cap. 2. de diuinis nominibus, *Ipsa*

Dionysius. *Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est sermone omni, & omni, ignota intelligentia, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati non cognita.* Rectè Damascen. lib. 3. de

Damasce. fide Orthodoxa, cap. 1. vocat opus, quod *omnium nouorum maxime nouum est, & quod solū nouum sub cœlo est, per quod infinita Dei apparuit virtus.* Sed profectò non solum sub sole, sed etiam supra solem & omnes cœlos, imo & supra omnes Angelos, maximé nouum est, & tanquàm summè nouum apparuit Angelis, & nisi Deus aperuisset cœlos, & nouam lucem hominibus & An-

gelis præstitisset, incredibile prorsus visum esset.

*Video cœlos apertos, et filium hominis stantem, etc.* Videte mirabiles fructus natiuitatis Christi. Priùs enim quàm ille nasceretur ex Virgine, clausum erat cœlum hominibus, infidelitati, & idololatriæ deditis. Vnde & apud Lucam dicitur. *Temporibus Heliæ clausum est cælum*, & vt Ambrosi. docet lib. 2. Hexameron, cap. 4. *Cœlum clausum est, quando in Achab, et Iezabel, perfidia regnabat, cum populus regali sacrilegio deseruiret, eò quod nemo ad cœlum oculos erigebat, nemo eius authorem venerabatur, sed ligna et lapides adorabant.* Vnde & in Leuitico dixit Deus: *Dabo vobis cœlum ferreum, et terram æneam.* Cœlum quidem, ferreum erat hominibus incredulis, quia nec lucem veræ fidei, nec influentiam gratiæ illis dabat. Terra verò, ænea erat, quia homines duri, & intractabiles, Deo & Angelis erant steriles, & sine fructu bonorum operum. Sed in hac Christi Natiuitate videmus cœlos apertos hominibus, quibus iam claritas diuinæ lucis affulget, & Angeli dona cœlestis gaudij, & pacis, deferunt. Pastores lux de cœlo circumfulget, Magos noua & splendidissima stella deducit, quousque Christū natum inueniāt, & procidentes adorent. Itaq; videmus cœlū apertum, &, vt in Euangelio Ioānis dicitur, *Angelos ascēdentes et descēdētes super Filiū hominis.* Ascendebant enim super filium hominis natum in terra contemplantes, & adorantes diuinitatem eius descēdebant autem, nuntiantes hominibus temporalem eius Natiuitatem, & ministrantes, tam paruulo recenter nato, quàm sacratissimæ Virgini eius Matri, quæ illum fouebat in virginali gremio.

*Lucæ. 4.* *Ambrois.* *Leuit. 26.* *Ioan. 1.*

Quin etiam in hoc Natiuitatis mysterio videmus cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei quoniam ille homo in Christo non solùm assumptus est ad esse personale Dei: sed etiam eius anima sāctissima, quando in vtero Virginis conceptus, & in stabulo natus est, habuit cœlos apertos, & beata fuit, videns Deum facie ad faciem, secundum quòd dicitur in Euangelio Ioannis: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Quoniam Christus Filius Mariæ Virginis secundum corpus in stabulo erat, & in terra, secundum animam

*Ioan. 3.*

verò beatam, in cœlo erat, & æterna fœlicitate fruebatur. Atque ex hoc concipiunt homines maximam spem intrandi in ipsos cœlos, virtute, ac meritis huius paruuli recenter nati, qui tanquam caput omnium electorum penetrauit cœlos & ius possidendi illos, tam sibi, quàm electis, in se ipso recepit. Nam hoc etiam significare voluit Sanctus Martyr plenus fide viua, & spe firma, quando dixit: *Video cœlos apertos, & filium stantem, &c.* Quasi diceret, Iam video cœlos apertos, qui anteà clausi erant hominibus, & in vno homine Christo ius & possessionem illorum, tam sibi, vt omnium capiti, quam omnibus electis, qui huius capitis membra sunt. Et propterea non dixit S. Martyr *Video Christum*, aut *Video Iesum*, sed *Video filium hominis*
*Ephes. 2.* *stantem, &c.* vt etiam de quocunque homine electo ad beatitudinem intelligi possit. Quo sensu dixit etiam
*Chrysost.* Paulus: *Conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, &*
*D. Thom.* *consedere fecit in cœlestibus in Christo.* Vbi Chrysostomus, homilia. 4. & D. Thomas. 3. par. quæst 58. art. 4. docent, quòd cũ Christus sit caput omnium electorum omnia illa, quæ collata sunt Christo, nobis etiam in ipso collata dicuntur, atque adeò in ipso iam dicimur cõuiuificati, & conresuscitati, atque in cœlestibus con-
*Psal. 67.* sedere. In quo etiam sensu de Christo dicitur: *Acce-*
*August.* *pisti dona in hominibus*, sicut Augustinus & Hierony-
*Hieron. 5.* mus interpretantur: quòd cùm nos simus corpus Christi, & eius membra, quid dubitamus, eum accipere in membris suis ea dona, quæ membra eius accipiunt? Accepit ergo in hominibus Christus, quoniam accepit, vt daret hominibus, & quia homines acceperunt in ipso tanquam in capite, cum quo suo tempore conresuscitandi sunt, & in cœlestibus consessuri, *si tamen prius*, vt Paulus admonet, *compatiantur* cum ipso, vt & posteà cum ipso conglorificari, & conregnare
*Rom. 8.* possint in cœlis.

Hoc denique significare nobis voluit S. Martyr, quando dixit: *Video cælos apertos, & filium hominis stantem, &c.* Tunc enim vidit ipse cœlos apertos, quando orabat, quando patiebatur pro Christo, & fundebat sanguinem pro illius confessione, & non alio tempore, aut loco. Christus Do-

minus, quando baptizatus est, & orabat, vidit cœlos apertos, vt Euangelistæ sancti narrant: & S. Propheta Ezechiel de se ipso dicit: *Cum essem in medio captiuorum, iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Di.* Cum esset captiuitate oppressus, & afflictus, & prope aquas tribulationum, tunc aperti sunt cœli, tunc vidit cœlestes visiones: vt sciamus, & discamus à sancto Martyre moriente, & à sanctissimo puero nascente simul & patiente, quòd humilitas, paupertas, & asperitas vitæ, patientia in tribulationibus, & doloribus, ac laboribus, oratio attenta & feruens, ac denique opera sancta virtutum hæc sunt, quæ aperiunt cœlos, & quæ faciunt videre illos apertos, & quæ animas iustorum eleuant à terra in cœlum, vbi & ipsæ videbunt gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis dei, qui cum eodem patre & spiritu sancto, &c. Amen.

*Matth. &* *Luca. 3.* *Ezech. 1.*

# DE S. STEPHANO PRIMO MARTYRE.

## CONCIO.

*Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.*

MATTH. 23.

S Stephanum, Martyrem Inuictissimum, quem sancti Patres primum Euangelij, & post Christum, Martyrem appellant, Diuus Ambrosius *Ambros.* lib. 3. de Virginibus, & lib. 4. Com- *Matth. 7.* mentariorum in Lucam vocat primũ illum piscem, quem Petrus, iussu Domini, hamo piscatus est, vt censum solueret, quem ille continebat in ore: Martyr enim Christi thesaurus est Ecclesiæ. *Martyr ergo ille*, inquit, *qui de mari, cælum primus ascendit, captus à Petro minister altaris, non reti, sed hamo leuatus, vt riuo sui sanguinis eleuaretur: cuius in ore thesaurus erat, cum Christum in confessione loqueretur, &c.* Thesaurus enim noster, Christus est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientię absconditi: hic autem erat in ore Stephani sapientissimi, cùm Christũ prædicabat in passione, quem videbat stantem à dextris Dei. *Thesaurus desiderabilis in habitaculo iusti*, ait *Prou. 21.* Salomon. Hic iustus, qui pro iustitia, certabat vsque ad mortem, in habitaculo suo thesaurum desiderabilem super aurum & lapidem, pretiosum multum: habebat Christum Dominum, & fidem eius in ore habebat

bebat, in corde seruabat, cùm corde credebat, & ore confitebatur, ita feruide, ita sapienter, atque constāter, vt non possent ei resistere, aut contradicere omnes aduersarij eius. Thesaurum desiderabilem in ore habuit, cùm miro charitatis ardore succensus prò persequutoribus, & lapidantibus, orans dicebat, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* Oratio enim pro inimicis, ingens Sāctis thesaurus est. Sed inter cæteros Stephanus thesaurum in ore detulit Ecclesiæ: quia sua oratione meruit Pauli conuersionem: qui, vt ita dixerim, infinitus quidam est thesaurus Ecclesiæ, & hominibus. Sed, vt August. ait ser. 1. & 4. de Sanctis *Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Petrus igitur de mari huius sęculi Stephanum primum Ecclesiæ Martyrem hamo suæ prædicationis piscatus est: Stephanus verò sua oratione nouissimum Apostolorum Paulum, quasi ore, dedit ipsi Ecclesiæ Christi, in thesaurū incredibilem, quo in immensum ditata est, & locupletata. Quis enim alius magis quā Paulus in ore suo thesaurū, & diuitias Christi habuit, & Ecclesiæ sanctæ cōmunicauit? Audi eum, qui in ore suo nomen Christi per totum orbem portauit, ad Ephesios scribentē. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, &c.* Prędicatio Pauli, Ecclesiæ diuitiæ, & thesaurus est: ipse verò Paulus fructus oris sancti Stephani, qui sua oratione eum à mundo separauit, vt Deo acquireret. Plane os diuinum, dicente ipso Domino per Hieremiam, *Si separaueris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Stephanus quasi os Dei fuit, quādo sua oratione pretiosum Paulum à vili mundo separauit, vt ex Saulo persequutore fieret prędicator Paulus, & vastator Ecclesiæ, mutaretur in pretiosum eius thesaurum. Et vide mirabilē huius rei consequentiam, quā adnotauit Chrysostomus, Homilia quadā, de Conuersione Pauli. Obturatū est os Stephani per mortem lapidibùs, quando obdormiuit in Domino, & apertum est os Pauli, vt Christum quem Stephanus in Iudæa prædicabat, ille in toto terrarum orbe annuntiaret. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, &c. Obturatus est fons vnus Stephani* (ait Chrysostomus,) *& apertus est alius, plurimos emittens fluuios: &*

Actor. 7.
August.
Ephes. 3.
Hiere. 15.
Chrysost.
2. Cor 6.
Chrysost.

*postquam siluit os Stephani, mox sonuit tuba Pauli, &c.* Sic profectò mortuus est Stephanus, & quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit post se, qui pro inimicis, & persequutoribus, quotidie orare non cessabat, qui semel lapidatus est, qui Dominum Iesum Christum vidit adhuc viuens, & per martyrium fœlicissime obdormiuit in Domino.

Diuus Ambrosius, vt dicebamus, vocat Beatum Stephanum, piscem primum, quem Petrus Apostolus hamo suæ prædicationis de mari huius sæculi cepit, ad Christum adduxit, vt esset Ecclesiæ thesaurus. Ego verò illum etiam Angelum quendam de supremis dixerim propter eximiam eius castitatē, & euangelizandi munus: de quo S. Lucas testatur, *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Vnum de Cherubin, & primum, non immeritò Stephanum dicere possumus: de quo per Ezechielem dicitur, *Tu, Cherub, signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Et infra, *In medio lapidū ignitorum ambulasti.* Rectè Cherub dicitur B. Stephanus, similis Angelo, qui in carne præter carnem viuebat in omni castitate, & sanctitate. *Signaculum similitudinis:* qui maximus imitator Christi Domini fuit, vnus ex ijs de quibus Paulus dicebat, *Conformes fieri imaginis Filij sui.* Sicut enim Dominus (vt notauit Augustinus, serm. 170. in cruce clamans voce magna expirauit, sic Stephanus emissa voce magna obdormiuit in Domino: & quemadmodum Dominus moriturus, pro persequutoribus orauit, vt non perirent, sic Stephanus, *Positis genibus, clamauit voce magna, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Vere magna voce clamauit, qui ex maxima charitate, & singulari patientia, & angelica lenitate, imitator Christi pro transgressoribus rogauit. *Non sibi vindictam*, ait Cyprianus, lib. de bono patientiæ, cap. 6. *sed interfectoribus veniā postulauit.* Talem esse oportuit primum Martyrem Christi, qui Martyres sequuturos gloriosa morte præcurrens, nō tam Dominicæ passionis prædicator esset, sed & patientissimæ lenitatis imitator. *Plenus sapientia* rectè dicitur: hoc enim significat nomen *Cherub*, teste Origene., Homil. 5. & 11. super Numeros, quitan-

Actor. 6.

Ezech. 28.

Rom. 8.

August.

Actor. 7.

Cyprianus.

Origenes.

ta donatus est scientia diuinorum, tanto repletus spi-
ritu sapientiæ, & intellectus, vt in medio Ecclesiæ
Christum prædicans, sapientes, & Scribas de Scriptu-
ris instruens, nullus ei posset contradicere. *Non poterāt*
(ait S. Lucas) *resistere sapientiæ, & spiritui, qui loqueba-
tur. Perfectus decore*: cui summa gratia in labiis diffusa Actor. 7.
est, & in vultu angelico toti Synagogæ demonstratus
apparuit. *Sicut autem Angeli viderunt faciem eius*: quia Chrysost.
vt Chrysostomus ibi docet, Homil. 15. videtur illum
fuisse tantę gratiæ, atque amabilem, vt statim aspe-
ctu terruerit illos. *In delitiis paradisi Dei fuit*: qui ad-
huc viuens in terra, iam oratione, contemplationeq;
altissima in cœlis conuersabatur, & delitiis paradisi frue
batur. *Video*, ait, *cœlos apertos, & Iesum stantem, &c.*
Iam videbat gloriam Dei, & delitias Domini: nec quid Actor. 7.
aliud speraret habebat, nisi vt dormiens in Domino
susciperetur spiritus eius, & intraret in æternam
requiem, & in gaudium Domini sui. *Omnis lapis pre-
tiosus operimentum eius fuit.* Opertus enim lapidibus erat
Martyr Christi, cum pateretur: qui lapides, licet ex
parte Iudæorum viles, ac sine pretio essent, tamen ex
parte ipsius Martyris, pretiosissimi erant, pretiosiores
omni auro, & omni lapide pretioso. *In medio lapidum
ignitorum ambulauit.* Lapides enim illi, ingniti erant o-
dio, & inuidia Iudæorum persequentium: sed multò
magis erant igniti charitate Martyris, ardore fidei eius,
& zelo salutis proximorum. Angelus Domini, apud
Danielem, *In medio ignis ambulabat* absque vlla læsione Dan. 3.
Stephanus, alter Angelus Dei, in medio lapidum igni-
torum ambulans, corpore quidem patiebatur, sed cor-
de, & animo illæsus, ambulabat in latitudine, cui lapi-
des dulces erant, & amabiles, ita vt possimus ei dicere
illud Iob, *Cum lapidibus regionum pactum tuum.* Habuit Iob. 5.
enim cum lapidibus illarũ regionum fœdus, & amici-
tiam maximam: quia percutientes carnem eius, ani-
mam non lædebant, sed exhilarabant potius. & delitiis
afficiebant, ornabant illum, & coronabant mirabi-
liter. Quid ni dulces, & amabiles essent lapides Deut. 32.
Martyri, cui donatum est à Domino in passione fre-
mentium lapidum, *vt sugeret mel de petra, oleumque de*

*saxo durissimo?* Quid ni lapidibus,& saxis opertus ornaretur, honoraretur, sublimaretur, & vndique muni-
Esai. 33. tus coronaretur, de quo per Esaiam prædictum erat, *Munimenta saxorum sublimitas eius?* Iste profectò est, qui in iustitiis ambulabat, qui veritatem loquebatur qui obturabat aures suas, ne audiret sanguinem, & oculos claudebat, ne videret malum:&, cum persequutores impii continerent aures suas, & oculos clauderent, vt impetum facerent in eum, ille, ne audiret, & videret eorum vindictam, orabat, in cœlum oculos dirigebat: munimenta saxorum sublimitas eius erant dum, obuolutus saxis, patiebatur corpore, eleuabatur animo, in sublime agebatur. In medio lapidum ignitorum ambulabat, admirabilis iste Cherub, qui, dum in corpore pateretur, corde iam, & mente inter ardentes, & lucentes Angelos conuersabatur. *Muni-*
Gregorius. *menta enim saxorum sublimitas nostra est*, ait Gregor. 31. lib. Moral. cap. 20. *cùm mente choris, castrisque cælestibus iungimur.* Regem in decore suo vidit, qui *Intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Non enim solum Iesum vidit, sed & gloriam Dei contẽplatus est; quia teste Gregorio Nysseno, in
Nyssenus. Oratione de S. Stephano non solam Christi humanitatẽ vidit, sed adiuuante gratia Spiritus sancti sublatus,& euectus est ad Dei contemplationem, & gloriã Patris, & Filij, & Spiritus sancti, plena mentis comprehensione percepit,&c. Regem ergo Christum, in diuinitatis suæ decore,& gloriam eius Vnigeniti à Patre, videre meruit.

Olim exploratores terræ promissionis, Iosue,& Caleb lustrata illa excelsa terra, testimonium fidele toti populo reddebant, vt ascenderet, atq; possideret eam:
Nũ. 13. & 14. sed flebat populus, & murmuratus est aduersus Moysem,& Aaron. Iosue verò, & Caleb, ad omnem multitudinem loquuti sunt, *Terra, quam circuiuimus, valde bona est. Dominus inducet nos in eã, lacte, & melle manantẽ. Nolite rebelles esse contra Dominum. Cũque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis, videntibus Filiis Israel.* Ego sane exploratores istos, Iosue,& Caleb, nõ alios in nouo testamẽto accipio, quã Iesum, Dei & hominis Filiũ,

& B. Martyrem Stephanum: qui adhuc in carne mortali viuẽtes terrã promissionis cœlestis, lacte, & melle diuino manantẽ, lustrauerunt, & ad eam possidendam omnes homines adhortati sunt: rebelles arguebant, à quibus iniurias multas perpessi sunt, ita vt etiã lapidibus eos obruere voluerint. Cõsidera Iesum Christũ Dei Filiũ, Iudęis annuntiantẽ bona cœlestis patriæ, & mirabiles, atque vberrimos fructus terræ viuentiũ: ipsos verò murmurãtes, contradicentes, & rebelles luci, atq; exploratissimę doctrinæ, quã euãgelizabat de Regno Dei, ac de sua & Patris diuinitate, ad lapides cõfugiẽtes, vt eũ lapidarẽt. *Amen, Amẽ dico vobis, antequã Abrahã fieret, ego sum.* Priùsquã enim Abrahã produceretur in tẽpore, ille erat apud Patrẽ in æternitate. Sed, hoc audito, *tulerunt lapides* Iudæi, *vt iacerent in eũ. Iesus autem abscondit se.* Et iterum apud eundẽ Euangelistã, cum dixisset, *Ego, & Pater, vnum sumus,* (quibus verbis mirificè insinuauit hominibus suam diuinitatem, & vnam eandẽque cum Patre substantiam declarauit, vt Gręgor. Nazian. docet, Orat. 49. & Ambr. lib. 1 de Fide, cap. 1.) rebelles Iudæi, & duro corde, *sustulerunt lapides, vt lapidarent eum*: sed ille exiuit de manibus eorum, nolens lapidatus mori, sed crucifixus totum mundum ab æterna morte liberare. *Ioan. 8.* *Ioan. 10.* *Nazianze.* *Ambros.*

Considera deinde Beatum Stephanum, quasi alterũ Caleb, exploratorem terræ, quam promisit, & præparauit Deus electis suis. *Caleb*, si diuo Hieronymo in nominibus Hebraicis credimus, interpretari potest, *Quasi cor.* Totus enim erat quasi cor, plenus fortitudine, ac spiritu, & desiderio intrandi, ac possidendi terram illam promissionis optimam; de quo Salomon ait, *Dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem: & vsque in senectutem permansit illi virtus, vt ascenderet in excelsum terræ locum.* Iste explorator terræ promissionis, iste dux populi, prædicator contra rebelles acerrimus, *Nolite rebelles esse contra Dominum.* Sed, cùm populus eum vellet lapidare, *Apparuit gloria Domini*: Et lapidantium detinuit manus ne lapidibus eos interimere possent. Typus, & figura fuit ille Beatissimi Martyris Stephani. Ipse enim quasi cor, totus erat corde plenus, mirabili quadam fortitudine. *Plenus gratia, & fortitudine, fa-* *Hieronym.* *Eccl. 46.* *Actor. 7.*

*fiebat signa, & prodigia.* Ipse explorator, & lustrator terræ promissionis æternæ, qui adhuc in mortali corpore positus, penetrauit cælos, inquiens, *Ecce, video cælos apertos.* Ipse Iudæos, rebelles Christo, & induratos corde, grauissime redarguebat. *Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut Patres vestri, ita & vos.* Dure profecto increpabat eos, qui duro erant corde, sed in omni patientia & charitate, vt sani essent in fide. *Quæ ista virtus est,* (ait Gregor. Homil. 18. in Ezechiel. *sic zelo feruere, vt eis, à quibus terrebatur, perfidiæ improperia fiducialiter diceret: & sic diligere, vt in morte quoque pro eis, à quibus moriebatur, oraret? Ore sæuiebat,* ait Augustinus In Psalmum. 132.) *Sed corde diligebat.* At illi, vt Sanct. Lucas ait. *Impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eycientes eum extra ciuitatem, lapidabant:* vt in hoc imitaretur Dominum suum seruus, quod sicut ille extra ciuitatem passus est, qui pro toto orbe moriebatur, ita & ipse extra ciuitatem eductus moreretur, qui totius mundi Redemptorem annuntians, pro illius confessionis gloria patiebatur. Sed cum ille ab impijs lapidaretur. apparuit gloria Domini, non iam super tectum fœderis sed super cœlos in dextera Dei, nec videntibus cunctis Filijs Israël, sed solo Stephano vidente, qui gloriam Christi, non suam quærens, pro eius fide libentissime mortem sustinebat. *Cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei.* Gloria Dei apparuit, non quæ martyrium impediret, & mortem arceret, vt olim interitum Caleb prohibuit, sed quæ Martyrem ipsum confortaret, & adiuuaret in illa tribulatione lapidum, donec introduceret eum in terram hæreditatis æternæ. Vnde, quod lib. 1. Machabæorum dicitur, *Caleb, dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatem.* ego melius de nostro Caleb, beato Stephano, accipiam: qui dum testificatus est in Concilio, & Ecclesia Iudæorum, Christi gloriam & diuinitatem, accepit non terrenam hæreditatem, sed æternam, incorruptibilem, conseruatam in cœlis: & sui nominis coronam obtinuit, coronam iustitiæ, quæ bonum certamen certantibus reposita est à Christo in cœlis. Et forsasse idcirco, quando lapidibus premebatur, & perime

Actor. 7.
Gregor.
August.
Actor 7.
1. Mach. 2.

batur, *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem*: vt gloria Dei apparente consolaretur, & mira dulcedine reficeretur, atque satiaretur, & à Iesu stante confortaretur, & quasi à compatiente subleuaretur: atque à iudice iusto, & stante ad iudicandum, acciperet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, & multo magis morientibus constanter pro se Nisi velis dicere, ideo vidisse Iesum stantem à dextris Dei, qui tamen sedere dicitur à dextris Dei apud Marcum, *Et sedit à dextris Dei*: quia tanto honore afficere voluit Stephanum morientem, vt exurgeret, atque illi occureret, suscipiens animam eius. *Domine Iesu*, ait, *accipe spiritum meum*. Quasi diceret ille Domino cum Dauid, *Exurge in occursum meum, & vide, tu Domine virtutum, Deus Israel*. Simul etiam, vt sciant omnes, qui pro Christo tribulationes patiuntur, & mortem, sic eos ab Ipso honorari, vt stet, & exurgat ad adiuuandum eos, & consolandũ in passionibus, & ad suscipiendas in pace animas eorum. Quam recte per Hieremiam dicit Dominus! *Si non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis aduersus inimicum.* Marc. 16. Actor. 7. Psal. 58. Hiere. 15.

Beatus plane, & pluries beatus, Stephanus Martyr primus, & Leuita, qui ante omnes Apostolos meruit obdormire in Domino, videre cœlos apertos, nec videre solum, sed etiam introire: cui Christus Dominus occurrit, quem suscepit, quem corona iustitiæ coronauit. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, gloria, & honoris, & opus fortitudinis.* Coronam habuit S. Stephanus, vt Martyr, mitram, vt Leuita superuenitq; mitræ corona: *aurea* vero fuit ob eximiam eius charitatem, qua dilexit inimicos, & orauit pro persequentibus, & calumniantibus se: *expressa signo sanctitatis*: quia dilectio, & maxime inimicorum, signum expressum est discipulorum Christi, & signum magnæ sanctitatis, signum etiam gloriæ, & honoris, quo meruit à Domino honorari. *Et opus fortitudinis.* Stephanus enim plenus gratia, & fortitudine, illo suo martyrio, & opere fortitudinis, ac miræ dilectionis, sibi fabricatus est coronam de omni lapide pretioso. Sicut enim, *videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*, vt Paulus ait, sic etiam Eccle. 45. Hebr. 2.

videmus Stephanum seruum eius, propter martyrij passionem, gloria, & honore coronatum, vita & immortalitate donatum, & possessione Cœlorum, quos vidit apertos, ac possidere meruit. Sed & omnes iusti, beati, qui in Domino obdormire merentur, & requiescere: quibus non solum sancti Angeli occurrunt, Cœli ciues obuiant, sed & ipse Christus exurgẽs
*Esai.64.* in occursum venit, vt eorum animas lætus suscipiat, & in sinu Dei collocet, pariter lætantes in ipso: & fiat, quod per Esaiam dicitur, *Occurristi lætanti, et facienti iustitiam.* Qui enim ante mortem operatur iustitiam, in ipsa morte lætatur iustus in Domino, & sperat in eo: atque ideo lætanti Dominus occurrit, vt suscipiat eum, & cum electis collocet, atque glorificet: quemadmodum Beatus Stephanus in morte gaudens suscepit lapides, mortem lætus aspexit: cui etiam totus festiuus assurgens Christus occurit certanti vsque ad mortem pro iustitia, ac de lapidibus illis pretiosis, quibus lapidatus est, coronam gloriæ construxit in Cœlis. Vbi ipse Dominus est in dextera Dei Patris. Cum quo viuit, &c. Amen.

# DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA.

## CONCIO PRIMA.

*Domine, hic autem quid?* IOAN. 21.

QVis, et qualis, quantuſque ſit beatiſſimus Apoſtolus, & Euangeliſta Ioannes, non aliunde melius, atque copioſius, quam ex ipſius ſacro Euangelio colligere poſſumus: in quo teſtimonium habet ab ipſis *Pſal. 18.* Apoſtolis fratribus ſuis: & à ſeipſo, qui certo ſciebat, *Hieron.* ſe vera dicere: & ab ipſo Chriſto Domino, cuius teſtimonium fidele, ac verum eſt, & credibile nimis, dicente Dauid, *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis*: non ſenſu, ſed humilitate, vt Hieronymus ait: quibus reuelare ſolet Dominus diuina myſteria, quæ ſuperbis ſapientibus abſcondit. Ab hoc igitur diuino, atq; Euangelico teſtimonio, tanquam paruuli in Chriſto, & corde humiles, diſcamus, quis fuerit S. Euangeliſta Ioannes: de quo etiam ipſe Petrus Apoſtolus ab *Luc. 22.* ipſo Domino edoceri cupiens, eum interrogat, inquiens, *Domine, hic autem quid?* Sciebat Petrus, Apoſtolorum primus, & Eccleſiæ paſtor, iam olim ſibi à Domino dictum eſſe, *Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*: quaſi diceret, Illos in fide, & veritate, confirma, & curam illorum habe: tibi enim omnium cura, tanquam primo paſtori commiſſa eſt. Propterea dixit Ieſus Petro, *Sequere me.* Soli Petro dicit, vt illum

sequatur, quia in eo, tanquam in capite, omnibus dicit: sicut per vnum antea omnes responderant *Domine*
Ioan.6. *ad quem ibimus?* Vbi Cyrillus, lib. 4. cap. 28. ait. *Per*
Cyrillus. *vnum, qui praerat, omnes respondent. Opus erat diuinitus comprobatae prudentiae, illi soli responsionem committere, qui ordine maior erat, &c. Conuersus autem Petrus, vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem: qui & recubuit in Coena supra pectus eius.* Quid ni sequeretur Iesum, qui ab eo dilectus erat, & supra pectus eius recumbere dignus fuit? Profecto sequeretur eum, quocunque iret. Ideo enim *sequentem* dicit absolute, & absque vlla determinatione: quia in omnibus eum sequebatur: quo enim non eum sequeretur, quem summe diligebat, manens in eius charitate, in eius
1.Ioan.2. corde, ac pectore requiescens? At *qui dicit se in Christo manere* (ait ipse) *debet sicut ille ambulauit, &*
Gregor. *ipse ambulare.* Quod si Iesum sequi est, ipsum *imitari* (vt Gregor. dicit, Homil. 2 Euangeliorum) plane in omnibus eum Ioannes sequutus est, qui in omnibus imitator illius fuit: & sicut Dominus, & Magister eius ambulauit, & ipse ambulare studuit. Hunc ergo cum
Hieron. sequentem vidisset Petrus, curam illius agens, & quasi illum admiratus, dixit, ad Iesum, *Domine, hic autem quid?* Nolens deserere Ioannem, cum quo semper fuerat copulatus, hoc dixit, vt ait Hieronymus. lib. 1. contra Iouinianum, cap. 14. Aut fortasse, crucis ama-
Lucae 14. tor Petrus optabat, vt etiam Ioannes, quem ipse amabat, & Discipulus, quem diligebat Iesus, crucem experiretur cum ipso, sciens scriptum esse, *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Ille enim discipulus Christi verus est, qui illum imitatur, & sequitur tanquam magistrum, ac ducem, atque ab eius vestigijs non recedit. Discipulus
Chrysost. enim, imitator debet esse magistri, ait Chrysostomus, Homilia. 9. Imperfecti: & Homilia. 28. in epistolam ad Hebraeos, ait, *Si discipulus es, magistrum imitare: hoc quippe est discipuli. Si vero ipse per tribulationes perrexit? tu autem per requiem vis ire, non eandem viam vis pergere, quam ille perrexit, sed aliam. Quomodo ergo sequeris non sequens, quomodo eris discipulus, non sectans magistri ve-*
Matt. 10. *stigia?* Haec ille. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*

Sed alio sensu longè diuerso accipiamus hæc verba Petri; *Domine, hic autem quid?* Solent eiusmodi interrogationes in sacra Scriptura rem admirabilem, & maximi cuiusdam momenti, & ponderis, in futurum prænuntiare, aut promittere. Sicut de Ioanne Baptista recenter nato, qui audierunt mirabilia, quæ in eius ortu acta sunt, dicebant, *Quis, putas, puer iste erit?* Ac si dicerent; Qualis futurus est postea paruulus, in cuius natiuitate, tot miracula operata est manus Domini? Si vixerit infans, aliquid magni erit. Simili sensu dicebat S. Dauid ad Deum, qui tot beneficia contulit homini, quem creauit, *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, &c.* Hominis summam dignitatem futuram admirabatur S. Propheta, quem Dominus ita dilexit, vt memor illius, suscipere carnem decreuerit, & veniens in mundum, oriens ex alto, illum visitare in assumpta carne humana dignatus sit. Quo etiam sensu S. Iob Domino dicebat; *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Miratur & ipse insignem hominis dignitatem: quem Deus non solum magnificauit dono rationis, & gratiæ, & cordis sui prouidentiam erga eum apposuit, curam illius singularem habens: sed etiam, vbi venit plenitudo præfiniti ab eo temporis, magnificauit eum summo quodam modo carnem eius assumens, & cor suum diuinum apponens erga illum, ita vt iam homo cor Dei habeat, & Deo datum sit hominis cor. Ad hunc modum D. Petrus Apostolus conuersus ad Christum, & videns Ioannem, illum Discipulum, cum quo sic magnificè egit Dominus, vt esset Discipulus, quem diligebat Iesus, & qui sequeretur eum: & qui in Cœna recubuit supra pectus, & iuxta cor illius: & qui voce omnium ausus est Christo dicere; *Domine, quis est qui tradet te?* Hunc ergo cùm vidisset, talem, tam magnificum, tãtis muneribus donatum, tot bonis tam naturæ, quam gratiæ, locupletatum, tot denique priuilegiis inter cæteros honoratum, quasi in admirationem raptus, & singularem eius dignitatem quasi præanuntians, dicebat Christo, *Domine, hic autem quid?* Nescio enim, quid diuinum ijs qui eum vident, promitte-

*Lucæ. 1.*

*Psal. 8.*

*Iob. 7.*

re videtur: magnificasti enim, Domine, misericordiam facere cum illo.

Gloriosè honorificatus est à Domino S. Ioannes & terribiliter magnificatus: qui, quoniam perfectè se-
4. Reg. 2. quutus est magistri sui vestigia in omnibus, omnia dona sua in eum magnificentissimè fudit. Videor mihi in S. Ioanne, & Christo Domino, videre Eliseum discipulum dicentem Eliæ magistro suo, quem constanter sequebatur; *Viuit Dominus, et viuit anima tua, quia non dimittam te.* Sic enim factum est, vt eum sequeretur toto tempore, & cùm in curru igneo eleuatus esset, ibi adfuit etiam Eliseus videns magistrum eleuatum, à quo & spiritum hæreditauit, & pallium: adeò magnificè à magistro ditatus est, & honoratus. Sic profectò S. hic Ioannes, Discipulus, quem diligebat Iesus, magistrum suum Iesum sequutus est in omnibus, nec vnquam dimisit eum: quin potius eo vsque sequutus est eum, quousque in curru igneo sanctæ crucis eleuatus est: & iuxta crucem stabat, aspiciēs magistrum suum: & voce clamantem cordis ad eum, à quo etiam respi-
Ioann. 19. ciebatur, *vidit Discipulum stantem, quem diligebat*, ait ipse Ioannes: propter quod & Spiritu suo sancto, & pallio virtutis, & honoris, singularissimè à Christo donatus est, & honorificatus.

Christus Dominus propterea quod vsque ad mortem crucis humiliatus est, & à Deo Patre exaltatus est
Philip. 2. mirabiliter, & datum est illi *nomen, quod est super omne nomen.* Certè super omne nomen, quod tam in cœlo, quam in terra nominatur. Si Angelos dixeris, ipse est magni consilij, & noui testamenti Angelus. Si Apostolos: ipse est primus omnium Apostolorum, dicente
Hebr. 3. Paulo; *Considerate Apostolum, et Pontificem confessionis nostræ Iesum* Si Prophetas: ipse est omnium maximus.
Luca 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Si Euangelistas: ipse profectò est Euangelista verus, & summus, qui Euangelium Regni euangelizauit, & scripsit. Vnde in Eze-
Ezech. 1. chiele dicitur; *Manus hominis sub pennis eorum, in quatuor partibus.* In omnibus enim quatuor Euangelistis, manus Christi Filij Dei, & hominis fuit, quæ præcipuè Euangelia scripsit, atque composuit: & verius, ac proprius, dicuntur Euangelia Christi, quam Matthæi, vel

Ioannis. Denique ipse Christus est præcipuus Martyr, & Martyrum dux. *Martyrem enim primum* vocat eum Augustinus in Psalmum 63. & in Psalmum 118. Concione 9. Ipse Doctor est iustitiæ, qui *Cæpit facere, & docere*, primus verbo, & exemplo docuit totam sāctam Ecclesiam. Ipse virgo, & dux virginitatis omnium Virginum, & illarum amator: in omnibus graduum differentiis ipse primatum tenet, & nomen exaltatum super omne nomen. *August.* *Actor. 1.*

Simili igitur modo sanctus Ioannes Euangelista, qui vsque ad crucem sequutus est Christum, socius passionum eius, & testis, accepit & ipse nomen super omne nomen: quando alter Christus, alter filius Mariæ Virginis, effectus est. *Mulier, ecce filius tuus.* Sicut enim docet Origenes, tomo 1. in Ioannem, perinde est, ad si diceret. *Ecce, hic est Christus, quem genuisti. Etenim quisquis perfectus, non amplius viuit ipse, sed viuit in eo Christus, cumque in ipso viuat Christus, dicitur de eo Mariæ; Ecce filius tuus Christus, &c.* Bene ergo dicitur de Ioanne illud Ecclesiastici; *Exaltauit eum apud proximos suos, & nomine æterno hæreditauit illum, &c.* Apud Apostolos, aliosque Discipulos, exaltatus est, & honoratus, & nomine æterno hæreditatus, quod est nomen filij Mariæ Matris Dei. Præter hoc autem nomen sanctus Ioannes & alia sortitus est nomina, in quibus exaltatus est super alios fratres suos. Angeli enim nomen sortitus est, Angelos multos superans contemplatione, & diuinitatis cognitione, qua, vt ita dixerim, *Ascendit super Cherubim, & volauit.* Apostolos superauit: qui inter cæteros magis est dilectus à Domino. Euangelistas superexcessit: de quo dicitur; *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Virginibus altior est: qui prærogatiua virginitatis à Domino electus est, & seruandæ Virginis curam suscepit. Doctores multos excessit ipse: qui docuit innumerabiles: & propter insuperabilem euangelizandi constantiam exilio relegatus est, quique propter admirandam rerum diuinarum cognitionem, atque doctrinam, inter omnes Apostolos Theologi cognomen habere meruit. Inter Martyres verò excellentissimus fuit, qui iuxta crucem stans, socius passionum, & mortis Christi Domini esse meruit *Ioan. 19.* *Origenes.* *Ecclef. 15.* *Psalm. 17.* *Ezech. 1.*

Bernard. cum Maria Matre eius. *Duo virgines, duo Martyres* (vt Bernardus ait, sermone de lamentatione Virginis) *& quasi iam mortui iuxta crucem.* Maximus Martyr Ioãnes,
Apoc. 1. qui *propter Verbum Dei, & testimonium Iesu*, vt ipse dicit, longo exilio relegatus est: quique in feruentis olei dolium missus, oleo lætitiæ Spiritus sancti recreatus, læsionem non sensit, paratus calicem Domini bibere, secundum voluntatem Domini sui, quem in omnibus sequutus est quasi magistrum.

Verè Discipulus, quem meritò diligebat Iesus, vt quemadmodum Magister, Filius Dei dilectus dicitur,
Matth. 3. & 7. *Hic est Filius meus dilectus*, ita & Ioannes inter condiscipulos sit, quem singularissimè diligebat Iesus. Verè dilectus, qui & recubuit super pectus eius, vt si-
Ioan. 1. cut ipse Magister in sinu Patris requiescit (*Vnigenitus, qui est in sinu Patris*,) ita & Ioannes recumberet, re-
Ioan. 13. quiesceret, dormiret in sinu Iesu. *Erat*, ait, *recumbens in sinu Iesu, vnus ex Discipulis eius, quem diligebat Iesus.* Vt videas, eum in omnibus post Iesum, quem amabat, & sequebatur, accepisse nomen, quod est super omne nomen, illum dilectum Domini, illum, qui recubuit in sinu Iesu. Quid ni recumberet dilectissimus Domini? Quid ni iuxta cor eius requiesceret? Quid ni inter hu-
Cant. 1. bera eius moraretur? *Dilectus meus mihi*, ait, *inter hubera mea commorabitur*. Inter hubera, vbi est thesaurus cordis, vbi fons est caloris vitalis, ibi morabatur dilectus Ioannes, ibi requiescebat in sinu Iesu, inebriatus ab huberibus consolationis, & dilectionis eius: vt in nos ipse refunderet bona illa, quæ de sacro Dominici pectoris fonte potauit. Rectè de sancto Ioanne dicit
Nyssenus. Gregorius Nyssenus, Homil. 1. in Cantica; *Verbi hubera amauit, qui supra pectus Domini in Cœna recubuit: & veluti quandam spongiam cor suum apposuit fonti vitæ: & ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysteriis, nobis quoque exhibet mamillam à Verbo impletam, nosque implet bonis, quæ ei à fonte sunt indita. Vnde nos quoque emeritò dicemus; Diligamus hubera tua super vinum. Propterea autem diligimus tuorum documentorum influxum,*
Psal. 24. *quia te dilexit rectitudo. Hic est enim Discipulus, quem diligebat Iesus. Iesus autem est rectitudo. Dauid vocat Dominum, rectum; Dulcis, & rectus Dominus. Hic autem*

*liber vocat eum, rectitudinem, pulchrius, & conuenientius, quo quidquid & obliquum, corrigitur, & reducitur ad rectitudinem, &c.* Hæc summa rectitudo, & iustitia, Christus Dominus, Ioannem dilexit Apostolum, & in sinu suo fouit, iuxta cor suum habuit, inter hubera reclinauit: vbi eum docuit cœleste mysterium, vt esset Ecclesiæ suæ magister, & summus sapientiæ suæ Theologus: atque in omnibus (ad similitudinem Christi Domini, quem amauit & à quo singulariter est dilectus) primatum tenens, exaltatus apud cæteros Apostolos, & nomen habens super omne aliud nomen. Hæc sunt bona, quæ Ioannes hausit de bono thesauro cordis Iesu, & de sinu pectoris eius attraxit, ac de sacratissimis huberibus eius sugere curauit. Diligamus & nos hæc diuina hubera, & in hoc sinu recumbamus, vt hic protegamur, nutriamur, consolemur illuminemur, atque inebriemur. *Hubera eius inebrient te,* ait Salomon, *in omni tempore & in amore eius delectare iugiter. Quare foueris in sinu alterius?* Quid enim ei deficere poterit, qui saciatur ab his huberibus de cœlo plenis? Quid verò timebit homo, in sinu Christi Domini lutatus, & in tam tuto loco positus? *Quid times hominem* (ait sanctus Augustinus, sermone 6. de verbis Domini) *in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris ad salutem valebit, non ad perniciem.* Sed redeamus ad sanctum Ioannem. *Prouerb. 5.* *August.*

*Hunc ergo* tam admirabilem hominem, & iuxta cor Christi, eique dilectissimum, *cum vidisset Petrus, dixit Iesu; Domine, hic autem quid?* Et Dominus ei respondit; *Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te? Tu me sequere.* Licet aliqui dubitarint (vt Ambrosius dicit, super Psalm. 118. sermone 20.) nulli tamen dubium esse debet, quòd S. Ioannes Euangelista obdormierit in Domino, & mortuus sit: hoc enim tanquam notissimum affirmat Tertullianus, lib. de Anima, cap. 50. Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. cap 14. Augustinus sermone 149. Sed, vt Augustinus sentit, volebat Petrus, qui per mortem crucis glorificaturus erat Deum, vt Ioannes etiam cruenta morte crucis sequeretur Christum, & imitaretur: sed Dominus ei respondit; *Sic eum volo manere:* sine vulnere, sine cruciatu, do- *Ambros.* *Tertull.* *Hieronym.* *August.*

miat,& expectet me, &c. Ego verò in his verbis Domini aliud existimo martyrij grauioris, & crucis supplicium præparasse dilectissimo suo Ioanni, vt etiam inter Martyres atrocius pro Christo pateretur mortis genus. Voluit enim, vt per sexaginta & octo annos in terra ipse maneret, & postremus Apostolorum vitam finiret,& ad Christum euolaret: quo martyrij, & crucis tormento,nullum maius esse potuit Ioanni,qui ardentissimè diligebat Christum, & desiderabat toto corde esse cum illo. Paulus Apostolus, quia passim inter pericula mortis pro salute proximorum versabatur, dicebat; *Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres.* Docens nos, ait Chrysostomus, Homil. 11. in Genes. & 73. ad Popul. quod sic seipsum pro pietate periculis exposuit vt quotidie morti vicinus esset,& propinquaret. Quantò magis Ioãnes quotidie,ac omni hora moreretur,qui sic manere iussus in terra,separatus erat à Christo suo,à vita sua,& à patria suacœlesti exul? Diuinus Ignatius,& ipse dilectissimus Domini, atque ardentissime eũdiligens,ac videre& frui desiderans nõ timebat leonũ laniæ matyrium non formidabat. sed optabat potius. At sic manere in præsenti vita sine Christo, & absentem esse ab illo, hoc illi mors erat, hoc martyrium grande, hæc terribilis crux. Vnde in Epist. 15. ad Rom. rogans eos, ne spe martyrij illum priuarẽt sed mori eum statim sinerent, & à bestijs trucidari: causam illis talem reddit, *Quoniam vita sine Christo, mors est.* Sed quoniam de hac re, & sensu huius loci, integram Concionem statim damus, hæc dicta sufficiant modo, ad laudem Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat, &c. Amen.

*2. Cor. 15.* *Chrysost.* *Ignatius.*

DE SANCTO

# DE SANCTO IOANNE, Euangelista.

## CONCIO II.

*Sic eum volo manere, donec veniam.*
IOAN. 21.

SAcratissimum, ac Christo Domino amantissimum, Ioannem Apostolum, & Euangelistam, atque (vt in quadam Concione ConciliJ Ephesini, tomo 6. cap. 9. dicitur) *Communem orbis terrarum thesaurum, ac magistrum nobis à Deo propositum*, supra pectus Domini recubuisse, suo ipsius Euangelico testimonio compertum est. In qua re videor mihi cernere ouem illam viri pauperis: de qua in 2. libro Reg. proposita est parabola Regi Dauid: *Quam vir ille emerat, nutrierat: & creuerat apud eum, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia* Charissima ista ouicula, & Christo Domino, animarum nostrarum pastori, gratissima, sanctus Ioãnes Euangelista est. qui viro illi, qui propter nos pauper factus est, adhærere voluit, & illum quasi pastorem libenter sequi, dicens cum Propheta; *Non sum turbatus, te pastorem sequens*. Quare verò turbaretur pastorem sequens, qui sic eam dilexit, sic nutriuit, sic acquiescere fecit, & in sinu suo leuauit, ac fouit? *Concilium Ephesin.* *2. Reg. 12.* *Hebr. 17.*

*Dominus pascit me*, ait illa ouis; *& nihil mihi deerit.* Si nihil deest timentibus Dominum, quid deesse poterat Ioanni amanti Iesum Christum: & qui diligebatur, & pascebatur ab ipso, in loco pascuæ, & super aquas refectionis educabatur? Rectè dicit Ambrosius libro de Ioseph, cap. 7. *Ab illo solo dicitur Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: qui saturatur à Christo.* Sic nutriebat ouem suam diuinus pastor, & apud eum crescebat, cùm esset cæteris ætate minor: & quasi ouem deducebat per semitas iustitiæ. *Deduxit me*, ait, *Psalm. 22.* *Ambros.*

*super semitas iustitiæ.* Alios ex Discipulis Dominus per semitas Euangelij deducebat: de quibus per Esaiam dicitur; *Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius*: Et apud Salomon. *Ducam te per semitas æquitatis*: at Ioannem dilectissimum super semitas iustitiæ deduxit: quia supra aliorum virtutes, & opera iustitiæ, ille altius, & excellentius multo se extulit, ope diuinæ gratiæ.

Esai. 2.

Prouerb. 4.

De pane illius comedit, & de calice bibit, quæ non erubescit Domino dicere; *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quam præclarus est!* Considera obsecro, sanctum Ioannem in Cœnæ sacræ mensa, recumbentem cum Christo, imò & recumbentem in sinu eius: & videbis manifestè, ouem viri pauperis, de pane illius comedentem, de calice bibentem: & in sinu illius dormientem. De pane viuo corporis Domini comedit, & de calice sanguinis ipsius bibit, atque inebriatus est: ita vt omnia, quæ mundi sunt, respueret, & mala non sentiret. Oleo etiam vnctionis quam habuit à Spiritu sancto, impinguatus, ardentis olei, non sensit incendium; sed ab illo potius exhilaratus est, & recreatus. *Vinum lætificat cor hominis*, ait Dauid: *vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Quæ tria in B. Ioann. sedente ad mensam Christi paratam Discipulis, completa videmus. Neque hoc solum habere meruit: sed etiam in sinu illius dormiuit, & recubuit. O planè diuinum pastorem ouium suarum, Christum Dominum, qui per Prophetam prædixerat; *Ego pascam oues meas, & ego accubare eas faciam!* Non solum pascit oues, sed etiam accubare, & dormire eas facit. At in sinu suo dormire, soli Ioanni concessit, soli huic dilectissimæ ouiculæ reseruauit quam sicut filiam habere voluit, quam mire dilexit, & singulari misericordia præuenit, & subsequutus est. Quo fine inquies? *Vt inhabitem in domo Domini*, ait, *in longitudinem dierum.* Ac si diceret: Ideò me tot beneficiis affecit, ex misericordia sua, vt in domo sanctæ Ecclesiæ, longo tempore detinerer; & totius Asiæ Ecclesias fundarem, & regerem, per sexaginta & octo annorum spatium, absens à Christo: quod

Psalm. 103.

Ezech. 34.

profectò incredibile genus tormenti, & martyrij, fuit sancto Ioanni: de quo Dominus in Euangelio dicit; *Sic eum volo manere, etc.*

De hoc martyrij, & tribulationis genere, intellexisse mihi videtur Esaias Propheta, iuxta Septuaginta Editionem, quando dicit; *Ablactati à lacte, abstracti ab hubere, tribulationem super tribulationem, expecta spem super spem.* *Esai. 28.* Sancti enim, ac Deo coniuncti, & perfectiores iam facti ablactati, & abstracti, non solum à rebus mundi omnibus, sed etiam à lacte, & huberibus Domini, quibus fouere solet imperfectos adhuc, & paruulos: quique gustauerunt iam hubera Christi, & bona sæculi futuri: patiuntur hanc tribulationem magnam, & super omnem tribulationem, videlicet expectare spem super spem, dissolui ab huius vitæ carcere, & esse cum Christo: quæ est potissima Sanctorum spes, & super omne desiderium eorum. *Prouerb. 13.* *Spes, quæ differt, affligit animum*, ait Salomon. Dilatio enim boni, quod speratur, ac desideratur, tristitiam, & afflictionem inducit animæ, quæ non modica longanimitate opus habet, vt D. Thom. docuit 22. q. 136. artic. 5. *D. Thomas.* Quantò autem magis hæc afflictio animæ, hæc tribulatio super omnem aliam tribulationem, pensanda est in beatissimo Ioanne, quem diligebat Iesus, & suis huberibus lactauit, & sinu suo fouit; qui ab isto lacte diuino ablactatus, ab ijs huberibus abstractus, cogebatur tam longo annorum spatio expectare aduentum Christi Domini, absens esse ab illo, & tam dilata spe viuere in hoc mundo, sine Christo, sine pastore suo? Profectò sic manere, nihil aliud erat, quàm semper mori, & continuato martyrio propter Christum, & propter salutem proximorum, vsque ad diem ab ipso Domino constitutum, vitam doloribus plenam transigere: & tamen Dominus dicebat; *Sic eum volo manere, donec veniam.* *Sic*, in hac tribulatione magna eum volo manere, donec veniam, & assumam eum ad meipsum: vt in sinu meo sit, & super pectus meum recumbat, iam nunquam amplius ab illo abstrahendus. Hoc igitur fuit sancti Ioannis martyrium, omni alio maius, hæc illius mors terribilior quacunque aliorum morte. Nam, vt Petrus Damianus ait, sermone 2. sancti Ioannis, *Quo* *Petr. Dam.*

*cæteris Apostolis in carne prolixius mansit, eo durioris martyrij tormenta sustinuit.* Propterea dicit ipse Ioannes in Euangelio; *Et non dixit ei Iesus, Non moritur. sed, Sic eum volo manere.* Ac si diceret; Inter fratres habitus est sermo, quod Discipulus ille dilectus non est moriturus, aut non est martyrium passurus, quod cæteri Apostoli passuri erant: sed non dixit Petro Dominus, Non moritur: sed, Sic eum volo manere, donec veniam. Quibus verbis mysterio plenis, & obscuritate, quæ illi non intellexerunt, significauit aliud martyrij genus, aliam mortem, & crucem, quæ Ioanni reseruata erant propter Christum toleranda Martyrium amoris, & desiderij hoc fuit: moriebaturque semper, expectans beatam suam spem, & aduentum magni Dei, & Saluatoris sui, ac dilectoris, Iesu: cuius amplexibus stringeretur, cuius huberibus concupitis frueretur, in cuius pectore dormiret in pace, ac requiesceret. Profectò, si in ardentis olei dolium missus, statim obiisset, non tam terribilem mortem passus esset: nec tam grande martyrium subiisset, sicut passus est in illa sua pace amarissima, quam habuit manens in vita mortali, separatus à Christo, & à patria cœlesti. *Quid est diu viuere, nisi diu torqueri?* ait Augustinus sermone 113. de Tempore: & S. Dauid aiebat; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multum incola fuit anima mea.* Multas tribulationes, & malas, passus est Rex Dauid: sed in nulla earum sic loquutus est, sic ingemuit, quemadmodum cum vidit differri sibi spem exeundi ab hac misera vita, & recumbendi cum patribus suis in Regno Dei in æterna vita, & in requie opulenta. Quantò magis ingemisceret sanct. Ioannes prolongari sibi incolatum huius vitæ, viuens sine Christo?

*August.* *Psalm. 119.*

Vera sanè est illa sententia Augustini, sermone 32. de Sanctis, *Tota vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, crux est, & martyrium.* Nunquam enim illi deesse poterit, quid mortificet in seipso, quid in aliis toleret, quid de deo speret, spirans, & gemens intra semetipsum, cum Apostolo: *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Crux est iis, qui piè viuunt in Christo, inter impios viuere offensas Dei innumerabiles cernere oculis suis iniurias, pau-

*August.* *Roman. 8.*

perum, calumnias innocentum, & mala, quæ iusti ab iniquis patiuntur. *Melius est nos mori in bello* (dicebat fortissimus Iudas) *quam videre mala sanctorum. Non oportet* (ait D. Thomas, ad Hebr. 12. Lectione 2. *quod semper Sancti habeant exteriores tribulationes, cùm interius affliguntur ex mala conuersatione peruersorum.* Vnde in 2. epistola Petri dicitur; *Habitans Loth apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Et Augustinus Homilia 26. de verbis Apostoli, ait; *Omnes mali persequuntur bonos, si non ferro, & lapidibus, sed vita, & moribus. Nemo Sanctum Loth persequebatur: & tamen inter impios viuebat: & inter immundos superbos, blasphemos, persequutiones patiebatur, non vapulando, sed malos videndo, &c. O generatio infidelis, & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patiar vos?* Nemo Discipulorum persequebatur Christum ferro, aut lapide: sed infidelitate, & peruersitate eorum torquebatur: & necesse erat, illum pati, & cruciari, cum apud eos diu detinebatur. *Vidi præuaricantes, & tabescebam*, ait Dauid. Et Augustinus Epistola 145. ad Sebastianum; *Pia est ista tristitia, &, si dici potest, beata miseria: vitiis alienis tribulari, non implicari, mærere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi. Hæc est persequutio, quam patiuntur pie viuentes, & tanto amarius, quanto interius.* Et in sermone 25. de Tempore, ait; *Christianis quotidiana martyria deesse non possunt. Si enim castitas, & veritas, & iustitia, Christus est: sic & ille, qui eis insidiatur, persequutor est: & ille, qui in aliis defendere, & in se custodire voluerit, martyr erit, &c.* Qualis ergo hac ratione Martyr esset quotidie, ac de die in diem, amantissimus Christi Ioannes, viuens inter peccatores, infideles, impios, hæreticos, blasphemos, immundos: qui illius iustissimam animam iniquis operibus cruciabant, & ad amaritudinem deducebant? Qualis Martyr esset, qui tandiu detinebatur in mundo, abstractus à sinu Christi, & à visione Dei, quam summo affectu desiderabat? Alij enim Martyres Christi, vna hora tormenta passi sunt, alij verò vno die; alij vno anno: & Sanct. Ioannes sexaginta & octo annis passus est illud grande martyrium animæ, gladium cordis, patibulum spiritus, bellum intimum, ac domesticum.

1. Mach. 3.
D. Thoma.
2. Pet. 2.
August.
Luc. 9.
Psalm. 118.
August.

Iob.14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat inmutatio mea.* Militiam vocabat S. Iob hanc expectationem: quia bellum cordis durissimum est, & afflictio pessima.

Considera aliorum Sanctorum martyria: & videbis, martyrium Ioannis, prolixius, & maius fuisse. Iacobus Apostolus, primus omnium gladio occisus est, inter Apostolos, vna hora consummauit martyrium: at Ioannes frater eius, continua fame, & esurie Christi, tot annis moriebatur: &, sicut Hierem. Propheta dicebat, *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame.* Nec solum fame perire videtur, qui incredibili desiderio videndi Deum affligitur, sed & siti quadam inextinguibili, quæ omnes cruciatus superat. Vide Sanctum Dauid ita sitientem & in illa amoris flamma cruciatum. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Et, vt scias, genus martyrij esse, & mortis animæ, & interioris hominis patibulum, subdit, *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.* In seipso torquebatur, intus moriebatur, & expirabat, animamque exhalabat: nec poterat loqui exterius, illa ardentissima siti detentus. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius, in siti.* Sanctus Ioannes ouis Iesu erat, ex huberibus eius lac sugere solitus: sed in siti illa tot annorum, quibus sitiebat ad Deum viuum, adhæserat lingua eius faucibus eius: & iam, quasi mortuus à corde, vocem emittere non poterat. *In fame, & siti*, laborabat Paulus: sed ista sitis animæ, quam patiebatur Ioannes, multò grauior fuit. Si carcerem patiebantur Sancti, carcerem animæ patiebatur sanct. Ioannes multò grauiorem, clamans cum Dauid, *Educ de carcere animam meam.* Si exilium alij passi sunt pro Christo, Ioannes exilium spirituale multò grauius patiebatur, quàm cùm in Pathmos Insulam relegatus est.

Threm.4.

Psal.41.

Threm.1.

2. Cor.11.

Psal.141.

Iob.9. Dicat ergo Ioannes Domino cum sanct. Iob, *Si flagellat, occidat semel: & non de pœnis innocentum rideat.* Nulli dubium est, Deum, eos quos diligit, flagellare in præsenti vita tanquam filios: sed desiderium vehemens Sanctorum, & cupiditas videndi Deum fla-

gelium est; fame, & siti, ac omni alia morte durius: quia mors occidit semel, at dilata hæc spes, continua afflictio animæ est, longissima mors, prolongatum martyrium. Occidat ergo semel, ait, filios suos Deus, aut gladio, aut igne. Quid enim? *Statutum est hominibus semel mori*: & ipse Christus semel mortuus est: quare & Sanctos suos semel, non millies occidere debet. *Et non de pœnis innocentum rideat*. Pœnas innocentum, desideria esse iustorum, quæ dilata contristant, & affligunt, docet ibi Greg. lib. 9 Moral. c. 15. maxime vero desideria, quibus desiderant, & cupiunt dissolui, & esse cum Christo. Sed ridet de iis Dominus, quando videt, ac tacet, & dissimulat, imò verò gaudet de eorum cruciatu, quò magis quotidie proficiant, & ad ipsam Dei visionem, quam desiderant præparentur: sic eos vult manere, & in illa morte manere, ac durare, donec ad eos veniat. *Tota vita boni Christiani* (ait August. super 1. Ioann. tract. 4.) *sanctum desiderium est: quod autem desideras, nondum vides, sed desiderando capax efficeris, vt cum venerit, quod videas, implearis*. At hoc desiderium, si veniat, *lignum vitæ est*, vt Salomon inquit: quod si non venerit multo tempore, lignum mortis erit, longissima crux, & iuge patibulum cordis, & animæ, quæ ardenter Deum amat, & videre desiderat: cuiusmodi erat illa sanctissima anima Discipuli, quem diligebat Iesus, quam etsi persequutoris gladius non semel abstulit, tamen grauissimo crucis, & mortis martyrio non caruit. Vnde rectè ipse de seipso respondit, *Et non dixit eis Iesus: Non moritur: sed, Sic eum volo manere, donec veniam*. Quasi diceret, Nõ dixit eis Iesus, me non esse moriturũ, quem sciebat passurum esse longissimũ cordis, & animæ patibulum, sed, *Sic eum volo manere, donec veniam*: vt illa mansione, & expectatione sexaginta & octo annorum, grauissimum interioris hominis mei supplicium, & flagellum significaret, famem incredibilem, ac sitim Iesu Christi, carcere, exilium, crucem, & mortem, tribulationem, spem super spem: quæ, dilata tanto tempore, martyrium cæteris omnibus amarius, & acerbius, me subire fecit ridente Domino, & dissimulante, ac de meo quotidia-

Hebr. 9.

Gregor.

August.

Prou. 13.

no tormento simul & profectu gaudente: donec venire iam dignatus est, vt me vocaret, & secum assumeret, vt cum illo sim, cum illo maneam, in æterna requie, ac perenni gloria. In qua ipse cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

## *De Solemnitate Sanctorum Innocentum lege De fuga Christi Domini, & nece Sanctorum Innocentum.*

# DE CIRCVNCISIONE CHRISTI DOMINI.

## CONCIO I.

*Postquàm consummati sunt dies octo, vt circunciderêtur puer, vocatum est nomen eius Iesus.*

LVCÆ 2.

*INnoua signa, & immuta mirabilia*, ait Salomon in oratione ad Deum. Atque ita profectò innouasse videtur, in hoc singulari opere Circuncisionis Christi. Nam in admirabili opere Incarnationis, & Natiuitatis suę, *in similitudinem hominum factus est*, vt Paulus dicit: in opere verò Circuncisionis factus est in similitudinem præuaricationis Adæ, qui nec peccatum facere potuit, neque contrahere, vt S. Leo dicit, epistol. 10. ad Flauianum, *non quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam serui sine sorde peccati.* In opere Incarnationis fecit opus suum, quod promisit: in opere verò Circuncisionis, *alienum est peregrinum opus eius ab eo*, vt Esaias dicit. Quid enim magis peregrinum, aut alienum à Christo, qui natura Dei Filius est in sinu Patris, & gratia Spiritus sancti filius Virginis in sinu Matris, inter eos paruulos reputari, qui natura sunt filij iræ, & eum qui omnino segregatus erat à peccatoribus, inter peccatores

Eccl. 36. Philipp. 2. Leo. Esai. 28.

circũcidi? Fateor quidem inuouata esse signa, & immutata mirabilia, sed quibus firma fide semel persuasum est, quòd Verbum caro factum sit, & habitauerit in nobis, facile erit credere cætera omnia Christi opera quæ à circuncisione vsque ad mortem crucis gessit pro nostra salute. Rectè enim dixit Chrysostomus, homil. 12. super Matthæum: *Illud est admirationis omnimodo plenum, quòd ille, qui erat Deus, homo fieri voluit. Iam verò alia, iuxta rationis ordinem consequuntur.* Ipse ergo Dei Filius, qui nostræ salutis causa homo factus est, propter nos, & propter nostram salutem circuncidi voluit, & primitias sui sanguinis fundere atque nomen nouum Iesu accipere, quod vocatum fuerat ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. *Vocatum,* ait Bernardus, sermone 2. *non impositum. Innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel angelica creatura. Hoc enim ei nomen est ab æterno*, sicut Dauid dicit, *Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.* Ante enim quàm sol, vel aliqua creatura produceretur, in ipsa Dei æternitate, impositum est hoc nomen Iesus Filio Dei incarnato In tempore verò circuncisionis vocatum est nomen æternũ, quod ab æterno datum illi erat, atque nominatum ab ipso Deo.

*Chrysost.*

*Bernard.*

*Psal. 71.*

Solent autem sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ, plures causas referre, propter quas conuenientissimum fuit, Christum circuncidi octaua die. Ex quibus plures refert D. Thomas. 3. p. q. 37. & Epiphanius, lib. 1. contra hæreses, cap. 30. Sed nos vnam tantum afferemus & explicabimus, quam tradit Diuus Ambrosius, lib. 1. de Abraham cap. 4 &. lib. 9. epistolarum epistola. 74. & Augustinus, lib. Quæstionum veteris, & noui testamenti, quæstione 22. Est autem hæc ratio: vt circuncisio, quæ in Abraham habuit principium, perduceretur vsque ad Christum, qui Abrahæ promissus fuerat venturus saluator hominum, in quo compleretur promissio: & adueniente veritate, consummaretur, atque compleretur legalis circuncisio, & cessaret quod ex parte est, adueniente quod perfectum est. Et fortasse hanc eamdem causam colligimus ex sacra Scriptura. Nam in lib. Genes. cùm traderet Dominus Abrahę mandatum circuncisionis, dixit ei; *Circuncide-*

*D. Thom.*

*Epiphan.*

*Ambros.*

*August.*

*Genes. 17.*

*tu carne praputy vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Quasi diceret. Hoc pactum circuncisionis, à te & his qui tecum sunt, habebit principium ; & per multas generationes durabit ritus, & obligatio eius: ac denique in me nato secundum carnem, atque circunciso, finietur, & cessabit. Sic enim possumus intelligere de Christo, filio Abrahæ secundum carnem, id quod dicitur in Ecclesiastico. *In carne eius stare fecit testamentū.* Manifestum est enim ex sacra Scriptura, quod *stare*, idem aliquando significat, quod cessare, aut sistere, vel vlterius non procedere, sicut in libro Iosue: *Stetit itaque sol in medio cæli*: & in Psalm. *Dixit, & stetit spiritus procella.* Eodem ergo sensu Deus in carne Christi *stare fecit testamentum* circuncisionis, quia constituit, vt in ipso finem haberet, cessaretque eius obligatio, atque necessitas. Cum attenta mente considero sacratissimā Mariam Virginem circuncidentem Christum filium suum, occurrit mihi Sephora sponsa Moysi, circuncidēs filium suum. Quo loco, vbi nos legimus: *Sponsus sanguinum tu mihi es*: alia lectio habet: *Cessauit sanguis circuncisionis filij mei* Quam sequens Epiphanius, sic interpretatur, quod in Christo & vsque ad ipsius tempus durauit, & in ipso cessauit circuncisio legalis, atque in complementum transmutata est. Nam iste puer Iesus, sanguinem circuncisionis legalis sedaturus erat sanguine Circuncisionis suæ. Atque id merito dicit Epiphanius. Nam vt egregie ait Ambros. lib. 9. epistolarum, epist. 77. *Quia pretium pro omnibus solutum est postea quam passus est Christus Dominus, iam non opus est, vt sanguis singulorum circuncisione fundatur, cum in sanguine Christi circuncisio vniuersorum celebrata sit, &c.* Cyrillus, lib. 2. de adoratione in spiritu, &c. legit cum Septuaginta: *Stetit sanguis circuncisionis filij mei*, quia cessauit in Christo figura antiquæ circuncisionis, neq; amplius processit, adueniēte excellentiori Circuncisione Christi. De qua Paulus dicit, *Circuncisi estis, Circuncisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, &c.* Sic diceret in corde suo sacratissima Virgo, nostra Sephora (quæ *pulchritudo*, vel *placēs* interpretatur, vt Hieron. dicit in locis Hebraicis) illa pulcherrima mulierum, illa quæ in omnibus placuit

*Eccle. 44.* *Iosue. 10.* *Ps. 106.* *Exod. 4.* *Epiphan.* *Ambros.* *Cyrillus.* *Coloss. 2.* *Hieron.*

Deo, sic inquam, diceret, veniens ad Circuncisionem pueri Iesu: *Stetit sanguinis Circuncisionis, flumen*. Videbat enim in spiritu, quòd per illam Christi Circuncisionem, & sanguinis nouam effusionem, staret, atque cessaret sanguis veteris testamenti, cessaret peccatum & mors & inciperet noua circũcisio cordis in Ecclesia, *in spiritu, non in litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex deo est*, vt Paul. dicit Annotatione dignum pro
Rom. 2. fecto est, quod D. Cirillus animaduertit, li. 4. sup. Io-
Cyrillus. an. c. 51. moriente Iosue, atque sepulto, in eius sepulcro positos esse cultros lapideos, quibus circuncidit filios Israël. Neque hoc absque causa: sed vt significaretur, aut quod legalis circuncisio sepulta est tanquam mortua per Circuncisionem, & mortem Christi aut sicut Cyril. vult, vt nos discamus circuncisionis spiritualis gratiam Saluatoris morti esse affixam Quæ Circuncisio omnis peccati deiectio est mortis atque interitus destructio& nostræ sanctitatis initium.

Sed veniamus iam ad sacratissimum nomen Iesu: & inquiramus, quam ob causam in hac Circuncisione Domini simul coniuncta sint effusio sanguinis eius, & impositio nominis Iesu. Huius rei duas præcipuas causas possumus modo assignare. Prima est, Quoniam nomen Iesu, quod Apostolis potissime commendatum est prædicandum, atque exaltandum super omnia alia Dei nomina, futurum erat nomen inuidiosum, & odiosum, tam Iudæis, quam Tyrannis. Propterea enim persequebantur Iudæi Apostolos, & Tyranni martyres, quia prædicabant, & exaltabant nomen Iesu quod ipsis erat abominabile, & execrabile. Sic enim prædixit Christus Apostolis apud Mat. *Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.* Et Paul. in actis Apostolorum loquens de se ipso, quando erat Saulus
Mat. 10. persequutor Ecclesiæ, dicit: *Ego quidem existimaueram,*
Actor. 26. *aduersum nomen Iesu debere me multa contraria agere quod & feci Hierosolymis, &c.* Ideo enim persequebatur fideles, & in vincula conijciebat, quoniam inuocabant, atque adorabant sanctum nomen Iesu Tyranni etiam nunquam persequebantur eos, qui inuocabant nomen Dei, aut nomen creatoris, aut nomen Domini. Qui vero apud illos inuocabant & venerabantur nomen

Iesu, statim experiebantur ludibria & verbera, insuper & vincula, carceres, ac denique mortes acerbissimas, Itaque potissimum negotium Iudæorum, ac Tyrannorum erat nomen Iesu ab hominum memoria tollere ac penitus extirpare: quemadmodum Dauid in spiritu prædixerat, inquiens: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius?* Et Hieremias. *Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Econtra vero potissimum negotium Apostolorum fuit, hoc sacratissimum nomen Iesu, plusquam alia Dei nomina, prædicare per totum orbem, atque diffundere, ac testificari, non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri, nisi hoc sacratissimum nomen Iesu. Pro cuius etiam nominis confessione parati erant multa pati atque sanguinem fundere, quemadmodum de ipsis dicitur: *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et de Paulo Gentium futuro Apostolo dixit Christus: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Propterea ergo Christus hodie in Circuncisione & sanguinem fudit, & nomen Iesu accepit, vt significaret, in corpore eius, quod est Ecclesia fidelium, quod Apostoli, & cæteri prædicatores nominis Iesu pro eius confessione, atque exaltatione, deberent multa pati, & reprobari à multis, atque sanguinem fundere. Propterea de hoc sacratissimo nomine Iesu Dauid dixit: *Sanctum, & terribile, nomen eius. Sanctum* dicit propter eius excellentiam, & maiestatem, aut propter virtutem sanctificandi animas, quam habet. *Terribile* vero simul vocat, quoniam in eius prædicatione, atque confessione, necesse fuit sanguinem fundere Apostolos, atque martyres, & pati mortem, quæ terribilis est. Sed ad hæc omnia oportebat paratos esse sanctos confessores huius sancti nominis Iesu, sicut & Paulus ad hæc omnia paratissimus, dicebat: *Non solum alligari, sed et mori paratus sum, propter nomen Domini Iesu.* Vnde & in Apocalypsi S. Ioannes considerans in spiritu Iudæos, atque Tyrannos, qui Apostolos, & confessores nominis Iesu, persequebantur, atque trucidabant, sub nomine mulieris meretricis magnæ, dixit: *Vidi mulie-*

Psal. 40.
Hiere. 11.
Actor. 5.
Actor. 9.
Psal. 98. & 110.
Actor. 21.
Apoc. 17.

*rem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.* Hæc enim erat insatiabilis Tyrannorum sitis & rabies fundendi sanguiné eorum, qui profitebantur nomen Iesu: sicut è contra totum studium confessorũ Christi erat, pro cõfessione, & dilatatione nominis Iesu, omnia pati, sanguinem fundere, atque animas ponere Considerare vero oportet, quod S. Ioannes primo vocat eos *sanctos*, & postea vocat, *martyres Iesu* quoniam qui volunt palmam martyrij obtinere à Christo pro confessione nominis eius, prius oportet sint sancti, & sectatores, atque imitatores Christi (& vt August docet, serm. 32. de sanctis) *ita cunctis Saluatoris nostri legibus se deuinxisse, vt propter anteactam vitam mereantur ad hanc martyrij gloriam peruenire.*

August.

Sed quid magnum in hac re efficient confessores Christi, cum ipsius sanguis, & sanctum nomen Iesu, tam terribile sit contra dæmones, & Tyrannos, & contra omnia genera tormentorum, ac denique contra ipsam mortem: & simul etiam fortitudinem ac robur conferat ad vincenda, atque contemnenda omnia genera tentationum, omnesque persequutores, & (sicut Chrysostomus dicit in homilia de laude Dei) *hoc Iesu nomen tum inferis, tum morbis & vitijs, terrori est?* Vnde Dauid dicit, *In nomine tuo spernemus insurgentes in nos:* & apertius S. Ioannes in Apocalypsi: *ipsi vicerunt eum* (draconem videlicet) *propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui.* Vbi *verbum testimonij sui* intelligi debet testimonium nominis Iesu, iuxta quod capite 1. dixerat, *Et testimonium Iesu Christi, &c.* & cap. 19. *Et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Ait ergo Sanctus Ioannes, martyres Christi, & confessores nominis eius, superasse draconem, serpentem antiquum, & vicisse Tyrannos, eius ministros, in virtute sanguinis Christi, & sancti nominis Iesu, in quo posuit Deus virtutem ac terribilem fortitudinem contra omnes aduersarios & hostes illius. Vnde & Salom. in Prouerbijs dicit: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus & exaltabitur.* Hoc est, in alto, & tuto loco, seruabitur immunis à malo, tanquam in altissima quadam turri, atque inexpugnabili, qualis est virtus nominis Iesu. Aut *exaltabitur*, dicit, quia in virtute sancti no-

Chrysost.
Psal. 43.
Apoc. 12.
Apoc. 1. & 19.
Prouer. 18.

minis Iesu, victor euadet omnium tormentorum atque triumphabit, & martyrij palmam, atque coronam in cœlestibus obtinebit.

Altera causa potest assignari, propter quam in Circuncisione Christi coniuncta sunt simul, effusio sanguinis, & sanctum nomen Iesu. Quoniam diuinissimũ hoc nomen Iesu, nomen est salutis, siue Saluatoris, ac redemptoris hominum à peccatis, sicut constat ex verbis Angeli ad Ioseph, apud Matthæum, *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Vt autem Apostolus docet, ad Hebręos scribẽs, *Sine sanguinis effusione non fit remissio*. Neque enim esse potest aut mundi redemptio, aut remissio peccatorum, aut salus animarum, sine Christi sanguine, in quo, sicut Paulus ad Ephesios dicit, *Habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*. Vt ergo Filius Dei natus de Virgine secundum carnem, esset Saluator & vocaretur Iesus, necesse fuit, vt intraret mundum effundendo proprium sanguinem, sicque habere inciperet, & nomen, & opus Saluatoris. Atque ita dicit idem Paulus ad Hebræos de Christo. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*. Semel intrasse dicit in sanctuarium nostræ redemptionis, vt se ipsum offerret Patri immolandum pro reparatione humani generis: quod sacrificium cruentum sanguine hodie offerre cœpit in Circuncisione, in qua & cœpit proprium sanguinem fundere, quem postea copiose effusurus erat in passione, & cruce, in qua simul cum sanguine vitam dedit pro salute hominum, vt copiosa esset apud eum nostra redemptio. Hæc omnia mirabiliter prædixisse videtur S. Dauid, inquiens. *Deus noster, Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis*. Quem locum tractans Augustinus, lib. 17. de Ciuitate cap. 18. inquit: *Deus saluos faciendi, Dominus est Iesus, quod interpretatur Saluator, siue salutaris, Ipse enim saluum fecit populum suum à peccatis eorum, in quorum peccatorum remissionem quoniam sanguis eius effusus est non vtique oportuit eum de hac vita exitus alios habere, quam mortis. Ideo, cum dictum esset, Deus noster, Deus saluos faciendi, continuo subiunctum est, Et Domini Domini exitus mortis: vt ostenderetur, moriendo saluos esse facturus? Sed.*

*Mat. 1.* *Heb. 9.* *Ephes. 1.* *Heb. 9.* *Ps. 67.* *August.*

*mirando dictum est, Et Domini: tanquam diceretur. Talis est ista vita mortalium, vt nec ipse Dominus aliter ab* Psalm.109. *illa exierit, nisi per mortem.* Hactenus Augustinus. Iesum ergo vocat Dauid, Deum nostrum, quia carnis nostræ naturam assumpsit: & huius Domini, qui Domini Dei Patris Filius est (iuxta quod ipse dicit alibi, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*) dicit esse exitus mortis, quoniam ipse suo sanguine, atque passione, foras eiecit principem huius mundi, atque etiam mortem, quæ ipsius principis mundi inuidia, & primi hominis peccato, in mundum intrauerat. Sic habes prophetarum in Cantico Abacuc de Christo in cruce moriente pro salute mundi; *Cornua in manibus eius: ibi abscondita* Abacu.2. *est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius.* Quoniam virtute sanguinis, & fortitudine crucis Christi, salui facti sumus à potestate Diaboli, & mortis, atque peccati, illa contrita sunt, & nos liberati sumus in nomine Domini.

Tanti Deus æstimauit redemptionem nostram, & salutem, vt noluerit minori pretio eam comparare, quàm vita & sanguine agni immaculati Filii sui, quemadmodum D. Petrus dicebat, *Non corruptibilibus auro,* 1. Pet. 1. *vel argento, redempti estis: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, Christi.* Hoc ergo est aurum mundissimum, atque optimum, quo nos Deus redimere voluit, & ornare, atque ditare, quemadmodum Ambrosius Ambros. dicit in præfatione Psal. 35. *Bonum aurum est sanguis Christi, diues ad pretium, perfluus ad lauandum omne peccatum. Auro seruum redimis, & auro ornas, &c.* Et Chry- Chrysost. sostomus, homilia. 71. ad populum, *Hic sanguis, salus est animarum nostrarum hoc abluitur anima, hoc inflammatur, hoc ornatur.* Recte profecto hi sancti Patres enumerant mirabiles effectus pretiosi sanguinis Iesu, sine quo nec salus, nec pulchritudo, nec vita animarum no- Apoc.1. strarum esse potest. Hoc sanguine abluitur anima à sordibus peccatorum, sicut & S. Ioannes in Apocalypsi dixit, *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Suo,* dicit quasi per exaggerationem, vt magnitudinem pretij, quo redempti sumus, & sanguinis, quo sumus abluti, explicet: aut certe, vt ostendat, nullo alio sanguine potuisse redimi animas nostras, & à peccatis emundari; nisi pretioso

nisi pretioso sanguine Iesu Christi. Hoc sanguine inflammatur anima igne diuini amoris, ita vt in facie rubicundi colores appareãt, quibus pulcherrima in oculis Dei efficitur, quemadmodum Ambr. serm. 90 refert dixisse sanctam virginem Agnetem, *sanguis eius ornauit genas meas*. Hic enim est viuus color, rubicundus, & roseus, sanctarum animarum, quæ intus ardent amore diuini sponsi sui: qui, vt eas mundaret, & pulchras efficeret suo sanguine, *sponsus sanguinum* fieri voluit. Hoc cœlesti purpurisso, sanctæ animæ, labijs suis & genis, rubicundum colorem inducunt, vt pulchriores coram pulcherrimo sponso appareant: à quo & audire possint dulcissima illa verba: *Sicut vitta coccinea, labia tua. Sicut fragmẽ mali punici ita genæ tuæ, absq; eo quod intrinsecus latet* Ex interiori enim feruore animarũ sanctarũ, quem in earum cordibus sanguis Christi operatur, procedit ille mirabilis color, atq; sanguineus, in labijs, ac facie earũ. Vnde & labia earum nihil aliud loqui nouerunt, nisi Iesum Christum, & hunc sanguine respersum, atque crucifixum. Similiter genæ earum, & vultus modestia & verecundia pleni, nihil aliud repræsentant, quam mansuetudinem, & modestiam Christi grauitatem eius ac vitæ splendorem imitantes, & in omnibus sequentes agnum sine macula, in cuius sanguine lotæ sunt, atque rubricatæ. Hoc sanguine pretioso adornatur etiã anima ornatu pulcherrimo, vt audiat à sponso illud Canticorum. 7. secundum aliam literam. *Ornatus capitis tui, sicut purpura Regis*, & vt Ambros. docet, super Psalm. 118. sermone. 17. *Sanguis Christi, purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate: quia reges facit, quibus regnum donet æternum.* Hoc ipsum videntur dicere sancti, qui in cœlo sunt Christo Domino, ac redemptori suo. *Redemisti nos* (inquiunt) *Deo in sanguine tuo: & fecisti nos Deo nostro regnum.* Duos magnos effectus referunt sanguinis Christi, & quod redemit nos à peccato, deditq; munditiam, & splendorẽ spiritualẽ, & quod fecit nos regnum Christi, & reges, vt cum illo regnemus in æternum.

Ambros.

Cantic. 4.

Cant. 7.

Ambros.

Apoc. 5.

Videat ergo homo, qui tam pretioso Christi sanguine redemptus est, & ornatus, atque tanquam Rex exaltatus, ne iterum redeat in seruitutem diaboli, atque

peccati: ne pulchritudinem, & ornatum sanguinis Christi perdat, & à statu tam honorifico, ac regali, in statum miseræ seruitutis decidat. *Noli* (ait S. Leo, serm. 1. Natiuitatis Domini) *iterum te diaboli seruituti subijcere, quia pretium tuum sanguis Christi est, &c.* & August. serm. 120. de tempore: *Agnoscat homo, quantum valeat, & quantum debeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat. Custodiamus ergo solicite, quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit. Reus itaque erit non parui pretii, sed sanguinis Christi, qui violat & commaculat animam, Christi sanguine, & passione mundatam.* Hæc Augustinus. Viuat ergo semper Deo, honoret pretiosum Christi sanguinem, & glorificet illum cum sacratissimo nomine Iesu. *Empti estis pretio magno* (ait Paulus) *glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Glorificemus ergo Deum lingua, & bonis operibus, ac sanctis exemplis. Hi enim sunt fructus pretiosi sanguinis, ac diuini nominis Iesu Christi. Cui cum Patre, & Spiritu sancto, sit honor, & gloria. Amen.

Leo.

August.

1. Cor. 6.

---

## DE EADEM CHRISTI DOMINI Circuncisione.

### CONCIO II.

*Post quam consummati sunt dies octo, vt circunciderctur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* LVC. 2.

Diuus Bernard. (aut quicunque fuit ille author, qui scripsit tractatum, qui habetur inter opera D. Bernard. de Passione Domini, cap. 36.) animaduertit, quo pacto prima effusio sanguinis Christi facta est in eius Circuncisione, quando vocatum etiam est nomen eius Iesus: vt hoc facto tã mirabili significaretur, quod hac sanguinis effusione futurus erat noster verus Iesus & Saluator. Audite igitur quomodo ab ipsa natiuitate

Bernard.

sacratissimi pueri Iesu incœpit simul cum illo sua crux, & passio, & martyrium. Vnde Esai. de ipso puero dicit: *Puer natus est nobis: & factus est principatus super humerum eius.* Principatum Christi vocat, crucem eius, teste August. serm. 71. de tempore. Ait enim. *Merito crux Christi dicitur principatus: quia per eam diabolus vincitur, & totus mundus ad Dei gratiam reuocatur.* Coniungit ergo cum natiuitate crucem: & merito. Crux enim eius fuit, nasci in alieno diuersorio, & tempore inclementissimę noctis, ac frigidæ, & in duro præsepio tenera membra reclinare, atq; octauo die circuncidi, & sanguinē fundere agnũ innocentissimum, & sine macula. Vix natus est dulcissimus Iesus, & recenti ortui, crucis ignominia dolor & sanguis copulatur. Tota quidem Christi vita martyrium, & crux fuit: sed ab eius Natiuitate cœpit, & in Circuncisione magis manifestatum est, atque in patibulo crucis consummatum. Profecto satis conuenienter, & proprie dici potest de Christo illud, quod de quocunq; homine dixit Ecclesiast. *Tempus nascendi, & tempus moriendi.* Quoniam in Christo Domino simul cœperunt nasci in stabulo, & pati, atque incipere mori in cruce: non solũ quia à principio præsentes habuit intus in animo vniuersos dolores, & labores passionis suæ, quos mira viuacitate sentiebat, sed etiam, quoniam ab ipsa natiuitate experiri eos cœpit in frigore, & nuditate, & egestate, atq; alijs laboribus plurimis, quæ sunt quasi quoddam genus martyrij, & crucis ac mortis. Quod si Paulus, eiusmodi labores sustinens propter Euangelium, iure potuit dicere ad Corinth. *Quotidie morior pro vestra gloria:* Et iterum: *Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum:* quanto potiori iure ac ratione, hoc poterat dicere ipse puer Iesus, qui à primo die natiuitatis suæ mori cœpit pro nostra salute, & Saluatoris officio fungi, octaua die fundendo sanguinem, vt hoc pacto principatus eius fieret super humerum eius, vt dicit Esai. Diu. Ambrosius lib. tertio de fide. cap. 4. legit: *Cuius principium super humerum eius,* & crucem Christi vocat eius principiũ. Quod etiam satis cōgruit his, quę modo dicebamus, quia à principio suę natiuitatis imposita est

August.

Eccles. 3.

1. Cor. 15.
2. Cor. 4.

Esai. 9.
Ambros.

illi quasi super humeros, quando reclinatus est in præsepio quam quotidie tollebat, quousque in ipsa tandem morereretur. Aut vocatur crux Christi *principium*, vt Ambrosius dicit, quia ipsa est *principium fortitudinis, quo referata est via sanctis martyribus ad sacri certaminis passionem, &c. Sed & crucis ignominiæ adiungitur gloria nominis Iesu*, ait Bernard. Quapropter cum dixisset Esaias: *Factus est principatus super humerum eius*, statim subiungit: *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, &c.* Quæ nomina cōtinentur in gloriosissimo vno nomine Iesu: vt ipse Bernard. bene explicat, serm. 10. de paruis apud quem facile erit legere, & serm. 2. huius diei.

*Ambros.*

*Bernard.*

*Philipp. 2.*

Hæc doctrina, quam tradidimus hactenus, videtur etiam discursus Apostoli Pauli ad Philippenses. Vbi dicit de Christo: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc, quę dicit Apost. de Christo, intelligenda sunt de Christo, à principio natiuitatis eius, in qua apparuit in forma humana veri hominis, & in forma serui apparuit, obediens legi circuncisionis: vbi sine dubio passus est laborem & dolorē, ac sanguinis effusionē, atq; quodāmodo passionē, & mortē, & crucē, sicut diximus. Sed, vt crucis ignominiæ coniungeretur gloria nominis Iesu, subdit Paulus. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quo loco Paulus, vt Origenes adnotauit, homilia 1. super Iosue sanctissimum nomen Iesu appellat *Nomen super omne nomen*, sicut colligitur ex ipso literæ contexu. Nam statim subdit: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.*

*Origenes.*

Sunt autem plures, atque illæ congruentissimæ rationes, & causæ, propter quas hoc sanctum nomen Iesus dictum est ab Apostolo Paulo, *Nomen, quod est super omne nomen.* Prima causa est. Quoniam hoc nomen Iesus tam diuinum est, tam admirabile, & excelsum, quòd est supra omnem cogitationem & cognitionē intellectus, siue humani, siue angelici. Quam rationem videtur insinuasse Gregorius Nyssenus hom. 7. in Ecclesiast. Itaque propterea dicitur super omne nomen, quia nulla conceptio mentis est, qua possit animo

*Nyssenus.*

concipi: nullum nomen, quo possit nominari & explicari hoc nomen Dei tam ineffabile, atque incomprehensibile. Propterea inquirit Salom. in Prouerb. *Quod nomen est Filij eius, si nosti?* vt insinuet illud esse tantæ diuinitatis, & maiestatis nomen, vt neque mente cognosci, neque verbis, possit explicari. Quemadmodum enim ipse Iesus Filius Dei in se ipso tam admirabilis est atque ineffabilis, vt (quemadmodum D. Dionysius docet, lib de diuinis nominibus, cap 1. & lib. de mystica Theologia, cap. 5.) *neque sermo ipsius sit, neque nomen, neque scientia*, quia nulla cogitatione comprehendi potest, nullis verbis explicari, aut nominari, excedit enim ac superat omnem intellectum, & omnis linguæ facultatem, ita vt silentio magis adorandus sit, quam sermone prædicandus: Ita etiam diuinissimum eius nomen Iesus est supra omne nomen, quia neque cogitatione intellectus, neque sermone aliquo comprehendi, aut nominari potest excellentia magnitudinis eius. Propterea Hieremias ei dixit: *Magnus es tu, & magnum nomen tuum.* Ex eo enim quod Filius Dei tam magnus est tamque incomprehensibilis, prouenit, vt nomen eius magnum, sit, & ineffabile, & potius genuflexo humiliter adorandum, atque inuocandum, quam rudi cognitione explicandum, aut vocandum. *Vocaui eum,* ait Sponsa in Canticis, *& non respondit mihi.* Quod cum egregie adnotasset Gregor. Nyssenus, homil. 6. & 32. in Cantica, inquit. *Quomodo enim, qui est supra omne nomen, efferri possit per vocationem nominis? Hanc ob causam excogitat vim vocabulorum omnis generis, ad explicationem boni illius ineffabilis, sed omnis vis orationis, qua quid effertur, inferior est, & minime veritatem æquare conuincitur. Idcirco ait, Vocaui quidem, quantum potui, excogitando voces, quibus ineffabilis ille commonstraretur, At ille maior erat quam qui per has significationes indicari posset.* Hæc Gregor. Nyssenus. Hinc etiam est quod S. Dauid sæpenumero solet Filium Dei appellare multis ac diuersis nominibus. Vocat enim illum *Deum*, *Misericordem*, *Longanimem*, *Veracem* vocat etiam *Fortitudinem*, *Firmamentum*, *Refugiũ*, *Adiutorẽ*, *Salutem*, & alia eiusmodi multa Sed rursum fatetur, nomen eius in tota

Prou.

Dionys.

Hier. 10.

Nyssenus.

terra notũ non esse, sed tantũ esse *admirabile in vniuersa*
*Esai. 9.* *terra*, & quod nullus exactè assequi potest, & explicare. Esaias etiam multis nominibus eum compellat, inquiens: *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius. Deus Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Magna*
*Bernard.* *quidem nomina*, ait Bernardus, sermone 2. huius diei, *sed vbi est nomen, quod est super omne nomen, nomen Iesu, in quo omne genu flectatur?* Ipse alio modo respondet: sed nos dicamus, illud nomen Iesu, ita esse super omne nomen, vt sempiterna eius virtus, atque diuinitas, nullo nomine possit à nobis exactè significari.

Secunda causa est, propter quam rectè dicitur *Nomen, quod est super omne nomen*, quoniam sacratissimum nomen Iesu, tantæ maiestatis, & celsitudinis nomen est, vt infinito interuallo excedat, atq; superet vniuersa nomina, quæ in terra, & in cœlo nominantur, cuiuscunque authoritatis, & gloriæ illa sint, iuxta quod A-
*Ephes. 1.* postolus dicit: *Supra omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Super omnia ista exalta-
*Psalm. 148.* tus est Iesus Dei Filius, & pari etiam modo *exaltatum est nomen eius solius.* Magna quidem in terris sunt nomina Regum, aut Principum, aut Iudicum terræ: nam
*2 Reg. 7.* & ad Regem Dauid dicebat Dominus: *Fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra*: Sed omnia hæc, non magna, sed parua nomina sunt, atque infima, si cum nomine Iesu conferantur. Sunt enim terrestria nomina, quæ audito nomine Iesu, genua flectũt, adorant, atque laudant illud nomen, quod est super omne nomen, quemadmodum & ipse Rex Dauid di-
*Psalm. 148.* cebat: *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ, laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.* Ecce quomodo magna nomina terræ, nomina Regum, & Principum, atque Iudicum terræ, laudant, adorant, prædicant, diuinum nomen Iesu, quia exaltatum est super omne nomen, quod in terra nominatur. Magna similiter in cœlo sunt nomina Principatuum, & potestatuum, atque Virtutum, & ma-
*Genes. 32.* iorã sunt nomina Cherubin, atque Seraphin, ita vt Angelus ad Iacob diceret: *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile*: Sed profectò infinitè distant omnia illa ab

admirabili nomine Iesu, quod est super omne nomen. Vnde & Paulus ad Hebræos scribẽs de Iesu Filio Dei, dicit: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Vniuersa enim Angelorum nomina, creaturarum sunt, atque seruorum, & ministrantium; nomen autem Iesu Filij Dei, est creatoris, ac Domini vniuersorum, quem adorant omnes Angeli Dei; & vt egregiè prosequitur Cyrillus, lib. 8. thesauri, cap. 2. *Ille creator est, isti creati per ipsum, ille adoratur, isti adorant: illi vita participant à Deo sibi largita, iste vitæ largitor est, ille magna voce clamat, Ego sum lux mũdi, Ego sum resurrectio & vita. Ego & Pater vnum sumus, isti tales emittere voces nec audent, nec debent. Et in Filij nomine si oremus, erunt nobis quæcunque petemus, in Angelorum vero nomine nullus orat.* Hæc ille. Cum igitur tanta, & tam immensa, inter Angelos & Iesum Dei Filium differentia inueniatur, tantu sque, & tam infinitus excessus inter ipsorum nomina; meritò profectò diuinissimum nomen Iesu appellatur, *Nomen, quod est super omne nomen.* Meritò etiam in nomine Iesu omne genu flectitur, cœlestium, atque terrestrium: quandoquidem Reges & Principes laudant nomen Iesu in terra, & omnes Angeli Dei adorant illud in cœlo, atque confitentur, hoc solum nomen esse admirabile, & benedictum, & superexaltatum in sæcula. Hebr. 1. Cyrillus.

Tertia causa, propter quam nomen Iesu dici potest, *Nomen, quod est super omne nomen.* illa est quia inter omnia Dei nomina, dulcissimum, & suauissimum est hoc nomen Iesus, & quod animæ maiorem suauitatem, & spiritualem consolationem afferre solet. Magnam profectò consolationem affert mundis cordibus nomen Dei, aut Creatoris, aut Patris, aut Amici, aut etiã Sponsi, aut dilecti, quibus nominibus sanctæ animæ appellare solent Filium Dei: sed nomen Iesu super omnia hæc nomina dulcius animæ sapit, cui magis suaue est nominare Iesum, siue ore, siue corde, quàm nominare Patrem, aut Dominum, aut Creatorem, aut Deum, aut cætera omnia Dei nomina. Imo verò omnia Dei nomina sapit vnicum, ac dulce nomen Iesu, & plusquam alia nomina sapit. Et quemadmodum illud manna de cœlo, vt dicitur à Salomone, habebat *omne delectamentum* Sapient. 16.

*in se, & omnis saporis suauitatem*: ita etiam diuinum hoc, & cœleste nomen Iesu, omnem dulcedinē, & saporem diuinorū nominum in se habet: saporem Dei, & Patris, & Creatoris, & Adiutoris, ac Refugij & aliorū diuinorū nominū, quæ lōgum esset recensere. Hinc est, quod

Apoc. 2. S. Ioan. in Apoc. dicit: *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Vbi primo hoc diuinum nomen Iesu vocat *Manna absconditum*, propter incredibilem suauitatem, & dulcedinem, quam in se habet, & quam secreto & abscondite communicat animabus sanctis, quæ sunt humiles spiritu, & mundo corde. Deinde vocat illud *Nomen nouum* propterea quod est illud nomen, quod datum est Filio Dei in nouo testamēto, & lege gratiæ, de cœlo allatum, & ab Angelo vocatum, prius quam in vtero conciperetur, & à parentibus in Circuncisione, & prima sui sanguinis effusione. *Scriptum* verò intelligit hoc diuinum nomen in cordibus animarum, non quidem litera, aut atramento: sed spiritu Dei viui, qui huius sanctissimi nominis amorem pariter & timorem infundere solet, consolationemque, & dulcedinem tantam, vt nemo eam scire possit, nisi accipit ab ipso spiritum, qui consolatur corda, & afficit dulcedine mirabili huius dulcissimi nominis Iesu. Tanta est suauitas huius nominis Iesu in ore, & in corde sanctorum, quod

August. Augustinus lib. 18. de Ciuitate, cap. 32. tractans locum

Abacu. 3. illum Abacu. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*: dicit, non ita bene ab alio Interprete positum esse, *In Deo saluatore meo*, quamuis idem sit Latinè *Saluator*, quod Hebraice *Iesus*. Et causam subdit Augustinus: *Nobis enim dulcius, & amicius est nominare Iesum, quàm Saluatorem*. Ecce quanta est suauitas, quantaque dulcedo huius sanctissimi nominis, de quo etiam credendum est dixisse sanctum Dauid.

Psalm 34. *Psallite nomini eius quoniam suaue est.* Suaue profectò est ore psallentibus, & aure audientibus, & corde gustantibus: quoniam dulcis est Iesus, de quo propterea Ber-

Bernard. nardus dicit sermone 15. in Cantica. *Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus*. Quod si, quemadmodum Au-

August. gustinus dicit super Psalm. 51. in fine, *Nomen Dei iucundum est amantibus Deum, super omnes iucunditates*; potiori

ratione nomen Iesu, manna absconditum, & nomen Dei nouum, quod dulcissimum est super omne nomen, iucundum erit, atque suaue amatoribus Dei super omnes iucunditates.

Quarta, & postrema causa, propter quam nomen Iesu dici potest, *Nomen, quod est super omne nomen*, ea est; propter miracula magna, & mirabiles effectus, quæ in huius sanctissimi nominis virtute perpetrata sunt in Ecclesia Christi, multò plura & maiora, quam in alicuius alterius diuini nominis inuocatione. Hoc insinuasse videntur Apostoli, in Cœnaculo congregati propter metum Iudæorum, vbi orantes, & affectuosissimè desiderantes glorificationem, & exaltationem sancti nominis Iesu Christi dicebant. *Et nunc da seruis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo, quòd manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri, per nomen sanctum Filij tui Iesu.* Multa quidem, & magna signa, & sanitates, atque prodigia fecerat Deus, antiquis temporibus, quando sanitati restituit Mariam sororem Moysi, Ezechiam Regem, & Naamam Syrum; quando diuisit mare rubrum in diuisiones, traduxit Israel per medium eius, quando Iordanis impetum conuertit retrorsum, quando manna pluit Filiis Israel in solitudine, quando per manus Heliæ, & Helisæi, mortuos suscitauit, quando per manus Moysi misit signa & prodigia in medio Ægypti; sed nouissimè in diebus istis, quando misit Filium suum natum ex Virgine pro redemptione humani generis, multò magis extendit omnipotentem manum suam ad facienda signa, & prodigia noua, atque hactenus inaudita, per inuocationem, & virtutem huius sanctissimi nominis Iesu: in quo nomine, sicut constat ex Euangelio, *eiiciuntur dæmonia, fugantur serpentes, venena mortifera vim nocendi perdunt*, & amittunt, sanantur morbi omnes, peccata remittuntur, iustificantur animæ, & salutem æternam consequuntur. *Neque enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus* (vt S. Petrus dixit) *in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Domini Iesu.* Vnde, sicut aliqui sanctorum Patrum affirmant, vniuersa miracula, quæ in Ecclesia Christi fiunt, omnia inuocatione, & virtute nominis Iesu fiunt. *Semper Iesus nominatur*, ait Chrysosto-

*Actor. 4.*

*Marci 16.*

*Actorum.*

*Chrysost.*

mus, homilia 5. in Marcum, *quando à sanctis viris miracula fiunt.* Profectò nomen Iesu, omnipotentiam quandam habet, ita vt eius virtute omnia mirabilia fieri possint, & sine ipsius inuocatione nulla fieri possint. *Omnipotens nomen eius*, vt dicitur in Cantico sororis Moysi. Et quemadmodum Deus ipse omnipotens est, & apud quem non est impossibile omne verbum; ita etiam nomen sanctum eius, quod est nomen Iesu, omnipotens est ad omnia mirabilia perpetranda, quæ necesse sit fieri ad salutem corporis & animæ totius humani generis. Quod etiam insinuasse videtur Beatissima Virgo Maria in illo suo mirabili Cantico, inquiens: *Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.* Deus enim omnipotens, magna, & mirabilia operatus est in Virgine, tam in Incarnatione, quàm Natiuitate Christi: sed omnia illa operatum est & sanctum nomen Iesu, quod æqualem virtutem, atque omnipotentiam habet. Atque adeò restat, vt dicamus cum Esaia Propheta: *Confitemini Domino, et inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius: mementote, quoniam excelsum est nomen eius.* Excelsum planè, & eleuatum supra omnia diuina nomina in maiestate, & gloria, in suauitate & dulcedine, in virtute signorum & prodigiorum. Est enim *Nomen* verè *super omne nomen*, hoc superexcelsum nomen Iesu Christi Domini Dei nostri. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat, &c. Amen.

Exod. 15.
Luca 1.
Esa. 12.

# DE EPIPHANIA CHRISTI DOMINI.

## CONCIO I.

*Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* MATTH. 2.

VNum ex præcipuis operibus Iesu Christi, quę gessit in carne, est sacramentum magnum, & absconditum in Deo, quod hac die manifestauit Dominus, & ostendit nobis. *Memento, quod ignores opus Dei, de quo cecinerunt viri*, ait vnus ex amicis Iob. *Iob. 36.* Quod satis congrue intelligi à nobis potest de mirabili opere conuersionis gentium ad Christum. Quod opus hac sacra die apparere cœpit, & habere principium, in quo *primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo*, vt Sanctus Iacobus dicit in Actis Apostolorum: *Actor. 15.* vbi & posteà subdit, *Notum à seculo est Domino opus suum*. Nam hoc mirabile opus manifestationis Christi ad gentes, quamuis ipsi Deo notum esset à sæculo, occultum, atque ignotum hominibus erat: sed per Dei illuminationem sanctis Prophetis reuelatum est, & à Christo Domino hac die manifestatum, posteà verò à sanctis Apostolis prædicatum est gentibus. Sic S. Paul. ad Ephes. scribens, *Ephes. 3.* dicit secundum reuelationem sibi notum factum esse hoc sacramentum. Et subdit, *Aliis generationibus, non est agnitum filiis hominum sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis, in spiritu, gentes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu*. Sacramentum hoc magnum est, & mirabile in

oculis nostris, & quod magis expediret procidendo in faciem cum sanctis Regibus, adorare, & credere, quam curiosius perscrutari. Sanctus Patriarcha Abraham, vt historia Genes. refert, cum audisset promis-
Genes. 17. sionem Dei, quòd ex Sara vxore sua daret ei Filium, cui benedicturus esset, & ex quo nationes, & Reges populorũ orirentur. *Cecidit in faciem suam*, ait Scriptura, *& risit in corde suo, dicens, Putasne centenario nascetur Filius, & Sara nonagenaria pariet?* Quod Abraham cadens in faciem riserit, non incredulitatis, sed cuiusdam incredibilis admirationis fuit, audito tam grandi miraculo simulque risus lætitiæ singularis, audita promissione Dei tam noua, & tam plena mysteriis diuinis, atque beneficiis. Sic docet D. Ambros. lib. 2. de
Ambros. Abraham. ca. 11. quod *risus ille, non dubitantis, sed credentis fuit.* Et rectè dicit Ambrosius. Quomodo enim non crederet Abraham, illud esse possibile omnipoten-
Rom. 4. tiæ, & bonitati diuinæ, cum Paul. de eo dicat, ad Roman. scribens: *Qui contra spem, in spem credidit, vt fieret Pater multarum gentium?* Fuit etiam risus exultatio-
August. nis, & gaudij, vt August. docet, lib. 16. de Ciuit. ca. 26. simul & admirationis. Et fortassis tunc vidit in spiritu diem Natiuitatis, & apparitionis Christi: *Vidit,*
Ioan. 8. *& gauisus est*, vt Ioan. Euang. dicit. Quod si vmbra huius tanti mysterij sic in pauorem, & extasim, rapuit S. Abraham, vt in faciem caderet, plenus admiratione, & fide, ac reuerentia, plenus risu, & exultatione spirituali: quid, obsecro, mirum, quod sancti Reges, ante veritatem illius vmbræ, in faciem caderent; attoniti præ admiratione, & gaudio, pleni etiam ipsi fide & reuerentia, adorarent Filium Dei, natum in terra de Maria Virgine? Sic enim dicit Sanctum Euangelium: *Gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eum.* Tale enim est hoc magnum pietatis sacramentum, tantæque profunditatis, vt nullo modo possit melius à nobis percipi, quàm si humiliter procidamus in faciem, & clausis (vt aiunt) oculis credentes, veritatem & maiestatem illius adoremus, di-
Ambros. camusque cum Ambrosio, libro de Incarnationis dominicæ sacramento, capitul. 3. *Hoc solum bene scio,*

*quod nescio, quæ scire non possum.*

Sed quamuis tanta sit huius mysterii altitudo, conabimur vtcumque illud explicare, assumpto testimonio Genesis: vbi sacra narrat Historia, quòd cum Isaac moraretur in Geraris, apud Abimelec, Regem Palæstinorum, & interrogaretur à viris loci illius super Rebecca vxore sua: respondissetque sororem suam esse: quadam die *prospiciens Abimelec Rex Palestinorum per fenestram vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua* (vel vt Septuaginta habent) *ludentem. Et accersito eo, ait: Perspicuum est, quod vxor tua sit, &c.* Diuus Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 46. docet, figuram fuisse mysterii Incarnationis; per quam Dei Filius maiestatem suam qua in forma Dei æqualis est Patri, paulisper abscondit in forma serui, vt eius capax esse humana infirmitas posset, eoque modo coniugi suæ congruenter se aptaret: atque per hos iocos, & lusus, cognitum fieret coniugium Verbi diuini cum humana carne, quãdo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Sed nos aliquanto diffusius hoc disseramus, accomodantes hoc factum Patriarchæ Isaac ad hodiernum mysterium apparitionis Christi, per quam à Regibus cognitus est, & adoratus. Quis alius est Isaac, qui interpretatur *Risus*, nisi Dei filius de Virgine natus secundum carnem, cuius rei sacramentum cognoscens in spiritu Abraham, præ nimio gaudio, & admiratione, risit: Quæ autem est Rebecca, quæ interpretatur *Saginata*, nisi caro viua ipsius Filij Dei, tam plena gratia & diuinitate, in Christo, vt merito dicatur: *Vitulus saginatus*, qui nobis esset, & sacrificium redemptionis, & cibus animarum: Quid verò est videre grauissimum virum Isaac, ludentem cum Rebecca, nisi cernere Filiũ Dei incarnatum, tam læto, & alacri animo, patientem omnia aspera, & dura humanæ conditionis, non aliter, quàm si omnium deliciarum essent oblectamenta: Hoc ergo est, quod in admirationem maximam rapuit hos sapientissimos Reges, & persuasit, vt crederẽt, paruulum illum esse Filium Dei incarnatum, illustrante eos diuina luce, quæ per fenestras fidei intrauit: quia viderunt, interioribus animæ oculis, illum mirabiliter ludentem cum carne sua. Quod nequaquam

Genes. 26.

August.

fecisset, nisi humanam naturam sibi despondisset in vtero Virginis, quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

Consideremus attento, ac deuoto animo, totum discursum humanæ vitæ Christi Domini, & videbimus, eum semper quasi ludentem, atque iocantem cum carne sua A principio suæ natiuitatis dicebat Christus cũ
Prouer. 8. Salomone, in Prouerbiis: *Delectabar per singulos dies ludens in orbe terrarum* Quid enim aliud erat, Filium Dei nasci in stabulo pannis inuolui, & in præsepio reclinari, & ibi nuditatem, pauperiem, & duros perferre labores, nisi iocari, aut ludere, cum miseriis carnis humanæ: Isti erant ludi, & ioci pueri Iesu. Et bene ludi: vel quia videbantur ei pauci labores & modici, præ amoris magnitudine: vel quia in illis asperitatibus esse propter nostram salutem delitias, reputabat. Considera Christum in sinu Virginis, ad eius vbera pendentem, suggentem vbera Matris suæ, atque illi, puerorum more, blandientem, & corridentem, atque di-
Cant. 7. centem: *Quam pulchra es, & quam decora, charissima in delitiis*: Quid aliud hoc erit, quàm videre Isaac ludentem cum castissima sponsa Rebecca, & Reges sanctos per fenestras prospicientes, & admirantes mysterium Natiuitatis Christi, & procidentes adorare sacratissimum sponsum humanæ naturæ Iesum: Procedamus vlterius, & videamus Christum octaua die circuncisum &, fundentem sanguinem, & videbimus eum, iam ludentem cum sanguine, & cum doloribus iocantem. Deinde, iam adulta ætate, consideremus eum cum hominibus conuersantem, cum peccatoribus mãducantem & cũ publicanis, curantẽ infirmos, blandè & misericorditer tractantem inimicos, docentem populum cœlesti verbo, & mirabili exemplo. Quid aliud hæc erant, quàm videre illum cum hominibus luden-
Prouerb. 8. tem, atque dicentem: *Et delitiæ meæ esse cum filiis hominum*: De sancto Rege Dauid, qui fuit typus Chri-
Eccli. 47. sti, dicit Scriptura: *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis*. Dicit autem lusisse eum cum feris illis, quia audacter & summa cum facilitate, imo & cum delectatione, illas superabat, & ita interficiebat, ac si cum eis luderet. Sed multò excellẽtius hoc dicitur de Christo, quod *cum leonibus lusit, quasi cum agnis*. Inimici, & perse-

quutores Christi, & insidiatores: Scribæ, & Pharisæi, leones erant insidiantes ei, & quærentes sanguinem atque animam illius. Vnde Patrem orabat, vt ab eorum insidiis liberaret eum, inquiens: *Domine quando respicies? Restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meã.* Sed tanta mansuetudine, ac benignitate, tãta pace, & suauitate, ad eos Christus vtebatur, ac si essent fratres, aut amici. Ideo dicebat cũ ipso Dauid: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Quasi diceret, Cum leonibus rugientibus in me, ita pacificus eram ac si cum agnis mansuetissimis agerẽ. Ita ludebat cum eis, & blanditijs vtebatur ex nimia charitate, & benignitate sua. *Psal. 34.* *Psal. 119.*

Cum leonibus etiam lusit, quando cum publicanis & peccatoribus, conuersabatur, & summa pietate eos vocabat, summa facilitate ad se conuertebat, & charitate nimia recipiebat, tanquã agnos mansuetos. Quid aliud erat Matthæus, publicanus, nisi, vt in Psalmo dicitur, *Quasi leo in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem*, cũ vsuris, & fraudibus, ac rapinis, totus esset occupatus? Sed lusit cum eo Christus, & mira facilitate illum conuertit, vt relictis omnibus sequeretur eũ. Quid aliud etiam fuit Maria Magdalena, illa *peccatrix mulier*, &, si fas est dicere, illa leena, amica vitiorum, inimica honestatis, nisi leena quædã insidiatrix, & animas hominũ rapiens? Sed mirabile est, quãta suauitate, ac facilitate, Christ' eam, sicut Gregorius dicit, hom. 33. Euãgeliorũ, *per misericordiã traxit intus, & per mansuetudinẽ suscepit foris. Nunquid capies leenæ prædã?* dicebat S. Iob. Quę est autẽ præda huius mulieris, nisi oculi, & capilli, os & manus peccatrices, quibus deprędatã est multorũ animas? Sed hãc leenę prędã, cũ ipsa leena, Christ' cepit: quãdo recumbens in domo Pharisæi, ita fortiter, ac suauiter eã ad pedes suos traxit, vt cõuersa in mansuetissimam ouẽ, eos rigaret suis lacrymis, & capillis tergeret, vngeret vnguẽto, obscularetur ore, atq; ardẽtissimo amore multũ diligeret. Sic lusit cũ ea Christus, vt ad se traheret. *Saulus spirãs minarũ & cædis in Discipulos Domini, per domos intrãs, & trahẽs viros ac mulieres*, inimic' Christi, & persequutor Ecclesię, atq; expugnator, lupus erat rapax, & leo, querẽs quẽ deuorare posset, &, sicut per Ezechielẽ dicitur. *Quasi leo rugiẽs, & rapiẽs prædã.* Sed *Matth. 9.* *Psalm. 9.* *Luc. 7.* *Gregorius.* *Iob. 38.* *Actor. 9.* *Ezech. 2.*

lusit cum eo Christus, quasi cum agno quodam, tanta suauitate, & blanditiis verborum, *Saule, Saule* inquiens, *quid me persequeris*: qui statim in terram prostratus cecidit: & conuersus est in agnum mansuetissimum, atque in omnibus diuinæ voluntati subiectum deposita omni feritate, qua anteà sæuiebat in Christũ & Ecclesiam. Hi sunt mirabiles ludi, & ioci, nostri Iesu, veri Dauid, cum istis leonibus.

*Actor. 9.*

Sed veniamus iam ad maiores, & plures adhuc lusus nostri Dauid, & congregemus in vnum vniuersos labores, quos in passione sustinuit, blasphemias inimicorum, & plagas omnes, & mortem. Quid aliud omnia ista fuerunt: nisi leones rugientes ad illam sacratissimam escam carnis Christi de quibus ipse dicebat: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens?* Sed in medio horum laborum, & inter hos leones, Christus erat quasi ludens cum eis. Tanta erat eius pax, & mansuetudo, vt etiam pro illis ad Patrem oraret: tanta afficiebatur voluptate, & lætitia, ac si in omnibus delitiis versaretur: tanta facilitate omnia illa mala superabat, atque vincebat, ac si ludens, & iocans, cum eis ageret. Fortissimum Sansonem, vt Scriptura refert, Philistæi vinctum adduci fecerunt, *vt ante eos luderet*. Quoniam Christus vniuersa, quæ propter nos pati voluit, sic passus est ab inimicis, ex nimia charitate sua, ac si luderet, & in delitiis esset: tanta etiam virtute, ac diuina fortitudine, ac si non vera tormenta, sed quidam lusus aut ioci essent. Aut certè ideo dicitur, *vt luderet ante eos*: quia sicut Sanson elusit Philistæos, quos moriens occidit: ita Christus dum illuditur à Iudæis, illusit illis, quos deseruit, atque dereliquit, & dum occiditur, destruxit mortem, & eum qui habebat mortis imperium.

*Psal. 21.*

*Iudic. 16.*

Misera profectò hodierna die fuit Synagoga, & congregatio Iudæorum: quam Herodes perturbatus in vnum collegit, vt scire posset, vbi Christus nasciturus esset. Ipsi per fenestras Scripturæ sacræ prospicientes, viderunt, vbi Christus natus erat, & ad locum natiuitatis eius Reges, ac Magos direxerunt. Sed quia nostrum Dauid ludentem cum natura humana in Bethlem, in stabulo, in diuersorio viderunt: despexerunt illum, &

lum, & neglexerunt. Michol, vxor Dauid, sicut sacra Regum Historia narrat, *Prospiciens per fenestram, vidit Regem Dauid, saltantem coram Domino*, vel (sicut habent Septuaginta) *ludentem*, & *despexit eum in corde suo*. Sic profectò, hodierna die, Synagoga superba, & cæca, per fenestras legis, & Prophetarũ, cognouit natiuitatẽ Christi, Regis, ac filij Dauid, in Bethleem Iudæ: sed quia ludebat ille corã arca Domini, nudus, & pauper: & ludens cũ præsepio, quæ fuit eius arca, in qua natus in terra reconditus est, & corã Virgine Matre, quæ fuit arca sanctificationis eius: & ludens cũ carne sua, quæ erat arca noui testamẽti eius: propterea despexit eum misera, & pro nihilo habuit, & quæ alios docuit, se ipsam nõ docuit. Rectè dici posset, Iudæos similes fuisse fabris, qui construxerunt arcam Noë, vt alij salui fierẽt, ipsi verò diluuio perierunt. Sed quid illi respondet noster Dauid? *Ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum.* Sic diceret Christus Synagogæ, Ludam modo puer cũ stabulo, & pannis, & præsepio, cum frigore, & nuditate: ludam cum Matris vberibus, & ad eius vbera blandietur mihi. Venient dies, quando amplius ludam cum leonibus quasi cum agnis, & multò vtilior fiam quàm factus sum, ludens cum plagis, cum spinis, cum cruce, & clauis, ac morte, vt cognoscat mundus, quantum dilexi sponsam Ecclesiam, & quanta passus sum, vt eam sanctificarem, atque gloriosam efficerem. *2. Reg. 6.*

Non sic egit noster Abimelec Rex, non sic fecerunt nostri Reges, & Magi, qui ab Oriente venerunt, quærentes Christum: sed potius, quia per fenestras interiores animæ, diuina luce illustrati prospiciebant mirabiles illos ludos, & iocos Filij Dei in nostra carne mortali, cognouerunt illum esse Regem, quem quærebant, & eundem esse Dei Filium, indutum mortali carne, & procidentes adorauerunt eũ, atque offerentes ei mystica & pretiosa munera, aurũ Regi, thus Deo, myrrham mortali homini, & morituro pro salute totius humani generis. Neque solùm isti Reges, sed & plurimi alii terreni Principes, cognoscẽtes hæc Christi mysteria, & fidei sacramenta (vt bene notauit Rupertus, libro 7. super Genes. capi. 9.) quæ pro ioco & ludo erant sa- *Rupertus.*

pientibus huius mundi, quorum sapientiam Deus stultam fecit, iugum Christi susceperunt, & Euangelicæ fidei, ac religionis Christianæ, quam prius impugnabant, defensores esse cœperunt. Denique viri sancti, & amici Dei, hinc addiscunt imitatores esse Christi, ludentes & ipsi hoc felici ludo humilitatis, patientiæ, atque despectus sui ipsorum, & omnium, quæ mundus in pretio habet, vt gloriosiores appareāt in oculis Domini, quātò viliores facti fuerint in oculis hominum propter ipsum. *Bonus ludus* (ait Bernardus, epistola 87.) *quo Michol irascitur, & Deus delectatur, bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Non est hic ludus puerilis, sed iucundus, honestus, grauis, spectabilis, qui cœlestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto & religioso ludo ludebat Apostolus, qui dicebat, Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus. Hoc ludo & nos interim ludamus, vt illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit, & exaltat humiles. Qui nos glorificet, & exaltet in æternum* Iesus Christus Dominus. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat, &c. Amen.

*Bernard.*

*1. Cor. 4.*

---

## DE EADEM EPIPHANIA Domini.

### CONCIO II.

***Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?***

MATTH. 2.

SAcratissimum Epiphaniæ diem, quē festiuè celebrat sancta mater Ecclesia, idcirco sic appellari Sancti Patres docuerūt, quia in illo cœpit apparere, & manifestari Christus, nō tantum populo Iudæorū, sed etiā populis Gentium: cœpit etiā fundari ciuitas Dei, quæ est Ecclesia Christi, in illa paruula ciuitate Bethleem, nato Christo, & vocatis ad domum eius pastoribus, qui erant in illa regione Iudæorum, & etiā Magis ab Oriente: ex quibus, tanquam ex duobus templi parie-

tibus, fundaretur atque ędificaretur ipsa Christi Ecclesia. Per Esaiam Prophetam dicebat Dominus, prænũtians hoc mysterium: *Leuabo ad Gentes manum meam, & exaltabo ad populos signum meum.* Commune hoc, & vsitatum est, apud omnes, quando aliquem ad se vocant sine strepitu aut vocibus, maximè verò quando secretè, & silenter eum vocant, ita vt alij non intelligant, leuare manum ad eum, quem vocare intendunt; vt eo signo intelligat, se vocari, & veniat. Vnde Esai. 13. vbi vulgata Editio habet: *Leuate manum*, habet Editio Septuaginta. *Euocate manu.* Ex quo constat, quòd leuando manum, præbemus alteri signum, quo intelligat, se vocari, vt ad nos veniat. Deus multo tẽpore perstitit vocans populum suum, tum vocibus, tum etiam signis: leuando manum hortabatur eum, vt ad se veniret, atq; eius præceptis obediens esset, sibique seruiret, relicto Idolorum cultu. Sed populus duræ ceruicis, atque Deo incredulus, & inobediens, voces, & signa despiciebat atq; Dei monita duro corde, & dura aure trãsibat, sicut & ipse Dominus per Salõ. dicit: *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, nec fuit, qui aspiceret.* In Euangelio huius diei habemus manifestũ exemplum. Nã cum Reges, seu Magi, stella eos ducente, venerunt Hierosolymã, quærentes natum nouũ Regem Iudæorũ, qui eos hoc mirabili signo ad se vocabat: Principes verò Sacerdotũ, & Scribæ, docuerũt eos per Scripturas, quod in Bethleẽ nasceretur atque ad eũ locum eos dirigentes, ipsi mẽte cæci, ac duri corde in Hierusalẽ remanserunt. *Veritas enim illuminat Magos* (vt S. Leo dicit, ser. 3.) *& infidelitas excæcat magistros carnalis Israel non intelligit, quod legit, non videt, quod ostendit, vtitur paginis, quarum non credit eloquiis.* Profectò liquet, quod Christus secretò, ac silenter, leuauit manum suam; & signum ad Reges Gentiũ, nescientibus Iudæis, quos iã incipiebat deserere, & cęcare propter ipsorũ peccata. Hoc est ergo, quod dicit: *Leuabo ad Gentes manum meam, &c.* quia manũ leuauit Filius Dei, natus in terra, vt vocaret ad se Reges Gẽtiũ ab Oriente, & simul leuauit manũ, remouendo eam à Iudæis, quos in sua infidelitate dereliquit. *Et exaltabo ad populos signum meũ.* Ad pastores, quos ad se Christus vocauit per Angelũ, leuauit signum de quo dicitur apud

Esai. 42.

Esai. 13.

Prouer. 1.

Leo.

*Luc. 2.* Lucam. *Hoc vobis signum. Inuenietis infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Profectò multum exaltauit Deus signum hoc, tam de se alienum ab hac mirabili significatione, qua monstrauit Christum natum in terra. Sed quia lux diuina, & claritas Dei, quæ circunfulsit pastores, illuminauit eos intus in corde, idcirco, videntes illud signum, cognouerũt Natiuitatis Christi mysteriũ atque adorauerunt natũ puerum, quem Deum esse crediderunt. Signum verò, quod ad Reges Gentiũ leuauit, illa noua stella fuit, quam Deus ad hoc ipsum creauit, vt esset signum illis, quòd iã natus erat in terra Rex cœli, quem inquirebant. *Vbi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius, &c. Stellam eius* vocãt: vel quia ipse, qui Deus est, eam creauit, vel quia ad hoc creata est, vt signum esset sanctę Natiuitatis eius, apud istos Reges. Vnde Ecclesia quasi eorum voce canit: *Videntes stellam Magi, dixerunt ad inuicem, Hoc signum magni Regis est: eamus, & inquiramus eum, & offeramus ei munera, &c.* Et hoc est, quod deinde Esaias subdit: *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Quoniam Ecclesiam Christi, quæ est ciuitas Dei, pastores, & Reges, cum sacratissima mũdi Regina Maria, cœperunt in Bethleem ędificare, & quasi nutrire paruulã, quæ in ipsis cœpit fundari: posteà verò creuit in immensũ, quando plurimi Reges terræ, & omnes populi gentium crediderũt in Christum, & prostrati ad eius pedes, adorauerunt eum, & pretiosa munera obtulerunt ei tanquã capiti, ac Domino, primoque fundatori totius Christianæ Religionis.

*Esai. 49.*

Hanc veritatem, quam Esaias prophetauit, Sanctus Dauid in spiritu mirabiliter præuidit, ac prædixit in
*Psal. 47.* Psalmo. 47. atque id tanta claritate, vt possit quis dicere, sanctum Euangelium huius diei, quasi commentarium quoddam esse istius Psalmi. In quo Rex & Propheta Dauid, considerans in spiritu temporalem Christi Natiuitatem in Bethleem ciuitate sua, simulque fundationem Ecclesiæ ipsius, venientibus ad eum pastoribus & Regibus, dicit: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Magnus profectò est Christus Dominus, & omni laude dignissimus: paruus quidem ætate, & corpore, sed magnus

charitate, &misericordia,&admirabilis in dispositione *August.*
mysterii reparationis nostræ. *Quis est iste Rex* (ait Augu. serm. 6. huius diei) *tam paruus, tã magnus, nondum in terris loquens, & iam in cœlis edicta proponens?* In ciuitate Bethleem, quæ est iam ciuitas Domini, & tam excelsa, ac nobilitata, & magnificata, vt sit mons sanctus Dei. Vnde & in Euangelio dicitur. *Tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, &c.* Quasi diceret. Iam non est ciuitas parua, sed magna, atque tam magna, vt Deus natus sit in ea, & in illa sit cum eo, multitudo Angelorum, & tota Curia cœlestis. Item etiam magna: quia exordium fuit totius Ecclesiæ Christi, quæ in ea fundata est, cœpitque ædificari Vnde sequitur. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ.* August. lib. contra Paganos, & Arrianos, cap. 11. docet, totum orbem *August.* terrarum exultasse lætitia, & gaudio, in Natiuitate Christi. Angeli enim gloriam Dei canere cœperunt, & hominibus pacem promittere. Cœli nouam stellam mundo miserunt, quæ radiis sui plendoris, quasi quadam lingua, Deum laudabat, & lætitię signa hominibus ostendebat. Pastores, quibus nouum gaudium ab Angelis nuntiatum est, vt viderunt Christum natum, *Reuersi sunt*, vt S. Lucas dicit, *laudantes & glorificantes Deum. Magi, videntes stellam*, vt sanctum Euangelium *Luc. 2.* dicit, *gauisi sunt gaudio magno valde.* Denique vniuersa terra nouam & magnam lætitiam concepit in hac fundatione Ecclesiæ Christi, in qua ipse Christus lapis angularis in fundamento positus fuit, pastores verò & *August.* Reges, quasi duo latera ædificii fuerunt, vel parietes, vt Augustinus prosequitur, sermo. 6. & 7. Epiphaniæ. Vnde sequitur *Mons Sion, latera Aquilonis ciuitas Regis magni.* Vide quos parietes, & quæ latera habet hæc ciuitas sanctę Ecclesiæ Christi, Montem Sion, & latera Aquilonis. Omnes sancti Patres interpretes huius loci, intelligunt per montem Sion, populum Iudæorum, cuius primitiæ fuerunt pastores illi: per latera verò Aquilonis, populum gentiũ, cuius primitiæ fuerunt isti Reges Populus enim gentiũ, propter infidelitatẽ, atque idolatriam subiectus erat Principi huius mũdi diabolo quẽ sacra Scriptura appellare solet nomine Aquilonis, *Hierem. 1.* vt apud Hieremiã: *Ab Aquilone pãdetur omne malum.* Ex

his ergo duobus populis cœpit Christus in Bethleem fundare, & erigere sanctam ciuitatem Ecclesiæ suæ. D. Ambrosius, super Ps. 118. sermone 12. in illa verba, *Fundasti terram, et permanet*, sic explicat: Montem Sion & latera Aquilonis, & confirmat testimonio desumpto ex Canticis: *Surge Aquilo, & veni Auster, et perfla hortum meum.* Quamuis enim plerique sic accipiant hunc locum, quasi proijciatur Aquilo, & inuitetur Auster, tamen recte intelligi potest in eo sensu, quod ambo inuitantur ad Ecclesiam, vt surgant à statu infidelitatis & peccati, & veniant ad Christum, populus Synagogæ, & populus Gentilium. Sed prius Synagogæ, quia priores ex Iudæis Apostoli crediderunt, & per ipsos postea nationum populi congregati sunt. Quin etiam in hac Christi Natiuitate priores venerunt pastores ex populo Iudæorum, & deinde Magi ex populo Gentilium, vt in Bethleem adorarent ipsum Regem magnum, qui ex his duobus populis & fundaret, & erigeret sanctam ciuitatem Ecclesiæ suæ, & vt Paulus dicit, ad Ephesios scribens, *vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, & reconciliet ambos in vno corpore Deo*: quemadmodum Sanctus Dauid dicit de Christo Domino, quando initio suæ Natiuitatis fundauit terram Ecclesiæ sanctæ suæ: *In conueniendo populos in vnum, & Reges, vt seruiant Domino.* Hoc enim fecit Christus, cum natus esset in Bethleem, vt conuenirent in vnum populi Iudæorum, & simul Reges gentium, vt in eum crederent, ipsique seruirent, atque vnũ corpus mysticum Ecclesiæ constituerent, vnamque ciuitatem, cuius fundamentum, atque fundator esset ipse Christus Rex magnus, qui potuit facere vtraque vnum.

Ambros.

Cantic. 4.

Ephes. 2.

Psal. 110.

Sed dicet aliquis, Quonam pacto potuerunt pastores cognoscere, quod ille puer tam paruus, tam pauper, vt in præsepio reclinaretur, ipse esset Rex gloriæ, quem quærebant, vt adorarent? Ad hoc statim respondet S. Dauid. *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* In primis domum illam pauperculam, in qua Christus nasci voluit, & in quam intrantes pastores, & Magi, inuenerunt puerum Iesum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt, hanc domum vocat

Dauid domos Dei, plurali numero, quia quamuis minima tunc esset, erat tamen principium omnium domorum spiritualium, quæ in vniuersa Christi Ecclesia erant ædificandæ, vt essent domus, & templa ipsius Dei, & in quibus cognosceretur, & adoraretur. Quemadmodum enim primum peccatum Adæ in Scriptura sacra solet dici, peccata, sicut in Psalmo: *In peccatis concepit me mater mea*: propterea quod illud vnum originale peccatum, fuit principium, & causa omnium aliorum peccatorum, quæ comittunt homines, & in illo primo tanquam in radice continebantur, sicut insinuat Augustinus in Enchirid. cap. 46. & docet Diu. Thomas. 1. 2. quæst. 82. art. 2. ad. 1. ita etiam in præsenti dicere possumus, quod Dauid vocat domos Dei, illam domum Bethleem, in qua natus est Christus: quoniã in illa, tanquã in principio, & radice continebantur vniuersæ domus Ecclesiarum, quæ postea per totum Christianum orbem ædificatæ sunt. In hac ego domo, tam despecta, atque humili, cognitus estChristus atq; adoratus à pastoribus,&Magis, tanquam verus Rex, ac Dominus cœli & terræ, & tanquam verus Filius Dei in carne mortali. Vbi quemadmodum dicit Diuus Leo, sermone. 4. *præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit: vt eum signari sibi intelligerent, qui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur*: Non enim illos terrena sapientia erudiuit, sed, qui admirabilis fidei author est, Spiritus sanctus instituit. Qua fide illustrati, viderunt, & adorauerunt puerum, quantitate paruulum, & in nullo ab infantiæ humanæ generalitate dissimilem. Sed fidei cœlestis lumen, magis quam stellæ, id operabatur in eorum cordibus, vt intelligerent in Christo, atque cognoscerent inter abiecta præsepia differentiam diuinitatis & carnis: & vt Ambrosius ait, libro 1. de fide, cap. 2. *Vt homo cernitur, & vt Dominus adoratur: iacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, & stellæ dominantem. Caro est, quæ inuoluitur: diuinitas, cui ab Angelis ministratur.*

*Ps. 50.*

*August.*
*D. Thom.*

*Leo.*

*Ambros.*

*Arnobius.* Arnobius, vir sanctus & antiquissimus author, legit: *Deus in grauibus eius cognoscetur*. Et congruit miro modo cum mysterio huius festiuitatis. In primis enim grauia vocantur in sacra Scriptura, ea quę præcipua sunt, & maximi momenti, ac ponderis, quemadmodum in Ecclesiastico dicitur: *Sine iudicio nihil facias graue*: & apud Danielem: *Sermo, quem tu quaeris, grauis est*. Ac si diceret: maxime difficilis est, & magni momenti. Quæ autem sunt grauia Dei nostri in hoc mysterio, nisi quæ per lumen fidei, & illustrationem Spiritus sancti, pastores, & Magi cognouerunt in Christo? Diuinitatem in carne, virginitatem in Matre, angelicos concentus, & laudes, stellam nouam, & miro splendore radiantem. In his grauibus cognitus est Deus. Aut certe grauia in Scriptura sacra vocari solent quæ, sunt aspera, & dura, & quæ maxima cum difficultate obseruari possunt. In quo sensu dicitur, apud Matthæum: *Alligant onera grauia, & importabilia, etc.* Et in prima Canonica Ioannis: *Mandata eius, grauia non sunt.* Et quæ, obsecro, sunt grauia, & aspera Christi Domini, in quibus cognitus est, natus secundum carnem? Profecto dura terra, & asperum præsepe, vile stabulum, pauperes panni, rigiditas temporis, incommoditas loci. Sed in his tam grauibus voluit Christus cognosci, & adorari, tanquam Dei Filius: vt ostenderet, quanta sit potentia diuinæ virtutis eius, & quanta virtus cœlestis luminis, & magnæ fidei istorum Regum, qui (vt S. Leo dicit, sermone. 1.) *Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis. Et vt sacramentum fidei suæ, intelligentiaque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Deus in grauibus eius cognoscetur.* Graues viros, solet sacra Scriptura, appellare eos, qui excellentes sunt dignitate, sanctitate, & virtute, & maxima pollent auctoritate in Ecclesia, & populo Christiano. In quo sensu scribit Paulus ad Titum. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & in grauitate.* Vbi grauitatem, vocat, stabilitatem, & constantiam, quam viri sancti habent in operibus virtutum, atque perfectionis. Hinc etiam & Dauid dicit ad Deum, *Confitebor tibi in Eccle-*

Marginal notes: *Eccle.33.* — *Daniel 2.* — *Matth.23.* — *1. Ioan. 5.* — *Leo.* — *Ad Tit. 2.* — *Ps.34.*

*sia magna, in populo graui laudabo te.* Ambrosius in Commentarijs super Psal. 39. circa, finem inquit, *Ibi Ecclesia magna, vbi est populus grauis, non inquietus, & mobilis. Grauis populus est, qui fidem Deo suo seruat & qui non aliqua leuitate mutatur, neque nutat, & fluctuat, sed charitate fundatus est in Christo, à quo, & eius amore nulla creatura potest eum separare.* In hac ergo sacra Christi Epiphania, & manifestatione, Ecclesia magna non alia fuit, quam illa parua, quæ fundari cœpit in Bethleem: sed vere magna, quia prima Ecclesia Christi fuit, & principium, & matrix omnium Ecclesiarum. Populus grauis fuit Maria Virgo, & Sanctus Ioseph, ea grauitate sanctitatis, & integritate perfectionis, quod non erat similis illis in vniuersa terra. In his ergo grauibus cognouerunt pastores, & Reges, puerum illum paruulum esse Dei Filium in assumpta carne, & Regem cœli & terræ, quem quærebant, vt adorarent. Videntes enim grauitatem Virginis, puritatem, & sanctitatem incredibilem, simulque castitatem, & religionem sanctissimi Ioseph, in ipso splendore vultuum, & suauissimo odore virtutum, & incomparabili modestia, & maiestate eorum, qui comitabantur puerum Iesum, cognouerunt per fidem, & diuinam reuelationẽ, quod ille erat Deus, & Rex, & Saluator, quem quærebant. De pastoribus dicitur. *Inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio: & videntes, cognouerunt, &c.* Profecto non solum videntes puerum, cognouerunt ipsum esse Deum, sed etiam videntes singularem sanctitatem Virginis, & maximam grauitatem sponsi eius. In istis grauibus cognouerunt, Deum esse in illo paruulo. De Regibus similiter dicitur in Euangelio, *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes, adorauerunt eum.* Non solum in maiestate diuini pueri, sed etiam in splendore sanctitatis purissimæ Matris, ac sanctissimi sponsi eius Ioseph (qui absque dubio tunc etiam præsens aderat) cognouerunt maiestatem Dei in illo puero, & eredentes, ac procidentes, adorauerunt, pretiosaque munera illi obtulerunt.

Ambros. | Luc. 2.

Hoc autem est, quod consequenter dicit Dauid in Psalmo: *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum.* Reges terræ vocat Magos, qui simul

congregati sunt, & venerunt, vt vnum Christum quærentes inuenirent, sicut in Euangelio dicitur, *Ecce Magi ab Oriente venerunt, &c.* Aut Reges terræ vocat, Herodem, & Principes Sacerdotum, quos perturbatus congregauit, atque consuluit, vt scire posset, vbi Christus nasceretur, sicut in Euangelio dicitur: *Congregans omnes Principes Sacerdotum, &c.* In quo Concilio, secundum Scripturas decretum est, quod in Bethleem ciuitate Dauid nasciturus esset Christus. Ad quem locum remisit Herodes Magos, vt natum puerum quærerent, & inuenirent. Cumque egressi essent ab Hierusalem, & abijssent, viderunt stellam antecedentem eos, & iter ostendentem in ciuitatem Bethleem, ad quam pergebant: & vt Dauid dicit, *Ipsi videntes sic, admirati sunt.* Videntes enim miram Dei prouidentiam erga se, & singulare beneficium, præ nimio gaudio, & lætitia, vehementer admirati sunt, vnde & in Euangelio dicitur. *Videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valde.* Nam ex hoc gaudio procedebat illa admiratio Magorum. Pleni igitur hoc spirituali gaudio, in Bethleem deuenerunt, & sicut Euangelium dicit: *Intrantes domum, inuenerunt puerũ, &c.* ac pleni fide, & reuerentia, procidẽtes ad pedes pueri Iesu, crediderunt, Deum esse & hominem, ac Regem omnium, ipsumque adorauerunt, offerentesque munera; protestati sunt exterius ea, quæ interius corde crediderant. Quod si verba Psalmi referamus ad Herodem, & alios Principes, qui congregati sunt in Hierusalem, audito noui Regis ortu, quid de ipsis dicit Dauid? *Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Vbi vide consonantiã Scripturarum Siquidem in Euangelio dicitur: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo.* Turbato Rege, turbati sunt etiam Principes, atque vniuersa ciuitas. Solo enim auditu noui Regis, territi sunt, metuentes, ne regnum, & domos, atque possessiones amitterent, & quasi hoc metu diuinantes calamitatem, & stragem miseram, quam propter peccata postmodum erant incursuri. Quod si alios testes huius turbationis, & metus, quæramus, subdit Dauid in Psalmo: *Ibi dolores, vt parturientis.* Testes enim crudelitatis impijssimi Regis, fuerunt mortes crude-

lissimæ sanctorum paruulorum, quos Herodes interfecit, videns se à Magis esse delusum, & simul lacrymæ tristes, planctus, & dolores matrum, ante quarum oculos filij trucidabantur. Existimabat enim crudelis ille Tyrannus, & homicida, occisis omnibus his pueris, vsque ad ipsum Christum posse gladium eius peruenire. Sed profectò mentita est iniquitas sibi. Nam sicut à Magis, ita & à puero delusus est Sed sancti Reges adorantes Dominum, & gratias ei agentes, dicunt cum Dauid. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.* Ac si dicerent Sicut per fidem, & Dei reuelationem audiuimus, sic vidimus in hac ciuitate Dei nostri; & noua Ecclesia fidelium, quam Deus fundauit, vt in æternum perseueret. In hoc mirabili templo *suscepimus, Deus, misericordiam tuam* magnam, vbi Christum suscepimus: cui laus æterna sit, non in Iudæa tantùm, & Monte Sion: sed etiam vsque in omnes fines terræ. Vt igitur fides, & gloria huius tanti mysterij, Iudæis & Gentibus per totum orbem annuntietur, dicit Dauid ad pastores. *Circundate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.* Quasi dicat; Perambulate omnem in circuitu regionem vestram, &, si opus est, turres conscendite, prędicantes, & annuntiantes Christi Natiuitatem, quem vidistis, & qui in terris apparuit, vt saluet populum suum. Quod verò pastores per regionem suam prædicantes annuntiauerint Christi Natiuitatem, & apparitionem, apertè constat ex Euangelio Lucæ, vbi dicitur. *Omnes, qui audierant, mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Qui enim prius fuerant pastores irrationabilium ouium, postquàm viderunt, & adorauerunt Christum natum, facti sunt Doctores, & pastores animarum, atque Ecclesiarum. Luc. 2.

Denique ad Reges, qui per aliam viam reuertebantur in suam regionem, dicit Sanctus Dauid de hac noua ciuitate, quam Christus fundauit in Bethleem. *Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite domos eius: vt enarretis in progenie altera.* Quasi dicat; Considerate, quanta sit virtus huius domus paruulæ, quam intrastis: in ipsa enim sunt quasi in virtute, & radice, omnes Ecclesiæ, & domus Christi, quæ in omnibus Gentium re-

gionibus ædificandæ sunt in nomine ipsius. Vos ergo, distribuite has domos, ædificate Ecclesias istas, in quibus cognoscatur Christus, adoretur, atque prædicetur. Vos enarrate, & annuntiate Euangelium Christi in regione vestra, quæ est progenies altera à Iudæis, & altera pars Ecclesiæ, quam Christus fundauit, vt, suscepta Christi fide, etiam ipsa progenies sit altera, & noua progenies, beneficio Natiuitatis Christi, per quam (sicut egregie dicit Sanctus Leo, sermone 7. de Natali Domini) *Redit in innocentiam iniquitas, & in nouitatem vetustas, in adoptionem veniunt alieni, & in hereditatem ingrediuntur extranei, de impiis, iusti, de auaris, benigni, de incontinentibus, casti, de terrenis incipiunt esse cœlestes. Quæ autem est ista mutatio, nisi dextera excelsi?* Leo.

Quid verò enarrare, & annuntiare debeant in altera illa regione, concludit S. Dauid, inquiens: *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.* Hoc prædicate, & annuntiate in gẽtibus, quod vos cordibus credidistis, & muneribus protestati estis: quod iste puer Iesus, hic est verus Deus, & Filius Dei. Ipse etiam est Deus noster, per assumptionem carnis nostræ. Ipse denique est Rex noster, qui reget nos in sæcula: in isto quidem sæculo per fidem, in futuro verò per facialem visionem, ac beatificam ipsius Iesu Christi Filij Dei. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, &c. Amen.

## DE EADEM EPIPHANIA Christi Domini.

### CONCIO III.

*Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes, adorauerunt eum.* MATTH. 2.

Ambros. SAcratissimæ huius solemnitatis dies propterea Epiphania nuncupatur) ait Ambrosius sermone 19.) quoniam tunc primum apparuit Saluator in mundo. Non quidem quod in mundo ante non fuerit: sed quod tunc primum signis, atque mira-

culis, credentium cordibus Christus illuxerit, & in tenebrosas hominum conscientias fidei splendor aduenerit, idcirco tanquam non visus apparuisse dicitur. *Populus gentium* (ait Esaias) *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Vidit enim Christum, qui lux magna est, & cuius magnitudinis non est finis: vidit etiam lucem Euangelij, lucem fidei, quæ etiam magna lux est in cordibus fidelium. Quam lucem S. Dauid in spiritu postulabat, vt posset cognoscere magnitudinem huius mysterij, per quod aperiri cœpit via, atque ostium populo gentium, ad quærendum, & inueniendum Christum Regem. Ait enim. *Deus misereatur nostri, & illuminet vultum suum super nos: vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Via in terra, est Christus incarnatus in mundo, qui dicebat apud Ioannem: *Ego sum via, veritas, & vita. Ipse est etiam salutare, idest Iesus,* ait Gregorius, Homil. 22. in Ezechielem. *In terra ergo,* ait, *via cognoscitur, quia Iesus, Deus ante secula, & homo factus in fine seculorum, gentibus est manifestatus.* Vnde apud Ezechielem dicitur, quod erat *porta Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis, & Australem, &c.* quia idem Iesus, eadem porta & via est Iudæis, & Gentibus, qua ambulent, veniant, & intrēt ad Christum Hæc via, iste Saluator, hodie gentibus apparuit: & lux noua de cœlo eis illuxit, & traxit ad Christum, Iudæis non venientibus, sed in sua infidelitate excæcatis. Hic enim fuit abyssus iudiciorum Dei, quod principes, atque Doctores Iudæorum, qui Magos docuerunt per Scripturam, vbi Christus nasceretur, se ipsos non docerent, neque vellent agnoscere oculis, quem ex sacris libris indicabant: &, vt S. Leo dicit, sermone 2. *viam, quam aliis aperiebant, sibi ipsis obstruerent.* Meritò S. Augustinus, sermone 6. huius diei, de huiusmodi sapientibus Iudæorum dicit, quòd *demonstrato aliis vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate,* factique sunt eis tanquam lapides à milliario, qui viatoribus ambulantibus viam ostenderunt, sed ipsi immobiles remanserunt: quibus conuenit maximè, id quod canebat Maria soror Moysi: *Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, populus iste, quem possedisti.* Vbi Origenes, Homil. 6. insinuat sensum. Iudæi enim hac

Esai. 9. Psalm. 66. Ioan. 14. Gregor. Ezech. 40. Leo. August. Exod. 15. Origenes.

die, velut lapis immobiles facti sunt (iusto Dei iudicio) donec populus gentium electus a Deo veniret ad Christum, & sicut Paulus dicit: *Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Hinc est, quod S. Ioannes in Apocalypsi dicit *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccatae sunt aquae eius, vt praepararetur via Regibus ab Ortu solis.* Angelus iste sextus, ipse est Christus Dominus, qui sexta mundi aetate de coelo descendit in terram natus de Virgine secundum carnem, & manifestatus est mundo. Hic phialam irae suę effudit in flumen Euphratem, videlicet in populum Iudaeorum. Euphrates enim significat *abundantiam*, sine *fertilitatem*, vt Ambrosius docet, libro de paradiso, cap. 3. Talis autem erat populus Iudaeorum, fertilis, atque abundans diuinis legibus ac beneficiis sacramentis, ac caeremoniis, in quibus non fecit taliter Deus omni nationi. Sed peccatis eorum exigentibus, exsiccatae sunt in eis aquae coelestium donorum: & (sicut egregiè dicit S. Leo, sermone 5. huius diei) *perdiderunt placatione hostiarum, successionem Regum, locum supplicationum, & ordinem sacerdotum: & cum omnia sibi clausa, omnia experiantur esse finita, non vident ea in Christum esse translata:* vt ea acciperent filij ex Gentibus adoptiui, & perderent qui ex Iudaeis videbantur esse legitimi, atque hoc modo praepararetur via Regibus istis, seu Magis, ab ortu solis venientibus, vt Christum quaererent, & inuenirent, atque inuentum suppliciter adorarent.

Rom. 11.

Apoc. 16.

Ambros.

Leo.

Ait ergo S. Matth. *Cum natus esset Iesus, &c. ecce Magi ab Oriente venerunt, &c.* Magos eos vocat, & non Reges, cum tamen Reges essent (vt Athanas. q. 2. & alij sancti Patres docent:) quod etiam colligitur ex variis locis sacrae Scripturae; maximè verò ex Esai. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quem locum Ecclesia, & sancti de his tribus Magis intelligunt. Sed sanctus Euangelista Magos eos vocat, non Reges: quoniam ante Dominum & Regem omnium Christum, nemo poterat iure vocari Rex. Sed quemadmodum ante solem remittunt stellae sua lumina: ita etiam in praesentia Christi, qui Rex Regum est, Reges terrae neque gloriam, neque nomen Regum habere possunt.

Athanas.

Esai. 60.

*Vbi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* Non dicit, qui natus est Pater, vel pastor, sed, *qui natus est Rex*. Pater dicitur Deus, quia creauit, & fecit nos, pastor dicitur, quia vocat nos tanquam oues, & pascit. *Rex verò dicitur* (ait Basil. lib. de Spiritu S. c. 8.) *eorum, qui iam transgressi sunt, & legitima castigatione opus habēt*. Propterea ergo dicitur natus *Rex iudaeorum*, quoniam isti transgressi erant pactum, & legem Dei, & Christus veniebat, vt eos tanquam Rex puniret, iustāque vindictam de eis sumeret. Et fortassis ideo turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, quia metuere cœperunt hāc Christi Regis castigationem, & quasi prophetabant Dei vltionem, quae in ipsos superuentura erat, eo quod non cognouerint tempus visitationis suae. Basilius.

*Et congregans omnes principes sacerdotum, &c.* vsque ad illa verba, *Qui regat populum meum Israel. Iudaei ab Herode requisiti,* (ait Gregor. Homil. 10. Euangeliorum) *locum natiuitatis eius exprimunt, quem Scripturae authoritate didicerunt. Et testimonium proferunt, quod Bethleem honorari natiuitate noui ducis ostenditur, vt ipsa eorum gemina scientia, & illis fieret ad testimonium damnationis, & nobis ad adiutorium credulitatis. Quos profectò bene Isaac cum Iacob filium suum benediceret, designauit, qui caligans oculis, & prophetans, in praesenti filium non vidit, qui tamen multa in posterum praeuidit, quia nimirum Iudaicus populus prophetiae spiritu plenus, & caecus, eum, de quo multa in futurum praedixit, in praesenti positum non agnouit.* Haec Gregorius. Gregor. Genes. 27.

*Tunc Herodes clam vocatis Magis, &c.* vsque ad illa verba; *Ego veniens adorem eum.* Rex Saül, sicut sacra narrat Historia Regum, solicite quaerebat Dauid, vt eum occideret, cùm moraretur in deserto Ziph in sylua: misitque viros, qui eum diligenter, & curiosè inquirerent. *Considerate*, ait, *locum vbi sit pes eius: & reuertimini ad me, vt vadam vobiscum.* Sed vt eodem loco dicitur; *Non tradidit eum Dominus in manus eius.* Non aliter Rex Herodes audiuit à Iudaeis, quod Christus nasceretur in Bethleem, de qua dicitur in Psalm. *Inuenimus eam in campis syluae.* Magos mittitque diligenter inquirant locum, vbi natus sit puer, vt ipse post eos veniens quasi adoraturus, interficiat eum. sed non tradidit eum 1. Reg. 23. Psalm 131.

Dominus in manus eius: quin potius illusus est à Magis, & fugiente Christo in Ægyptum, Herodes persequutor eius breui defunctus est, & ad nihilum deductus.

De Magis verò dicit sanctum Euangelium. *Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius: & procidentes, adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* obseruandum est primò, quid dicit, *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius:* nec de Magis, qui tam longo itineris spatio, tam anxiè, & solicitè Christum requirebant, aliud narrat Euangelium, nisi quod inuenerunt puerum Non dicit, quid in eo viderint, quem tam subitò, tam humiliter, procidentes adorauerunt, & muneribus honorauerũt. Non dicit, quæ dona, quos honores acceperint à Christo Regum omnium Principe, sed tantum dicit: quod inuenerunt puerum. *Regina Sabba* (sicut Scriptura sacra narrat) *venit à finibus terræ audire sapientiam* 3. Reg. 10. & 2. Pal. 9. *Salomonis: & attulit ei aromata multa, & aurum multum,* Sed & *Rex Salomon dedit Reginæ Sabba, cuncta quæ voluit, & quæ postulauit, & multo plura, quam attulerat ad eum.* Neque vero dubitandum est, quod Christus, Rex magnus, & plusquàm Salomon sapiens, ac diues, dederit his Regibus, qui à finibus Orientis venerunt adorare eum, afferentes illi aurum, & aromata multa dederit, inquam, multo plura, quam attulerant ad eum, & omnia quæ vellent, non terrena, sed cœlestia dona, quæ præparauit inquirentibus, & diligentibus se. Sed omnia hæc non potuit Euangelista aptius & melius nobis significare, quàm dicendo, quod inuenerunt puerum, quem quærebant, vel quia omnia, quæ illis Christus contulit, ineffabilia sunt, & silentio magis explicantur, quàm multitudine verborum: vel quia in illo puero, quem inuenerunt, abscondita erant vniuersa quæ desiderari possunt. *Venerunt mihi omnia bona pariter* Sapient. 8. *cum illa*, ait Salomon. *Infinitus enim thesaurus est hominibus*, Christus Dei Filius, & Dei sapientia. Considera Sponsam in Canticis solicitè, & anxiè quærentem dilectum sponsum, in lectulo per noctes, in ciuitate per vicos & plateas; & pòstquam ipsum inuenit, & vniuersa, quæ optauerat, consequuta est, omnia illa cõclusit

clusit vno verbo, inquiens, *Inuenit, quem diligit anima* Cant. 3.
*mea*. In illo enim inuenit omnia, quæ poterat, aut quærere, aut desiderare, in quo est omne bonũ omnis gloria, omnes diuitiæ, & honores, atq; delectationes vsque in finem, & extra quem nihil boni, aut salutis, nihil desiderabile hominibus reperiri potest. Vnde & Salo- Prouerb. 8.
mon in Prouerbiis dicit in persona Christi. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutẽ à Domino. Chri-* August.
*stus enim* (ait Augustinus serm. 50. ad fratres) *est deliciæ nostræ, requies nostra, sanctus nostra, gaudium nostrum fælicitas nostra, refrigerium nostrum, amœnitas nostra, & quidquid sanctè possit desiderare anima nostra, totum nobis Chri-* 1 Cor. 15.
*stus erit. Sic beatus Apostolus dicit; Erit Deus omnia in omnibus. Auare, quid tibi sufficit, si Deus tibi non sufficit?* Hæc Augustinus.

Obseruandum est secundo, quanta fuerit virtus diuinæ lucis, quæ in cordibus horum Magorum illuxit, & homines Reges, antea incredulos, peccatis excæcatos, magicis deditos, & veræ religionis inimicos tam potenti virtute mutauit, vt ad pedes Christi prostrati, quem corporeis oculis puerum cernebant, silentem, quietum, & sub Matris solicitudine constitutum, in quo nullum apparebat de potestate signum, eundem excellentis fidei luce interius illustrati, Deum verum, ac Dei Filium esse cognouerint, atque adorauerint. *Magnum enim aliquid* (vt Augustinus dicit, sermo. August.
7. huius diei) *latebat in paruulo, quod illi homines, primitiæ gentium, non terra portante, sed cœlo narrante didicerant: qui tam ex longinquo, tam supplices veniebant, & quod intuendo non videbant, promereri adorando cupiebant.* Diuus Basilius, Homilia de humana Christi generatione do- Basilius.
cet, quod Deus propterea Magos antea à vera fide alienos, & à Dei lege peregrinos, traxit ad Christum, vt in eum crederent, atque ipsum adorarent, & muneribus honorarent: quia ex inimicis testimonia longé præstantiora, & fide digniora sunt. Hæc enim Magorum ad fidem conuersio, egregium est veritatis Religionis nostræ testimonium, quam illi antea negabant, & modo ad pedes Christi procidentes, cordibus credunt, & exteriori cultu humiliter, ac veraciter profitẽtur. Sic prædixit in spiritu Sanctus Dauid: *Coram illo pro-* Psal. 71

O

*cident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Hi enim Reges, anteà nigredine peccatorum Æthiopes, & infidelitate, atque idolatria inimici, posteà in Christum credentes, atque ad pedes eius procidentes, pulchritudinem, ac decorem gratiæ adepti, & amici Dei effecti sunt. Esaias etiam hoc ipsum prædixit, inquiens;

Esai. 60. *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: et adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi.* Isti enim Reges, & cæteri infideles ex gentibus, qui priùs Christum persequebantur, atq; blasphemabant, postmodùm trementes, ac supplices, & prostrati, vestigia pedum Christi adorauerunt, profitentes ipsum solum verum Deum esse adorandum, atque colendum in cœlo & in terra. Quod profectò inimicorum, atq; infidelium testimonium, maximum argumentum est diuinitatis, & virtutis Iesu Christi Dei nostri, ita vt possimus dicere cum Moyse in Cantico;

Deuteronomy. 32. *Non enim est Deus noster, vt Dij eorum: & inimici nostri sunt iudices.* Isti Magi, anteà inimici nostri, nunc iudices æquissimi sunt, quantùm distet inter vanos, ac falsos Deos Gentium, & solùm verum Deum, ac Dominum Iesum Christū.

Obseruandum est tertiò, quàm sancto pudore, & laudabili confusione, gloriosi isti Reges, affecti sunt, confitentes anteactæ vitæ errores, atque peccata: & simul profitentes, hanc esse veram fidem, & religionem, quā Christus instituit; & ipsum Christum esse verum Deū; cætera omnia Gentium Idola, vana esse, ac risu digna. Posset Christus de Magorum aduentu ad se adorandū

Iob. 6. dicere cum S. Iob; *Venerunt vsq; ad me, & pudore cooperti sunt.* Nam quòd prostrati ad pedes Christi iacebant, hanc confusionem de præteritæ vitæ erroribus, atq; delictis significauit; & teste Gregorio, Homilia 8. in

Gregor. Ezechielem. *Ibi cadimus, vbi confundimur.* Cadentes ergo in terram hi Reges, apertos habuerunt cordis oculos, & cœlesti claritate illuminatos, quibus cognoscerent impietatem infidelitatis suæ, & veritatem fidei ac religionis nostræ: sicq; confunderentur in Idolis suis, & exultarent in Deo salutari nostro. Rectè dixisse videtur de istis Michæas Propheta,

Michæ. 7 *Videbunt gentes, & cōfundentur super omni fortitudine sua: ponent manus super os, aures eorum surdæ erunt. Dominum Deum nostrum desidera*

*bunt, & timebunt te.* Quoniam hi Reges, & alij Gentiũ populi, videntes Christum natum, & adorantes, confusi sunt super omni vana fortitudine sua, atq; Idolorũ suorum, ita vt neq; ore loqui, neq; aure audire aliquid prioris infidelitatis possent: sed in omnibus verum Dominum, ac Deum nostrum desiderare, ipsumq; diligere, ac timere, eorum studium fuit. Similiter Hie. de ipsis dicebat, *Ad te Gentes venięt ab extremis terræ, & dicēt: Verè mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit.* Hi Reges Gentium ad Christum venerunt ab extremis terræ quando ab Oriente venerunt: & prostrati ad eius pedes absquè dubio ei confiterentur, & dicerent: Verè falsos Deos, ac mendaces coluerunt Patres & Maiores nostri, & vanitatem dilexerũt, ac sequuti sunt, quæ nihil eis prodesse potuit. Quem enim fructum ipsi habere potuerunt in illis, in quibus nos modò erubescimus, atq; confundimur? Tandem credo, quòd venientes isti Reges ad Christum, dicerent cum eodem Hiere. *Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster, Verè mendaces erant colles, & multitudo montium.* Reuertentes enim ad Christum, verum Deum, & confusi super multitudine Idolorum, quæ falsò coluerant, & adorauerant impiè, prostrati ad eius pedes, & confitentes peccata sua, dicerent ei. Ecce nos venimus ad te, qui es verus Dominus Deus noster. Vidimus enim stellam tuam in oriente, & venimus adorare te. Verè mendaces, ac fallaces erant Dij Gentium, quos in montibus colebamus, & in quibus nulla nobis poterat esse salus. Nam in te solo Domino Deo nostro est vera salus omnium, qui credunt, & sperant, & diligunt te. Hac ratione, inter alias, Magi venientes ad Christum, atq; adorantes ipsum, obtulerunt ei mystica munera, aurum, thus, & myrrham, quasi ponentes ad pedes eius, & offerentes ei tanquàm vero Deo omnia illa, quibus falsos Deos fabricauerant, & eorum Idola coluerant. Manifestum est enim, apud infideles Idola ex auro fieri solita esse. Vnde & Dauid dicebat. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Thus etiam Idolis offerebatur in eorum sacrificijs, & myrrha vtebantur infideles, vt corpora mortuorum conseruarent absque vl-

Hierem. 16. | Hierem. 3. | Psalm. 113.

la putredine & corruptione, negantes atque arridentes futuram resurrectionem. Offerunt ergo illi aurum, thus, & myrrham, vt, ea quibus antea impiè falsos Deos coluerant, deinceps in honorem & cultum veri Dei Iesu Christi exhiberent; confitentes, illum solum verum Deum esse, atque ab omnibus adorandum, summisque honoribus venerandum. Ecce quomodo sancti Reges, iuxta documentum Apostoli, *Quæ fuerant arma iniquitatis peccato*, conuersi ad Christum *exhibuerunt arma iustitiæ Deo*.

Roma 6.

Sed obseruandum est quarto, atque vltimo, quod isti Magi venientes ad Christum, prius quidem procidentes adorauerunt eum, & post modum obtulerunt ei munera. Quod profectò sapientissime ab eis factum est. Prius enim necesse est veniamus ad Christum, atque adoremus, & procidamus ante eum, tradamusque ei nosmetipsos, quam munera eidem offeramus. Quoniam Deus etiam prius aspicit, atque accipit offerentem ipsum, quam eius munera, sicut in Genesi dicitur. *Respexit Dominus ab Abel, & ad munera eius, ad Caim autem, & ad munera eius non respexit*. Quæ verba tractans Gregorius, libr. 22. Moralium, cap. 12. & lib. 7. epistolarum, epistola 126. inquit: *Ex dantis quippe corde, id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum dicitur Dominus respexisse, qui dabat, quam ad illa quæ dabat.* Et Augustinus super epistolam 1. Ioannis, tractatu 5. similiter dicit. *Cum enim ambo obtulissent ille de fructibus terræ, ille de fœtibus ouium: quid putatis, fratres, quia Deus fructus terræ neglexit, & fœtus ouium dilexit? Non intendit Deus ad munus, sed in corde vidit: & quem vidit cum charitate offerre, ipsius sacrificium respexit: quem vidit cum inuidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos auertit*. Vnde eodem loco Genesis secundum lectionem Septuaginta dicitur: *Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti*. Ille rectè non diuidit, qui bona sua offert munera Deo, se ipsum vero tradit iniustitiæ, & diabolo. Oportet ergo, primum nos ipsos Deo tradere, & postea munera nostra illi offerre. Nam si quis offerat Deo thus, siue incensum orationis, & non prius se ipsum tradiderit per pœnitentiam & humilitatem, atque charitatem; dicet

Genes. 4.
Gregor.
August.
Genesi. 4.

ei Deus id, quod quibusdam dixit per Esaiam: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Abominatur enim Deus illorum sacrificia, & orationes: quorum manus, & corda peccatorum immunditia sunt plena. Quapropter rectè consuluit Salomon in Ecclesiast. *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse, sicut homo, qui tentat Deum.* Prius enim quam offeramus Deo orationis incensum, præparanda est anima (quam Deus primo respicit) purgando eam per pœnitentiam à peccatis, & ornãdo sanctis virtutibus: vt hoc modo respiciat Deus ad nos, & ad munera nostrarum orationum. Si quis etiam myrrham offerat Deo, videlicet carnis mortificationem, abstinentiam, pœnitentiam, & lacrymas, nec tamen se ipsum prius tradiderit Deo per veram humilitatem, & charitatem: nequaquam munera eius respiciet, & suscipiet Deus, dicente Apostolo: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Denique si quis offerat Deo aurum multum in eleemosynas pauperum, & prius seipsum non offerat Deo per charitatem, non rectè diuidit, atque adeò nihil ei proderit. Vnde Diuus Gregorius in Pastorali, parte 3. admonitione 21. rectè dicit: *Qui escam, vel vestimentum pauperibus largitur, & tamen animæ, vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est iustitiæ, obtulit, & quod maius est culpæ commisit. Sua enim dedit Deo, & se ipsum diabolo.* Non ergo rectè diuisit, neque Deus ad ipsum, & ad munera eius respicere potuit. Respexit autem ad sanctos istos Reges: qui inuenientes puerum Iesum, & humiliter procidentes, atque adorantes eum, tradiderunt se ipsos primo, & deinde pretiosa & mystica munera, quibus protestati sunt, ipsum esse verum Deum, Saluatorem nostrum Iesum Christum. Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c. Amen.

Esa. 1.

Eccles. 18.

1. Cor. 13.

Gregor.

# DE OBLATIONE CHRI-
## STI DOMINI IN
## Templo.

### CONCIO I.

*Tulerunt illum in Hierusalem , vt sisterent eum Domino.* LVC. 2.

Origenes. SAcra Scriptura ( quemadmodum Origenes docet , lib. 4. de principiis, cap. 1. ) ita est à nobis consideräda, tãquam aliquid compositum ex corpore exteriori , & spiritu interiori. Sicut enim homo propter quem scrip-
Rom. 15. ta est, & dictata à Spiritu S. ( *Quæcumque enim scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt* vt Paulus dicit ) est aliquid compositum ex corpore exteriori , & spiritu interiori, ita & Scriptura sacra , & Euangelica , composita est ex littera , & spiritu , videlicet ex literali siue historiali sensu: tanquã ex corpore visibili, & ex sensu spirituali & mystico , tanquam ex anima , siue spiritu inuisibili. Vnde ad Corinthios dicit Paulus ; *Loquimur Dei sapientiam in mysterio , quæ abscon-*
Cor. 1. 8. *dita est.* Habet Scriptura sacra , quæ est Dei sapientia , aliquid visibile , & manifestum in ipsa literæ historia , habet etiam absconditum mysterium in mystico & spirituali sensu : & quemadmodum ipse Christus, qui author est Euangelij constat ex carne visibili, & Verbo inuisibili, ita etiam eius doctrina Euange-

lica constat ex litera, & spiritu oculto vbi & ipsa litera valde nos ædificat, & confirmat in his, quæ ad fidem catholicam pertinent, & interior spiritus illius, singulariter nos afficit ad amandam vitæ perfectionem, & desideranda æternæ vitæ bona, quæ abscondita sunt in ipso Deo. Quæ duo mirabiliter nobis præstat sanctum Euangelium huius diei, in quo & historica litera admirabilis est ad confirmandum nos in fide, & moribus, & mysterium in illa magis absconditum, vehementer afficit, atque rapit animas nostras in Deum.

Historia autem huius sancti Euangelij continet præsentationem, siue oblationem pueri Iesu in templo, die quadragesimo ab eius Natiuitate, & simul Purificationem Mariæ Virginis Matris eius, secundum legem Moysi: vtrumque autem non propter ipsos sed propter nos factũ est, vt Bernardus dicit, sermone 7. de paruis. Nam de Christo certum erat, nulla lege obligari ad eam oblationem in templo, cùm esset Deus, ac Dominus templi, & sanctificator eius, & aliunde, quatenus homo, natus erat ex purissima Virgine virtute & opere Spiritus sancti, sed, vt Esaias dicit, *Oblatus est quia ipse voluit*, non aliqua necessitate, qua teneretur seruare legem illam Moysi, sed solo beneplacito suæ voluntatis, propter nos, & vt hoc magnum humilitatis, & obedientiæ exemplum nobis relinqueret. Et quemadmodum Bernardus dicit, serm. 3. huius diei, *etiam modo oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia ipse voluit*. Sacratissima etiam Virgo Maria in hoc facto, Filii sui sequuta est vestigia, veniens ad templum purificanda, & offerens Domino suo suam oblationem iuxta edictum legis Moysi: nulla tamen necessitate, nulla obligatione, qua teneretur ad seruandam legem, sed sola sua voluntate id fecit, atque ipsa similiter oblata est, quia voluit hoc singulare humilitatis, & obedientiæ exemplum exhibere: cùm tamen aliunde Virgo esset purissima, & Filium, non suscepto semine, sed de Spiritu sancto concepisset: qua ratione immunis erat omnino & libera ab obligatione illius legis. Cæterùm neq; Filius, neq; Mater excusate se po-

*Bernard.*

*Esai. 53.*

*Bernardus.*

terant in conſpectu hominum ab hac preſentatione in templo, & purificatione, niſi allegando immunitatem ſuam, & manifeſtando admirabile ſacramentum noſtræ redemptionis; quod filius, qui offerebatur, erat Deus in aſſumpta carne pro ſalute mundi,& mater quę purificabatur, erat Virgo puriſſima, quæ illum concepit, & peperit, virtute ſola ſpiritus Sancti. Quod ſacramentum iam quibuſdã manifeſtari cœperat, qui illis diebus viderãt,& audierant noua ſigna, & mirabilia quæ acciderant in cœlo, & in terra, à die Natiuitatis eius. Sed ſummus magiſter humilitatis, & obedientiæ, Chriſtus, maluit ſubiici obſeruantiæ huius legis, &ſimilis aliis peccatoribus æſtimari, quàm ſacramentum prodere, eo tempore, diuinitatis ſuæ,& puritatis ſanctiſſimæ Virginis Matris ſuæ. Quod quidem opus apud ſapientes huius ſæculi, ſtultitia, & inſania videri poſſet, cùm in oculis Dei, ſumma ſapientia Chriſti fuerit, & in myſterio abſcondita, quam nemo principum, & ſapientũ huius ſæculi, cognoſcere potuiſſet. Propterea de Chriſto dicitur apud Eſaiã (iuxta Septuaginta) *Erit homo occultans ſermones ſuos*, id eſt, occultãs in terra diuinitatẽ ſuam, maieſtatem, &gloriã. Quid enim aliud fuit, Chriſtum naſci in ſtabulo, pauperem, paruulum pannis inuolutũ, circuncidi octaua die, poſtea in tẽplo preſentari quaſi vnum ex peccatoribus & pauperibus terræ, niſi occultare gloriam maieſtatis, & abſcondere vultum diuinitatis ſuæ? Propterea enim Eſaias dixit *Quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus*. Quaſi abſconditum vocat vultum eius: quia licet paucis manifeſtatus eſſet eo tempore vultus diuinitatis Chriſti, tamen fere omnibus occultus erat, & abſconditus, non ſine magno conſilio diuinæ ſapientiæ, quæ abſcondita erat in illo myſterio, quod, vt dixi, apud ſapientes huius ſæculi ſtultitia & inſania iudicaretur, cùm tamen apud conſilium Dei eſſet opus,ac myſterium ſummæ ſapientiæ,& virtutis eius.

*Eſai. 32.*

*Eſai 53.*

Obſeruandum ſummopere eſt, quid fecerit Dauid, ſicut ſacra narrat Hiſtoria libri 1. Regum. *Venit Dauid ad Achis Regem Geth. Dixeruntq. ſerui Achis ad eum, cum vidiſſent Dauid, Nunquid non iſte eſt Dauid, Rex terræ? Non ne huic cantabant per choros, dicentes, Percuſſit Saul mille,*

1. Reg. 21.

*& Dauid decem millia? Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo. Et immutauit os suum coram Achis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ: defluebantque saliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos? Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me, &c.* Diuus Thomas. 2. 2. quæstione. 111. articulo. 1. ad secundum, fatetur, hanc commutationem faciei, siue vultus Dauid coram Achis, fuisse figuratiuam mysterii: & multò copiosiùs Diuus Hieronymus in titul. Psalmi 33. Sed mihi videtur mirabilis quædam figura, atque vmbra eorum, quæ Christus gessit hac die delatus in templum, atque præsentatus. Quis enim est iste Dauid pulcher aspectu, & fortis manibus, nisi iste diuinus puer, qui secundùm diuinitatem est imago pulcherrima Patris æterni, & fortitudo eius maxima: quemadmodum Paulus ad Hebr. vtrumque dicit, *Figura substantiæ eius, portansque omnia, &c.* Sed natus in mundo secundum carnem statim agnosci à quibusdam cœpit quòd esset Rex cœli & terræ, quem adorauerunt pastores, & Magi. De quo Angeli canebant in choro, dicentes, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* Sed nè manifestius agnosceretur noster Filius Dauid, cœpit commutare vultum suum coram populo Iudæorum, formam & similitudinem accipiens paruuli, indigentis beneficio circuncisionis, & subiecti legibus ac cæremoniis illius populi, sicut & alij paruuli, qui in peccato nascebantur. Propterea circuncisus est octaua die: propterea etiam hac die delatus est in templum manibus & brachiis Beatæ Virginis, & Sancti Ioseph, & oblatus est brachiis sancti Simeonis. Hoc ergo est, quod dicitur de Dauid: *Et collabebatur inter manus seruorum Achis* siue, vt alia littera habet, *& ferebatur in manibus.* Quoniam istud est mirabile in hoc facto Christi, quod ita commutauerit vultum magnitudinis suæ, vt se ostēderit paruulum, tam imbecillem, vt necesse fuerit, eum portari brachiis Mariæ, & Ioseph, & in manibus Simeonis, sicut Euangelium dicit, *Accepit eum Simeon in vlnas suas.* Magna profectò est cōmutatio istæ Domini IESV, & grandis imbecillitas, quòd tam fortis manu, vt ipsa sustentet cœlum & terram, opus habeat sustentari manibus Simeonis debilibus, ac senilibus

*D. Thomas.*
*Hieronym.*
*Hebr. 1.*
*Luc. 2.*

brachiis: quòd ille fortis auxiliator requirat adiutorium hominum, & collabatur inter manus seruorum tuorum. Possemus certe verbis Iob interrogare iustum.
*Iob. 26.* Simeonem, & senem, qui puerum Iesum brachiis portabat: *Cuius adiutor es: nunquid imbecillis? aut sustentas brachium eius, qui non est fortis?* Sed non dubito, quin statim responderet sanctus senex, & diceret: Sat scio, nō esse imbecillē, hunc puerū, sed potius esse ipsā Dei fortitudinē, & brachium Domini, quod nobis reuelatum est: sed modò commutat vultum suum corā populo fingitse debilē, exhibet se quasi stultum, aut insanū, in oculis inimicorū, vt abscondat eis vultum gloriæ diuinitatis suæ. Propterea *impingebat ad ostia portæ* Dauid: quia noster Iesus deferendus erat ad ostia portæ templi, alienis brachiis delatus, quasi infirmum se fingens, & dissimulans magnū robur fortitudinis suæ. *Defluebantque*, inquit, *saliuæ eius, in barbam* D. Augustinus, sup.
*August.* Psal. 33. Concione 2. dicit, saliuas significare stultitiam, & infirmitatem humanæ carnis: barbā vero significare virtutem, & fortitudinē. Ad hoc ergo elegit Filius Dei stulta, & infirma mundi, atq; assumpsit, vt tegeret, atque occultaret virtutem suam corpore infirmitatis suæ. Nam quòd exterius infirmabatur, tanquā in saliua apparebat: intus autem diuina virtus, tanquam barba tegebatur. Sed quid plura? Rex Achis tanquam insanū despicit, ac proiicit Dauid, & nostrum Iesum Rex Herodes, vt S. Lucas refert, tanquàm stultum & insanum *spreuit & illusit indutum veste alba.* Alij verò, vt Marcus re-
*Luc. 23.* fert, etiam sui, *dicebant: Quoniam in furorem versus est.* Alii autem, vt S. Ioānes dicit, *ex Iudæis multi dicebant:*
*Marc. 3.* *Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?* Sed hanc
*Ioan. 10.* stultitiæ & insanię similitudinē, sicut & infirmitatis, voluntarie Christus elegit, & assumpsit sūma sapientia sua vt & saluos nos faceret, & singulare exemplum humilitatis relinqueret nobis imitandum. Hoc exēplo Christi didicerunt viri sancti dissimulare virtutes suas, & diuina dona, quæ de cœlis accipiunt, abscondere ab oculis hominum, amantes nesciri, & metuentes cognosci ab eis. Hac ratione, multa faciunt, quæ mundus stultitiam, aut insaniam esse iudicat, verbi causa, quod paupertatem eligunt, nuditatem amant, &

asperitatem vestium, continua ieiunia: quod persequutiones patiuntur, humiliantur, despiciuntur. Omnia hæc, & alia similia, filijs huius sæculi stultitia sunt, sed ante Dei oculos maxima sapientia sunt, & prudentia sanctorum, qui hac mirabili arte abscondunt thesauros spirituales suos ab oculis huius mundi, ne eos perdant. Commutant enim & ipsi vultus suos coram Achis, & stultos se simulant propter Christum, vt sapientes imitatores ipsius sint. Sic Paulus dicit ad Corinthios: *Nos stulti propter Christum*. Explicans autem, in quo sit hæc eorum stultitia, subdit: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur? tanquam purgamenta mundi huius facti sumus.* Hæc erat illorum stultitia propter Christum, quod *in omnibus*, vt idem Paulus dicit, *exhibebant semetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs.* Hac prudentissima arte decipiebant mundum, atque occultabant cœlestes thesauros animarum suarum, vt securi possent mundum effugere, quem sola hac de causa possunt timere viri sancti. 1. Cor. 4. 2. Cor. 6.

Hoc igitur est, quod viri sancti didicerunt exemplo Christi, & Mariæ Virginis, in hoc mirabili opere oblationis suæ in templo: humiliari, & subijci Dei legibus: eligere abiectos se esse, & quasi stultos in oculis hominum, & abscondere ab eis thesauros occultos cordis, & animæ, timentes valde, ne mundus eos rapiat, si vane illos ostentauerint. De qua re etiam in sancto Euangelio aliud habemus exemplum. Ait enim. *Ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste, iustus & timoratus.* Bene iustum eum vocat, & simul timoratum, quia, sicut dicebamus, in viris sanctis non separantur ista duo, sanctitas, & timor. Sunt enim illi sancti, & iusti, & amici Dei? sed simul sunt timorati, metuentes amittere decorem sanctitatis, & diuitias donorum cœlestium, quas habent, si Deo displiceant, aut mundo placeant. Et quanto magis Deum amant, tanto magis timent, eum & dona ipsius perdere sic adeo, vt magis metuant, & minus securos se reputent inter diuinos fauores, quam inter ipsius flagella, sicut à Sancto Iob dicitur. *Si quando ridebam* Iob. 29.

*ad eos, non credebant.* Tunc ad ſanctos ſuos Deus ridet, quando beneficia cœleſtia eis confert, quando hilarem vultum eis oſtendit, quando blande eos conſolatur, & alijs fauoribus eos proſequitur: ſed tunc illi minus apud ſe ipſos ſecuri, ſunt, & multo magis periculum formidant, & mundi laqueos metuunt: cumque in interioribus ſancti, & iuſti ſint, propterea quod ſunt humiles corde, & prudentiam ſanctorum habent, commutant vultum ſuum coram mundo, & ita ſe in exterioribus exhibent, ac ſi maximi peccatores eſſent. Propterea ſe ipſos affligunt ieiunijs, & abſtinentia, & vigilijs: ſtudent humiliari, & mortificari, vt ſic operiant faciem ſanctorum mundo, & oſtendant ei faciem hominum peccatorum: quamuis propter hoc mundus ſtultos eos iudicet, & inſanos. Sic Dauid, qui mutauit vultum ſuum coram Achis, ne perderet vitam corporalem, commutabat faciem ante oculos
Pſal. 68. mundi, ne perderet vitam animæ. Vnde dicit in Pſal. *Operui in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi. Poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam.* Ieiunabat Dauid, induebat cilicio carnem ſuam atque iſto ieiunio, & cilicio, operiebat animam ſuam, & occultabat mundo theſauros cœleſtes cordis ſui. Mundus quidem irridebat eum, & deſpiciebat, & quaſi ſtultum & inſanum reputabat: ſed ille hac prudenti ſtultitia, & conſultiſſima inſania, omni cuſtodia ſeruabat cor ſuum, vt ſecurus euaderet vniuerſos mundi laqueos, atque pericula. Bene ergo dicitur *Simeon iuſtus, & timoratus:* & poſtea ſequitur: *Expectans conſolationem Iſrael.* Quia propterea, cum eſſet iuſtus, erat ſimul timoratus: eo quod expectabat ſolum Chriſtum, qui futurus erat conſolatio omnis Iſraël. Non expectabat mundi honores, non diuitias, non terrenas conſolationes, ſed eam tantum, quæ futura erat conſolatio, atque expectatio gentium. Hanc optabat, hanc orationibus, & lacrymis poſtulabat à
Oſeæ 13. Domino. Fortaſſe pluries diceret cum Oſea Propheta: *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.* Propterea quod cum iam tanto tempore Chriſtum redemptorem ex-
Pſal. 38. pectaſſet, nondum videbant oculi eius ſalutare Dei. Aut fortaſſe diceret cum Dauid: *Et nunc quæ eſt expe-*

*ctatio mea, nonne Dominus?* Vir sanctus, senex, & plenus dierum, atque bonorum operum, nihil habebat in mundo, quod concupisceret, nulla re terrena delectari poterat, nihil desiderabat, nisi videre Christum Domini, vt posset ab eo dissolui, atque in pace dimitti. Hæc sola erat eius expectatio, atque consolatio, quam semper optauit. Sed vnde, obsecro, habuit sanctus senex hunc totius mundi despectum, & solius Christi tam anxiam expectationem? Profecto ex eo quod sequitur. *Et spiritus sanctus erat in eo.* Hoc est signum maximum Spiritus sancti habitantis in anima iusti, quod vbi ipse habitat, statim efficit in corde despectum omnium terrenorum, atque contemptum omnium, quæ mundus diligit, & in pretio habet, & solius Dei affectum & amorem accendit. Propterea Paulus dixit: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Quid vocas libertatem?* (ait Origenes, homilia 12. in Exodum). *Non seruire sæculo, non seruire pecuniæ, non seruire desideriis carnis. Ego interim dico, quod donec alicui horum deseruio, non sum consequutus vllam libertatem Spiritus sancti. Si laudis sum cupidus, & gloriam sector humanam, si de hominum vultibus & sermonibus pendeo, quid de me ille sentiat, quomodo ille me habeat, ne illi displiceam, si illi placeam, donec requiro ista, seruus horum sum, non habens libertatem, spiritus.* Hæc enim libertas, ab omnibus quæ sunt mũdi expedita est, vt soli Deo seruire, & placere possit. Recte dixit Chrysostomus, Homilia 59. in Matthæum. *Nihil est, quod sic tollat animæ libertatem, quemadmodum rerum sæcularium cupiditas. Non enim sibi viuunt, sed alteri, & mille dominis premuntur, &c.* Econtra vero, vbi Spiritus sanctus inhabitat, ibi perfecta libertas est, quoniam anima nullo desiderio iam tenetur, nisi solius Dei nihilque in mundo concupiscit, præter ipsum. Talis erat Sanctus Simeon, qui solum Christum expectabat, ac desiderabat tanquam vir iustus, in cuius corde habitabat Spiritus sanctus.

2. Cor. 3.

Origenes.

Chrysost.

Vnde sequitur. *Et responsum accepit à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Iustus Simeon iam nihil præter Christum expectabat aut desiderabat: & propterea quod fideliter petierat à Spiritu sancto, efficaciter ab eo consequutus est. Illi

Ps. 20. profecto maxime congruit, quod Dauid dixit, *Super salutare tuum exultabit vehementer desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Quoniam sanctus iste senex vehementer exultauit, responso accepto à Spiritu sancto, quod ante mortem visurus esset Christum Iesum, qui est salutare Dei. Hodie tribuit ei Deus desiderium cordis sui, quando venit in spiritu in templum, visurus Christum suis oculis, & manibus contrectaturus sanctum Domini. Vnde sequitur: *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, & ipse accepit eum in vlnas suas: & benedixit Deum.* Continuo sensit mirabilem odorem illius, qui erat expectatio gentium, statim illuxit ei radius solis iustitiæ, & accensus feruore Spiritus sancti, quasi extra se positus, præ nimio gaudio, accepit Iesum in manibus, gratias agens Deo pro suscepto beneficio tam ineffabili. Fœlix profecto sanctus iste senex, qui meruit Christum manibus tangere, brachiisque portare, & offere Domino, quem tot Prophetæ, & Reges, neq; oculis videre potuerunt. Beatus sacerdos, de quo singulariter verificari videtur, id quod Salomon in Ecclesiastico dicit, *Datum brachiorum tuorum, & sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia sanctorum, & pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua.* Idem est, ac si illi diceret, Filium Dei datum de cœlo, & natum de Virgine, quem tuis brachiis meruisti suscipere, offeres nunc Domino sacrificium matutinum, propter sanctificationem totius mundi: offeres etiam Domino initia sanctorum, videlicet sanctum puerum, & Mariam, & Ioseph, isti enim sunt initia, seu primitiæ sanctorum omnium in lege gratiæ, & Euangelij, qui exellentiori modo primitias Spiritus sancti, atque Euangelicæ perfectionis habuerunt (de quo genere primitiarum extat etiam doctrina Origenis, homil. 11. super Numeros.) Et pauperi Christo porrige manum tuam. Sic enim propter nos commutauit faciem suam, vt necesse habeat aliorum manibus portari, vt tandem hac oblatione tua incipiat perfici propitiatio mundi, & benedictio tua, quam accipies à Domino, & qua benedices ipse Deum, quem tuis manibus meruisti portare. Sic enim consequenter dicitur in Euangelio.

Eccle. 7.

Origenes.

*Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, &c.* Ecce sanctum senem, qui antea tantopere desiderabat viuere, iam tædium habet vitæ, iam cupit dissolui & ab hominibus accipi, atque in pace obdormire cum patribus suis. Quare hoc? Vel quia vidit Christum oculis suis, & propterea nec terram eisdem oculis videre dignabatur. *Quia viderunt*, inquit, *oculi mei salutare tuum.* Quemadmodum enim qui in solem attentius fixit oculos, impeditus manet ad ea videnda, quæ coram se habet, quæcunque illa sint: ita Sanctus Simeon, postquam vidit oculis suis Christum Domini, nihil aliud aspicere poterat præter ipsum, & propterea ab hac vita discedere cupiebat. Vel secundo, quia nihil aliud huius vitę expectabat, nisi consolationem Israël, quæ Christus erat, quem manibus iam tenebat, brachijsque amplectebatur: atque adeo nihil illi restabat expectandum, nisi vt in pace dimitteretur nuntiare fratribus suis, aduenisse iam mundo saluatorem, à cunctis gentibus desideratum, & expectatum. Fortassis diceret cum Dauid *In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Quid vocas id ipsum*, ait Augustinus, lib. 3. de Trinit. cap. 2. & super Psal. 121? Et respondet. *id ipsum est, quod summe est, quod æternum est, quod incommutabile bonum est, quod semper vnum est, quod idem ipsum est, & cuius anni nunquam deficiet. In hac tam mirabili pace, in hoc id ipsum dormiam, & requiescam.* Quare hoc? *Quoniam tu Domine singulariter, in spe constituisti me.* Nam, postquam te vidi oculis meis & manibus tenui, iam nihil huius vitæ me detinet, sed te solum desidero, te singulariter expecto, atque vnice diligo: ac proinde nunc dimitte seruum tuum, vt in pace obdormiens requiescat. *Psalm. 4. August.*

Diuus Augustinus de se ipso fatetur, lib. 9. confessionum, cap. 4. quod cum legisset in otio constitutus Psal. quartum, & peruenisset ad hunc versum vltimum, clamabat alto clamore cordis sui. *O in pace! O in idipsum O quid dixit, obdormiam & somnum capiam! Tu es id ipsum valde, qui non mutaris, & in te requies obliuiscens laborum omnium, quoniam nullus alius tecum, sed tu Domine singulariter, in spe constituisti me.* Cui sit honor & gloria, &c. Amen. *August.*

## DE EADEM OBLATIONE Christi Domini in Templo.

### CONCIO II.

*Venit in spiritu in templum.* LVCÆ 2.

Dionys. QVam recte, ac sapienter dixerit diuinus Bartholomæus ( vt Dionysius refert, lib. de mystica Theologia, cap. 1.) *Et plurimam Theologiam esse et minimam, Euangeliumque latum et magnum, rursusque concisum*; ex verbis propositis huius sancti Euangelij potest facilè colligi. Nam si ad literam eorum respiciamus, minima sunt, atq; concisa: si verò ad spiritum, qui in ipsis latet, attendamus, plurima profectò sunt, & lata, atq; latissima. Vt autem pauca ex his plurimis, Spiritu sancto auxiliante, explicemus, sciendum est, tribus potissimum spiritualiter conuenire posse, quòd venerint in spiritu in templum hodierna die; Simeoni, & Christo & Mariæ. Isti enim tres, quamuis diuerso modo, se ipsos obtulerunt oblationem, & hostiam Deo, pro salute populi sui, quos in templum adduxit inspiratio Dei, & zelus Spiritus sancti.

Primus ergo est sanctus senex Simeon, de quo dicitur; *Venit in spiritu in templum*; & priùs dictum erat; *Expectans consolationem Israel.* Tota vita huius sancti viri quasi continuum sacrificium erat ante Dominum pro salute ac redemptione illius populi, pro qua ille totus intentus erat orationibus assiduis, atque vigiliis, atque importunis precibus, & lacrymis postulabat consolationem hanc.
Psal. 18. Dicebat cum Dauid, *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando consolaberis me?* Quasi diceret Domino, Iam præ multitudine lacrymarum quasi deficiunt oculi mei, atque attenuantur, desiderantes videre Filium tuum, Verbum tuum, salutare tuum, nostramque salutem & consolationem. Quando videbo consolationem hanc populi mei, quã tantummodò in hac vita desidero, & meam consolationem

tionem reputo? *Fiat misericordia tua, vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo.* Hanc misericordiam fac cum seruo tuo, vt consoleris me, iuxta promissionem tuam, & responsum, quod à Spiritu sancto accepi, hac singulari consolatione, vt videre merear Christum Dominum, ac eum teneam: sic enim adimplebis me lætitia cum vultu ipsius, complebis desiderium meum, absterges ab oculis lacrymas, cessabunt suspiria, & gemitus conquiescent. Erat *homo iste iustus & timoratus, et expectans consolationem Israel. Bene iustus* inquit Ambrosius, lib. 2. in Lucam, *qui non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse vinculis corporeæ fragilitatis exsolui, sed expectans videre promissum.* In hoc consistit perfectio iustitiæ, & charitatis, quod homo non tam quærat commodum suum, quam Dei gloriam, atque animarum salutem, & commune bonum totius populi. Sic Paulus ad Corinthios dicit, *Charitas non quæ it quæ sua sunt.* Et Augustinus exponit in Regula tertia, & epistola 109. *Quia communia propriis, non propria communibus antepomit.* Hoc enim est viri iusti proprium (quod Ambrosius docet, libro 1. Officiorum, cap. 25.) quod *communia pro suis habet, sua vero pro communibus.* Itaque tunc sibi commodum acquirere & lucrum existimat, cum commune bonum, Dei honorem, animique salutem omni studio procurat. Propter hoc viri sancti & iusti viuunt in terra patienter sustinentes vitæ huius miserias, & exilium, quemadmodum Paulus ad Philippenses dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo: permanere autem in carne necessarium propter vos.* Non dubium, quin Diuus Paulus grauissime ferret tam longum exilium, inter tot labores, ac persequutiones, & mala, quibus quotidie afficiebatur: sed omnia illa libenter, ac læto animo sustinebat propter fidelium salutem, & Ecclesiæ, atque Euangelij dilatationem. Hoc erat sacrificium, quod Paulus in spiritu offerebat Deo, omnem vitam suam impendendo, aque consumendo pro gloria Dei, & animarum salute. Vnde & ad Corinth. dicebat. *Ego autem libentissime impendam me ipsum, & superimpendar ipse, pro animabus vestris.* Multis verbis commendat Chrysostomus, homilia 1. de laudibus Pauli, sacrificium, atque oblationem ipsius: *Non*

*Ambros.*
*1. Cor. 13.*
*August.*
*Ambros.*
*Philipp. 1.*
*1. Cor. 12.*
*Chrysost.*

*vna tantum est*: inquit, *siquidem semetipsum per dies singulos immolabat. Nam et ad pericula iugiter parabatur consummans voluntatem martyrij, et naturam in se mortificando carnis, nihil minus quam immolatæ hostiæ Deo munus implebat, & quia semetipsum conseruauerat Deo, etiam orbem*
Philipp. 2. *vniuersum studuit offerre, qui omnem prorsus, quæ sub cælo est, regionem quasi volitans circuiuit, vt ex hominibus Angelos faceret, quibus propterea lætissimo animo dicebat, scribens ad Philippenses: Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.* Eodem spiritu charitatis & iustitiæ, dicebat ad Cor.
1. Cor. 15. *Quotidie morior pro vestra gloria, fratres.* Non solum quia ex incredibili zelo animarum quotidie quasi moriebatur: sed etiam quia pro gloria Dei, & Ecclesiæ, ac fidelium, innumeros labores, & pericula patiebatur, ita vt omnis eius vitæ cursus quasi continuatum sacrificium, & martyrium esset. Hic erat spiritus Pauli, qui hoc modo iustus erat, vt vellet viuere propter consolationem, ac reparationem totius populi Christiani,
1. Cor. 10. non quærens quæ sua erant, sed quæ Iesu Christi, & Ecclesię: quemadmodum alio loco ad Cor. scribit: *Non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

Talis erat noster iustus Simeon senex, qui propter salutem populi veniebat in templum in spiritu charitatis, non sibi soli quærens, quod vtile erat, sed quod toti populo, cuius causa tam læto animo & constanti tolerabat senectutis incommoda, & huius vitæ labores, imo vero optabat, incolatum vitæ suæ prolongari, & multiplicari laboriosos dies ac noctes, donec videret in terra Filium Dei natum pro salute mundi: & cum Dauid dicebat Deo. *Propter eloquium tuum viuifica me.*
Psal. 118. Ambros. D. Ambrosius, super Psal. 118. sermone 20. versu 2. docet, hæc fuisse verba sancti Simeonis, optantis adhuc longioris vitæ spatium, donec videret Verbum Dei incarnatum, & natum, ipsumque susciperet in templo, ac manibus teneret, nollens prius è vita discedere, quam videret consolationem, & redemptionem Israël. *Alius* (inquit Ambros.) *propter diuitias viuere cupit, alius propter filios, hic propter verbum Dei viuifi appetit, sicut Simeon Domini expectauit aduentum, Vnde et Dominum accipiens in templo, ait, Nunc dimitte*

*seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum asserens viuendi sibi cupiditatem aliam non fuisse, nisi vt Christum videret. Denique vidit, & vinculis solui corporis postulauit.* Hæc Ambros. Hic ergo erat homo iustus, & expectans consolationẽ populi Israël, hic amator fratrũ, qui multũ orabat pro populo, & vniuersa sancta Ecclesia, & qui desiderabat à consortio sanctorum, qui in sinu Abrahæ quiescebant, relegatus esse propter bonum & salutem populi: nec dubitabat, quamuis senex, ac plenus dierum, importunis precibus, ac longanimi expectatione, & sibi, & posteris prouidere remedium, quod mundus expectabat à Deo suscipere in medio templi sancti sui.

Hunc eundem spiritum sancti Simeonis habebat, & Paulus, qui ad Romanos scribit. *Optabam ego ipse, anathema esse à Christo pro fratribus meis:* & vt docet Chrysostomus, libro. 1. de compunctione cordis, & Diuus Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 8. ad primum, optabat ad tempus peregrinari à Christo, & exul esse à cœlesti patria, laboresque huius vitæ plurimos sustinere, vt plures animas ei lucrifaceret, fidem dilataret, ac nomen Domini per totum orbem gloriosum efficeret. Tales sunt viri iusti & sancti, qui veniunt in spiritu in templum Domini, quod est eius Ecclesia, sicut & S. Simeon *venit in spiritu in templum*: vt discamus nos, eorum exemplo, non quæ nostra sunt, quærere, sed quæ Iesu Christi, sed quæ proximorum, & proprias commoditates, non temporales tantum, sed etiam spirituales si opus fuerit, obliuisci propter Dei gloriam, & communem populi salutem. Nam teste Salom. in Prouerbijs: *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.* Quanto ergo magis iustus erit, qui pro Dei honore, ac spirituali commodo animarum proprias vtilitates, seu damna propria neglexerit?

*Rom. 9.* *Chrysost.* *D. Thomas.* *Prou. 12.*

Secundus homo iustus, qui hac die venit in spiritu in templũ, est puer Iesus, quem parentes eius induxerunt in templum, vt S. Euangelium dicit, de quo antea S. Malachias prophetauerat: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Hæc erat consolatio Israël, quam expectabat S. Simeon. Erat enim ille Primogenitus Dei, & Virginis *Malach. 3.*

qui veniebat in templum, vt redimeret genus humanum, non vero vt ipse redimeretur aliquo pretio, sicut alij primogeniti hominum. Vnde in Exodo Dominus dixit: *Omne primogenitum hominis de filijs tuis, pretio redimes.* Notanter dixit: *primogenitum hominis de filijs tuis,* vt exciperet ab obligatione huius legis Primogenitum Patris, & Filium Dei, atque vnigenitum Mariæ Virginis. Hic enim non poterat ista lege teneri tanquam qui de cœlo veniebat, vt redimeret, & saluum faceret populum suum. Cæteri omnes redimebantur: quia nemo eorum, non solum alios, sed nec se ipsum redimere poterat. Vnde Michæas Propheta dicebat. *Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo: fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Quasi diceret: Minime gentium. Omnes enim peccauerunt, & indigent redimi diuino pretio illius Primogeniti Patris æterni, & vnigeniti Mariæ Virginis. De quo non sine singulari mysterio dicitur: *Venit in spiritu in templum.*

*Exod. 13.*

*Mich. 6.*

Ab ipso exordio Incarnationis Christi, quo Verbum caro factum est, verum habet hæc Euangelica sententia de Christo, quod *venit in spiritu in templum* suum. Quod templum fuit sacratissimum corpus eius, iuxta quod Euangelista Ioannes dicit: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Cyrillus lib. 1. super Ioannem, cap. 34. & lib. 12. Thesauri, cap. 15. docet, propterea corpus Christi vocari templum Filij Dei, quia in eo per Incarnationem voluit habitare, iuxta id quod Paulus dixit ad Colossenses: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Vbi corporaliter dixit: quoniam, sicut docet S. Leo, sermone 10. de Natali Domini, *Totum corpus implet tota diuinitas: Et sicut nihil deest illius maiestatis, cuius habitatione repletur habitaculum: sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum.* In hoc ergo templum venit, & intrauit Primogenitus Filius Dei per Spiritum sanctum, quando ipse Deus Pater introduxit Primogenitum suum in orbem terræ, vt humanum corpus assumeret, in quo offerri posset, & sacrificari pro redemptione humani generis: atque in ipso sui ingressus exordio in templum sanctum suum seipsum obtulit æterno Patri oblationem, & hostiam pro salute mundi quam præstare non potuerunt obla-

*Ioan. 2.*
*Cyrillus.*

*Coloss. 2.*

*Leo.*

tiones & hostiæ sacerdotum, qui antea venerant in templum, quamuis venissent in spiritu fidei, & expectassent consolationem Israël. Hoc Apostolus docet, ad Hebræos scribens; *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Corpus intelligit sanctissimum, quod opere Spiritus sancti formatum est in vtero S. Mariæ Virginis: corpus mortale, ac passibile, vt esset aptum ad oblationem, & sacrificium pro peccato totius mundi: Et subdit Paulus. *Tunc dixi, Ecce venio, vt faciam, Deus voluntatem tuam.* In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Itaque primus Filij Dei ingressus in templum, & prima eius oblatio, fuit in vtero sanctissimæ Virginis. Ibi primo se obtulit æterno Patri oblationem, & hostiam salutarem, & toto processu vitæ suæ continuauit oblationem hanc, quousq; consummaret illam moriens in cruce. Vnde & Paulus postea subdit: *Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Vna sola oblatione, quæ initium habuit in vtero Virginis, & manifestata est, atque continuata in ista die in templo, & brachijs sancti Simeonis, ac denique in cruce consummata, vbi etiam nostra sanctificatio, & redemptio consummata est. Quod vero aduentus iste, & introitus in templum, fuerit, in spiritu, idem Paulus dicit, eadem epistola ad Hebræos. Ait enim de Christo: *Per Spiritum sanctum se ipsum obtulit immaculatum Deo.* Spiritus sanctus traxit Verbum diuinum in templum sanctum sacratissimi corporis sui, in quo cœpit se ipsum exhibere oblationem voluntariam & hostiam Deo. Idem spiritus adduxit illum hodierna die in templum Hyerosolymitanum, vt manifestaret se sancto seni Simeoni, atque in eius manibus poneret consolationem Israël, simulque remedium, ac pretium redemptionis totius mundi. Hac de causa, statim vt accepit eum in vlnas suas iustus Simeon, dixit: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Quasi diceret: Iam ex nunc, Domine, incipies dimittere seruum tuum in pace: siquidem offerri etiam cœpit pro debito peccati nostri salutare tuum, quod est Christus, in pretium simul, & redemptionem.

Heb. 10.

Heb. 9.

Prius enim quàm Dei Filius cœpisset se ipsum offerre hostiam Deo pro peccato mundi, laborabant sancti Patres, atque afflicti erant, & oppressi ingenti debito, quod contraxerant culpa primi hominis; quod quidem debitum nullius hominis pretio, aut placatione, poterat exsolui. Vnde & Dauid de quocunque
Psalm. 48. homine, præter Christum, dicebat, *Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ*. At vbi Christus Dei atque hominum mediator, in templum cœpit offerri, vt esset pretium illud magnum nostræ redemptionis, tunc etiam & sancti Patres cœperunt in pace quiescere: sicut & Sanct. Simeon iam se in pace à Deo dimitti affirmabat. videns offerri Deo in illo templo & suis manibus, summum pretium redemptionis, non solum animæ suæ, sed etiam totius mundi. Propterea in spiritu benedicebat Dominum
Ambros. dimissus in pace: & spirituali gaudio plenus fortasse similia verba diceret his, quæ dicit Ambrosius super illum locum Psalmi 48. *Quæ maior hostia? Quod præstantius sacrificium? Qui melior aduocatus, quam qui pro peccatis omnium factus est deprecatio, & animam suam dedit pro nobis redemptionem.*

Sed iam veniamus ad sacratissimam Mariam Virginem, & videamus, an ipsa etiam venerit in spiritu in templum, vt offerret hostiam, & oblationem suam, pro redemptione hominum Meritò de ipsa etiam dicitur, *Venit in spiritu in templum*. Mirabilis reuerà fuit Spiritus feruentissimæ charitatis, & zelus salutis mundi, quo sacra Virgo Maria, hodierna die venit in templum, & Filium suum primogenitum obtulit Deo sacrificium matutinum, sciens quòd illum offerret Deo Patri, vt postea ipse semetipsum offerret in cruce sacrificium vespertinum, in redemptionem, & hostiam pro peccato totius mundi. Et quamuis in hac oblatione Filij inciperet ipsa summum quendam dolorem cordis sentire, & pati: vicit tamen in ea spiritus fortitudinis, ac pietatis: vicit amor salutis humanæ, atque obedientia ad Deum, vt sui doloris, ac laboris oblita, primogenitum suum offerret Domino immolandum pro salute, ac redemptione to-

tius populi. Possemus profectò de Maria Matre Iesu offerente Filium suum in templo id dicere, quod de Deo Patre dicebat Paulus, ad Romanos scribens. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quid enim aliud fuit offerre illum pro nobis in templo, quàm non ei parcere, sed pro nostra salute tradere offerendum, atque immolandum, & crucifigendum? Abraham absque dubio, magno spiritu fidei, atque obedientiæ, venit in Montem visionis, vt Filium suum vnigenitum offerret Deo, atque immolaret: filium suum, quem vnicè diligebat, & in quo vno repositam habebat omnem spem posteritatis suæ, & sicut Paulus scribit ad Hebræos, *Vnigenitum offerebat, in quo acceperat repromissiones.* In Isaac enim acceperat à Deo repromissionem, quòd futurus esset pater multarum gentium sed, ad vnam Domini iussionem, offerebat illum morti, euaginabat gladium, quo & animam suam transfigeret, & filium immolaret in holocaustum ipsi Domino. Sed multò maior, atque excellentior fuit spiritus fidei, & obedientiæ, quo Beata Virgo Maria hodie venit in Hierusalem, quæ est Mons visionis, in quo verus Isaac visus est à S. sene Simeone, etiam corporeis oculis, sicut ipse dixit: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Ibi obtulit Filium suum vnigenitum, quem summè diligebat, immolandum in Monte visionis pro salute mundi, & vt pateretur, ac moreretur, non inter brachia Simeonis, sed extentus, & confixus inter brachia sanctæ crucis. Neque verò gladius defuit sanctæ Virgini, acutior, ac penetrabilior, quàm fuit gladius Abrahæ. Sic enim dixit ad Mariam matrem eius S. Simeon in spiritu. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Bernardus, sermone de Verbis Apocalypsis. 12. gladium, hoc loco intelligit summum dolorem, qui Mariæ animam penetrauit toto tempore, quo Christus in terris passus est, potissimùm verò tempore passionis, & mortis: siquidem omnium earum passionum socia fuit, & particeps Sanctissima Virgo. Aut, sicut docet Ambrosius, lib. 2. in Lucam, intelligit ipsam Mariæ prudentiam, non ignaram huius mysterij cœlestis. Habebat enim

*Roma 8.* *Genesi. 22.* *Hebr. 11.* *Luc. 2.* *Bernard.* *Ambros.*

prudentissima Virgo perfectissimam cognitionem, viuacissimamque intelligentiam, totius vitæ Christi Filij sui, omniumque dolorum, ac laborum, quos passurus erat in carne pro salute mundi: atque iste erat acutissimus gladius, qui animum eius penetrabat, ita vt omnis Mariæ vita, sicut & Christi, continuum sacrificium, siue martyrium animæ fuerit vsque ad mortem. Quòd si iungamus simul in hac sacra Virgine ignẽ ardentissimi amoris, quo Filium diligebat, & gladiũ doloris, quo anima eius vulnerata erat, videbimus etiam illam in hoc Filij sui holocausto ignem & gladium portasse perfectiori modo, quàm Abraham.

Sed rogabit aliquis: cur S. Simeon non dixit ad Mariam, *Tuam animam pertransibit*, sed, *tuam ipsius animã?* Quid sibi vult dictio illa, *ipsius?* Nam in sacra Scriptura (vt Sancti Patres docent) non solùm dictio, sed neque iota vnum, aut vnus apex mysterio vacat. Ad hoc primò dici posset, ideo dictum esse, *Tuam ipsius animam*, vt significetur, quòd puer ille, non solùm erat Filius Mariæ secundùm carnem, sed etiam verus Filius Dei secundùm deitatem, creator & Dominus animarum, qui dixit per Ezechielem, *Omnes animæ, meæ sunt.* Christus ergo, qui ex Virgine natus est, ipse fundauit eam altissimus, ipse creauit, atque sanctificauit animam illius. Aut secundò dici posset, quòd cùm proprium sit perfecti amoris, maximè verò amoris diuini, ac supernaturalis, facere, vt hi, qui ardenter se amant, vnum tantùm cor, & animam vnam habeant in Domino (sicut & perfecta amicitia facere solet vnam animam in duobus corporibus, vt Aristoteles docet, 8. Æthicorũ, cap. 4 & 9. & Augustinus 4. Confess. cap. 6.) cùm beatissima Maria Mater Iesu, summo amore Filium suum diligeret, & ipse Filius vnicè Matrem suam amaret, inde proueniebat, quòd anima Christi esset ipsius Matris anima, atque vice versa, anima Matris esset ipsius Filij cor, & anima, atque ex consequenti vniuersæ passiones Christi nihil minus fuerunt, quàm gladius, qui peruenit vsque ad Mariæ animam, & penetrauit illam: siquidem anima eius erat anima illius, qui offerebatur, & patiebatur, magisque erat in Christo, quem amabat,

*Ezech. 18.*

*Arist.*

*August.*

quàm in corpore, quod animabat. Qua ratione rectè Diuus Bernardus, ſermone. 29. ſuper Cantica, interpretari potuit hunc locum, de gladio ardentiſſimi amoris, quo Maria dilexit Chriſtum, & conſequenter ſocia facta eſt paſſionum eius. Sed obſeruandum eſt quod dicit; *Pertrãſibit gladius*, quoniã vniuerſi dolores ac labores Mariæ *tranſierunt*; ſed benedictio & gloria, quã ſuper omnes creaturas obtinuit in templo ſancto, & monte viſionis diuinæ, nunquam tranſibit. Nam regni eius non erit finis, ſicut neque regni Filij eius Ieſu Chriſti. Qui cũ cum Patre & Spiritu ſancto, &c. Amen. *Bernard.*

---

## DE EADEM OBLATIONE Chriſti Domini in Templo.

### CONCIO III.

***Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace.***

LVCÆ 2.

RES Diuinæ, etiam his, qui in myſteriis cœleſtibus contemplandis exercitatos habent ſenſus, comprehenſu difficiles ſunt. Vnde & ſapientes viri periculoſum iudicant, de Deo loqui, & ſilentium magis eligendum cenſent. *Deus in cælo,* *Eccleſ.5.* ait Salomon, *& tu ſuper terram, ideo ſint pauci ſermones tui.* Paucis ergo ſermonibus explicare conabimur ea, quæ reſtant huius diuini myſterij oblationis Chriſti in Templo, & Purificationis Beatæ Mariæ.

*Poſtquam completi ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, &c.* Obſerua, quo pacto Filius Dei ab ipſa infantia fuerit legis æmulator, atque obſeruator, non neceſſitate, ſed ſola volũtate, vt doceret nos humilitatẽ, & obediẽtiã vt *factus ſub lege, eos, qui ſub* *Galat.4.* *lege erant redimeret*, vt Paulus ſcribit ad Galatas. Pre-

pterea & Hieremias dicit: *Bonum est, viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Christus legis iugum
Thren. 3. non solum ab adolescentia, sed ab infantia voluntarie portauit, vt suo exemplo nos doceret, iugum suaue Euangelij humiliter & obedienter quotidie portare.

*Tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, &c.* Propterea etiam oblatus est in Templo Christus, vt templum illud sua præsentia & oblatione sanctificaret, & noua gloria suæ maiestatis illustraret, si-
Aggæi. 2. cut per Aggæum Prophetam dicitur: *Veniet desideratus cunctis gentibus, & replebitur gloria, domus Domini.* Deinde, vt doceat nos modum, quo nos ipsos offeramus Deo, oblatione spirituali. De quo genere oblationis egregie tractat D. Ambrosius lib. 1. de Cain &
Ambros. Abel cap. 10.

*Et vt darent hostiam, secundum quod scriptum est in lege Domini, &c.* Beatissima Virgo, & paupertatis amatrix, coram oculis omnium pauperem etiam oblationem obtulit: at reuera coram oculis Domini, imo & coram oculis Sanct. Simeonis, plusquam omnes mulieres obtulit, quæ erat ditissima omnium mulierum, & benedicta inter omnes. Nam in Leuitico præci-
Leuit. 12. piebat lex. *Offeret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem, pro peccato.* Ipsa autem obtulit Christum agnum Dei innocentissimum, & non solum anniculum; sed vix quadraginta dies habentem à natiuitate sua. Obtulit etiam pullum columbæ eundem Christum, qui de Spiritu sancto conceptus est, & gratia eiusdem Spiritus sancti natus est ex ipsa Virgine, quæ castissima columba est, de qua in Canticis dicitur. *Surge, propera, amica mea, columba*
Cant. 2. *mea &c.* Obtulit etiam turturem, eundem Christum, de quo in Cantico dicitur: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Obtulit autem non pro peccato pueri, quod nullum habere potuit, sed pro peccato totius humani generis. Potuisset enim Sancta Virgo, inducens puerum Iesum, vt sisteret eum Domino, dicere Sancto Simeoni. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

*Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.*

*Et homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel: & Spiritus sanctus erat in eo.* Iustum, & timoratum vocat: vel quia iusti nunquam de se ipsis securi sũt, & de sua iustitia, quamdiu in præsenti vita sunt, quemadmodum optime & diffuse prosequitur D. Gregorius, lib. 20. Moral. cap. 5. De iniustis vero, qui hoc timore Dei carent, recte dictum est per Salomonem, *Sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.* Vel dicitur iustus, & timoratus, quia cautus & solicitus erat in conseruanda iustitia, quam à Deo acceperat, ne propter inanem gloriam perderet acceptam sanctitatem: quam propterea iusti perdere solẽt, quia quamuis iusti sint, tamen plusquam oportet securitatis sibi confidentiam promittunt, & timorati non sunt, & contra callidi hostis insidias cauti, sicut Diuus Gregorius egregie docet, libro 1. Moral. capite. 18. & copiosius libr. 8. capit. 30. Aut etiam dicitur iustus & timoratus, quia viri iusti, quanto magis crescũt in iustitia & charitate, tanto etiam magis crescit in eis timor Domini sanctus, & filialis: quemadmodùm D. Thomas ostendit 2. 2 quæstione. 19. articulo 10. Nec solum timoratus erat, sed etiam expectans consolationem Israel. Nam viri iusti non habent in præsenti vita consolationẽ suam, sed à Deo illã expectant, dicentes cũ Dauid: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Interim vero magis eligunt affligi cum populo Dei, ita vt cum S. Iob dicere audeat *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.* Nam, vt Gregorius ibi docet, libro 7. capite 7. *Ferri paterna correctione desiderant, & dolorem vulneris, medicamina salutis putant, scientes, quod ideo electis suis Deus in hac vita non parcit: vt non parcendo, in æternum eis parcat.* Sic & S. Simeon consolationem perfectam habere nõ poterat, videns afflictionem populi sui, & abesse longè illius consolatorem, quẽ expectabat. Huius sancti viri vox videtur illa: Dauid: *Defecit in salutare tuum anima mea:* & iterum: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuũ* &, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum.* Sanctus enim vir, & timens Deum, ait Ambrosius, in ea verba, serm 11, nescit aliud desiderare nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illũ desiderat, in

Gregor. | Eccles. 8. | Gregor. | D. Thoma. | Psal. 76. | Job. 6. | Gregor. | Psal. 118. | Ambros.

illum totis intendit viribus: & quantò maiori desiderio excitatur anima, cupiens adhærere salutari suo, tātò magis deficit. Ita deficiebat anima, & deficiebant oculi S. Simeonis, desiderantes videre salutare Dei nostri. Propterea quantumuis senex, prouectæque ætatis, optabat adhuc longiores habere dies huius vitæ, donec videret illud lumē oculorum suorū. Fortassis orās diceret Deo cum Dauid: *Vsque in senectā & senium, Deus ne derelinquas me: donec annuntiem brachium tuum generationi, quæ ventura est.* Idem ipse Christus, qui est salutare Dei, quod videre oculis cupiebat, est etiam brachium Domini, quod suis brachiis accipere, & offerre in templo desiderabat, atque vniuerso populo annuntiare, vt sciret, aduenisse iam consolationem, & redemptionem Israel. Et quoniam Spiritus sanctus erat in eo, qui consolator est cordiū, rectè subditur. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Ecce quomodo sanctus senex in afflictione, & tribulatione positus, cœlestem habuit consolationem à Spiritu sancto, qui in ipso erat, & cum ipso in illa tribulatione, quasi de illo diceret cum Dauid in Psalmo: *Longitudine dierum replebo eū, & ostendam illi salutare meum.* Vtrumque enim concessit illi Spiritus sanctus, & longiorem vitam, quam optabat, & certam spem videndi Christum ante, quam ex ipsa discederet. Vnde sequitur: *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, &c. & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum.* Quidni benediceret Deum, & gratias ageret, qui meruit videre oculis, & manibus contrectare Christum Domini, de quo promissionem acceperat à Spiritu sancto? Quidni benediceret Deum, & exultaret in gaudio, lætabundus, & laudans, qui lumen cœli videre meruit, quod multi Prophetæ, & Reges videre cupierunt, nec tamen viderunt? Si sanctus Ioannes adhuc in vtero matris existens, & infans, *exultauit in gaudio*, cum præsentem Christum sensit, quem non videbat, quantò magis exultasse credimus sanctū senē, qui suis oculis, quāuis deficientibus, vidit, non solum diē Christi, sed etiā ipsum Christū vidit, & gauisus est. Bene de ipso prædixit

Psal. 70.
Psal. 90.
Luc. I.

in spiritu Dauid, dicens ad Deum: *Super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Psalm. 20. Nam hodierna die sanctus senex vehementer exultauit, atque lætatus est, viso Iesu, & non est fraudatus à desiderio cordis sui, & petitione orationis suæ. Desiderabat enim Christum videre, qui solus erat desiderium cordis sui, & finis orationis suæ. Et ideò statim vt eum accepit in vlnas suas, exclamauit voce magna ad Dominum, & dixit: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

Quæ, obsecro, bella, quas pugnas, aut lites habebat iste sanctus senex, qui non habebat pacem, sed orabat, vt dimitteretur in pace? Profectò, quia *expectabat consolationem Israel*, hoc est, Christum, qui futurus erat consolatio, & salus Israel: propterea tot annis bellum cum Deo gerebat, atque pugnabat orationibus, supplicationibus, suspiriis, & lacrymis, ita vt nullam haberet requiem, aut pacem, dicente S. Iob: *Nunquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescet?* Job. 39. Hanc pugnam cum Deo habuit Moyses, quando orabat ad Dominum: *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es*: Exod. 4. postulans, vt mitteret Filium suum, qui populum Israël saluaret, non ex Ægypto tantum, sed ab omnibus peccatis eorum saluos faceret eos. Tobias etiam similiter pugnabat cum Deo, inquiens, *Quale* Tobiæ. 5. *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Lumen cœli*, dicebat Christum, quem S. Euangelista vocat, *Lumen ad reuelationem gentium.* Esaias e- Esai. 62. tiam in eadem pugna versabatur cum Deo, non habens vllam requiem, quando dicebat? *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, &c.* Sunt enim verba ipsius Prophetæ (vt D. Hieronymus ibi adnotauit, & explicuit) Hieronym. qui continuas preces ad Deum fundebat, orans vt Saluatorem, ac redemptorem Iesum, mitteret populo suo. Dauid etiam nòn minùs cum Deo pugnabat, cùm dicebat: *Si dedero somnum oculis meis, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino. &c.* Ecce vigilabat totis fere noctibus in orationibus, ac precibus Psal. 131. ad Deum non habens requiem, aut consolationem,

sed cupiens videre Filium Dei, natum secundum carnem, quem illi etiam promiserat Spiritus sanctus. Denique communis vox sanctorum Patrum, qui in hac afflictione, & pugna positi erant, fuit, illa S. Iob: *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.*

Iob. 9.

Gregorius.

*Ante Redeptoris aduentū* (ait Grego. lib. 9. moral. c. 15.) *pœnam suam electi omnes habuerunt, quia æstuante desiderio Incarnationis eius, mysterium videre cupierunt, ipso atteste, qui ait, Multi Prophetæ, & iusti voluerunt videre quæ vos videtis. Pœnæ itaque innocentum sunt, desideria iustorum. Et quousque electorum suorum vota Dominus non compatiens distulit quid aliud quam innocentum pœnas risit? Ridere enim Dei est humanæ afflictioni nolle misereri.*

Hanc sanctorum Patrum pugnam, seu luctam cū Deo vsque ad sanctum senem Simeonem, mirabiliter præsignauit illa lucta Iacob cum Angelo, quæ narratur in Genesi, Vbi habetur, quòd Iacob tota nocte luctabatur cum Angelo vsque mane dixitque ad eum Angelus: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Et respondit, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco, & dixit Iacob, Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ipse vero claudicabat pede.* Iacob, qui tota nocte luctabatur cum Angelo, ipse est S. Simeon, qui postremus sanctorum Patrum veteris legis (quæ tota fuit nox, & vmbra) luctabatur cum Filio Dei, orationibus, suspitiis, & lacrymis, orans illum, quem videre non poterat. Angelus verò, qui cum Iacob luctabatur, Filius Dei erat, de quo dicitur per Malachiam: *Veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Venit, vt luctaretur cum Simeone. Propterea enim brachiis eius susceptus est, vt mirabilem illam luctam exerceret. Sed quādiu, obsecro, hæc lucta durauit: Certè donec aurora venit. Adueniente enim sacratissima Maria Virgine in templum, quæ sicut aurora consurrexit, deferens secum solē iustitiæ tunc noster Iacob vidit Dominum facie ad faciē, cùm S. Simeon videns Christum dixit: *Viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum.* Aut certe ideo dixit: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora.* Quoniam Christus, magni consilii Angelus iam manifestari in-

Genes. 32.

Malach. 3.

cipiebat pastoribus, & Regibus, ac deinde Simeoni, & Annæ, iam noua quædam lux, quamuis modica, & velut auroræ, illucescebat in populo Israel, diuinitatis eius, atque assumptæ carnis. Iam Ecclesia Christi velut aurora consurgere incipiebat in illis paucis hominibus, per quos dilatanda erat per totum orbem. Futurum autem erat, vt Herodes quæreret puerum ad perdendum eum: propterea necesse erat, vt dimitteretur à S. Simeone, & vt absconderet se, & fugeret Tyranni persequutoris rabiem. De quo satis congrue dicere possumus illud Iob. *Expectet lucem, & non videat, neque ortum surgentis auroræ*. Expectabat enim impius ille Rex lucem veram, quæ Christus est, vt extinagueret, & nouam auroram surgentis Ecclesiæ, vt destrueret. Sed non vidit miser ille: quoniam Iesus dimissus à S. Simeone, abscondit se, & fugit in Ægyptum, vsque ad obitum crudelis Tyranni. Sed nulli dubium est, quod noster Iacob, Sanctus Simeon, diceret illi magno Angelo noui testamenti: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* & quod ipse Angelus benedixerit eum in eodem loco, & sancto templo, in quo illum videre meruit. Quis autem enarrare poterit, quibus, ac quantis benedictionibus dulcedinis sanctus senex à Christo benedictus sit, qua consolatione cœlesti, quanta lucis & pacis abundantia repletus: Profectò maxime conuenit huic sancto seni id, quod Salomon in Ecclesiastico dicit. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*. Toto tẽpore vitæ suæ vir iste iustus, & timoratus, ac timens Dominum valde, quasi in lucta & in agone fuit, non habens requiem, non habens consolatorem, sed expectans consolationem Israel. At in extremis bene illi fuit, qui Christum videre oculis, & amplecti brachiis inter omnes veteris testamenti Patres solus mereri potuit: & in die defunctionis suæ hic accepit benedictionem à Domino, & misericordiam magnam à Deo salutari suo. Denique sicut Iacob accepta Angeli benedictione *claudicabat pede*: sic noster Iacob sanctus senex, suscepta Christi benedictione, amoris huius sæculi pede claudicabat, firmumque vestigium non ponebat: sed cupiebat dissolui, & in pace dimitti, inquiens; *Nunc di-*

Iob. 3. Eccli. 1.

*mittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* Non solum dimiti postulabat: sed in pace dimitti, ait Origenes, homilia. 15. in Lucam, quemadmodùm & sancto Abrahæ promisit Deus, inquiens: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona* Meritò in pace dimitti postulat, qui hactenus quasi in bello, & pugna vixerat, agens bellum cum ipso Deo pro salute, & pace populi sui. Merito in pace dimitti rogat, qui *necessitate potius, quam voluntate in hac vita tenebatur*, vt Ambros. dicit, lib. 2. de bono mortis ca. 2. & ideo à vinculis carnis dissolui cupiebat, & in libertatem gloriæ filiorum Dei festinare, vt & anima conuerteretur in requiem suam, & esset perpetuo libera. Quæ omnia, vna Christi benedictione, vir iustus, ac timoratus, & Spiritu sancto plenus, plenissimè consequutus est; ita vt meritò possimus de illo dicere cum Dauid: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Vtinam & nobis timentibus Dominum benedicat ipse Dominus, & videamus bona Hierusalem, omnibus diebus vitæ nostræ. Vera enim vita nostra, quæ dies æternos habet, Christus est, lux nostra & pax nostra. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, &c. Amen.

*Origenes.* *Genes. 15.* *Ambros.* *Psalm. 127.*

## DE FVGA CHRISTI DOMINI, & Innocentum nece.

### CONCIO vnica.

***Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.*** MAT. 2.

*Nazianz.*

DIuus Gregorius Nazianzenus, Oratione 38. quæ est In sanctam Christi Natiuitatem, sic dicit: *Hoc dumtaxat ex omnibus, quæ circa Christi Natiuitatem contigerunt, odio habe, ac detestare, puerorum cædem, ab Herode perpetratam. Imo hanc quoque venerare coætaneam Christi*

*Christo victimã, quæ ante nouã victimã, mactata est. Si in Ægyptũ fugiat, alacri animo te ipsũ fugæ comitẽ adiunge. Præclarũ est, cũ Christo persequutionem patiente fugere.* Sic profectò sese exhibuerũt Christo persequutionis Herodianę comites: qui pro iustitia persequutionem pati, agonizare, & mori digni habiti sunt pro nomine Iesu, quem Tyrannus ille crudelissimus, vix adhuc natũ, quærebat non adorare, sed necare. *Innocentes, & recti, adhæserunt mihi. Innocentes* plane qui nullam causam illius crudelissimæ mortis in se ipsis habebant & *recti*, qui vsque ad sanguinis effusionem, prout illa ætate poterãt, Christum dilexerunt, & pro illius amore, & honorẽ, martyrium subierunt, & æternæ vitæ coronam, antequam huius temporalis mala experirentur, adepti sunt Ideo enim illos honorat tam magnifice sancta mater Ecclesia. *Magnificamus martyres*, ait Augustinus serm. 11 de sanctis, *sed præcipue illos, qui, nascente Christo, in ipso exordio, non loquendo, sed moriendo confessi, ad regna perpetua cæteros præuenerunt.* Psal 24. August.

Sed videamus primò, mirabilem hanc fugam pueri Iesu in Ægyptum, vt deinde necem paruulorum consideremus. Vix enim natus erat ex sacratissimo Virginis vtero adhuc ab vberibus matris lac suggens: & tamen persequutionem patiebatur ab impio, & crudeli Tyrranno, à quo ad mortem solicite quærebatur. Vox pueri Iesu clamantis ad Patrem illa mihi videtur, quam Dauid proferebat, inquiens. *Spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero. Ne discesseris à me: quoniam tribulatio proxima est.* Imo & Chrysostomus, hom. 2. de variis in Matthæum, hanc intelligentiam loci insinuat. Quæ maior tribulatio, pueri sacratissimi quam quòd recens natus, & à collo Matris pendens, omni humano subsidio destitutus, cum ipsa Matre paupercula fugere cogatur in Ægyptum, vt persequutoris rabiem declinet, & fuga mortem euadat: Vellem in primis Ægyptum, hac ex parte fœlicissimam, alloqui illis verbis, quibus ad Moab loquebatur Esai. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion.* Emitti postulat de cœlo Dei Filium, Dominum cœli & terræ, qui in assumpta carne esset agnus, tollens peccatum mũdi. Ecce emis- Psal. 21. Chrysost. Esai. 16.

ſus eſt,& de Virginis Matris vtero natus in paupere diuerſorio,&in ſinu ipſi⁹ genetricis vtrūq; fouetur. Quid ergo adhuc quæritur? *Et erit ſicut auis fugiens:* ( ait Propheta ) *& pulli de nido euolantes.* Quaſi diceret. Vix adhuc mater illum ediderat partu mirabili: adhuc nidulo ſuo illū columbæ pullū fouebat tenerrimū:&ſtatim,ac ſubitò,exorta perſequutione,nè capiatur abimpliſſimo aucupe Herode,tam auis mater,quā pullus eius, fugere compelluntur,& de nido auolare, viā Aegypti capere,& in Aegypto ſaluare animas ſuas. Olim, iubente Domino, *Si quis nidum auis inueniſſet, & matrem pullis incubantem:* pullos quidem capere poterat, ſed matrem abire ſinebat, & auolare. At hunc ſacratiſſimū colūbæ immaculatæ nidum, noluit Deus vt inueniret crudelis Herodes, qui tā curioſè illum ac ſolicite quærebat:ſed opportuno tempore admonita ab Angelo, fugit colūba cum pullo,auolat Mater cū Filio,& de nidulo egreſſa fugit in Ægyptum. O felix Ægypte, *Habitabunt apud te profugi mei: eſto latibulum à facie vaſtatoris.* Bene profugos ſuos vocat Propheta,Ieſum,& Mariam,& Ioſeph, ſibi dilectiſſimos,parentes cum pullo,nido relicto,auolantes,& fugiētes: & petit ab Ægypto, vt ſit eorum latibulum à facie Herodis vaſtatoris. *Abſconde fugientes, & vagos ne prodas.* Fugientes, &vagi erant puer Ieſus,& parentes eius, fugientes ab ira Tyranni,&vagi per vias Ægypti: quærentes locum, vbi ſe abſconderent ab ira furoris eius, qui ſanguinem agni immaculati ſitiebat, & pullum columbę immaculatæ capere, occidere, & perdere nitebatur. Propterea fugiebāt, ideo vagi erant, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus,quærentes,quis illos egētes,& vagos, induceret in domum ſuam, abſconderet, ac non proderet crudeli Tyranno. Clamabat etiam in ſpiritu idem Eſaias Propteta. *Occurrentes ſitienti ferte aquam:cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt.* Vbi Septuaginta legunt, *Fugientibus propter multitudinem occiſorum.* Nulli dubium, quin S. Ioſeph ſitiens eſſet, & laſſus à labore itineris,& B. Virgo in eadem fuga ſimiliter eſuriens eſſet, ac ſitiens & diuinus puer iam extunc *fatigatus ex itinere*, eſuriret, atque ſitiret. Meritò ergo clamat S. Propheta ad viros, qui illis in locis morabātur, vt occurrerēt illis egenis vagiſque

*Deuteron.*

*Eſai. 21.*

ac fugiẽtibus, afferentes eis panes ad comedendũ, & aquas ad bibedũ, vt vel modicũ refocillati, ac recreati, celerius in Ægyptũ se reciperẽt: à facie enim gladiorũ Herodis fugiebat, à multitudine Innocentum paruulorũ, qui propter Christũ trucidabãtur. Ad hæserant enim illi, innocẽtes, & recti, vt essẽt socij passionũ eius, flores Martyrum, initia sanctorum: & propterea, vt S. Dauid dicit: *Gladium euaginauerunt peccatores, vt trucident rectos corde*, Sanctos videlicet innocentes. *Psal. 36.*

Ecce primã causam, propter quã fugit Dominus Iesus in Aegyptũ: vt ea fuga pararetur via martyrio sanctorum Innocentũ, quos innocẽs puer Iesus passionum suarum priorũ voluit socios habere, atq; cõparticipes. Nã, vt Petrus Chrysologus ait, ser. 153. *Si nõ fugisset Iesus, haberet eos Synagoga filios, nõ eos haberet Ecclesia martyres.* Sed redẽptor omniũ, qui omnia ab ęterno prędinata, miro ordine & modo, disponebat suo tẽpore, atq; complebat, *Ne vllũ tẽpus esset et absq; miraculo*, ait S. Leo ser. 2. Epiph. *quasi iã diceret, Sinite paruulos venire ad me, noua gloria coronat infantes, & de initiis suis paruulorũ primordia cõsecrabat.* Rectè dicebat Greg. Naziã. hanc sanctorũ Innocentiũ necẽ, detestandã, siue deplorandã esse, & simul venerandã. Si enim ad Herodis, & carnificũ eius crudelitatẽ attendamus, qui paruulos Innocẽtes sine vlla causa morti tradebant, & inter ipsa brachia, & vbera matrum trucidabãt, detestanda sine dubio est, & deplorãda: quẽadmodũ Hieremias in spiritu lamentabatur, inquiens: *Defecerunt præ lacrymis oculi mei: conturbata sunt viscera mea cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi, cũ exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Quis enim posset lacrymas continere? Cuius viscera non commouerentur, cũ videret, paruulos, & lactẽtes in medio platearum trucidari, & ad vbera matrũ portatos, in ipsis earũ finibus, ac brachiis, animas exhalare? *Quos enutriui* (ait) *& educaui, inimicus meus consumpsit eos.* Hostis enim, & inimic9 Christi & Ecclesiæ Herodes impius, illos paruulos occidẽdo consumpsit. Et sicut de Rege Manasse dicitur: *Impleuit Hierusalẽ cruore innocentũ*: sic ille effudit sanguinẽ sanctorũ Innocentũ in Bethleem, & in omnibus finibus eius, mótus ferina rabie in Christũ, quẽ capere volebat ille fur, mactare, & perdere. sed nõ potuit quidquã

*Chrysolog.* *Leo.* *Matth. 19.* *Nazianz.* *Threnor. 2.* *Threnor. 2.* *4. Reg. 24.*

cōtra Dei consilium moliri. Si verò ad sanctorū paruulorū fœlicissimas mortes attendamus, omni honore, & summa veneratione dignissimas iudicabimus, per quas
*Chrysolog.* ante cœperunt cœlestem æternamque vitam possidere quam vsum præsentis habere potuissent. *Fœlices illi* (ait Chrysologus, serm. 152.) *quibus dedit, ante triumphare, quam viuere, ante cœlum possidere, quàm terram: fœlices, qui ante cœperunt sanguinē fundere, quā lac perpotare ex vberibus: fœlices quorum crimen fuit propria innocentia, & Christi gloria.* Et vide, quàm optime hæc duo significa-
*Chrysost.* uit nobis sanctum Euangelium, quando dicit: *Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt.* Chrysostomus, homil. 3 de variis in Matth. docet, Rachelem Ecclesiam Dei repræsentare. *Sed duo, diuersa,* inquit, *in ea conspicio, quod flet quod consolari cōtemnit. Si enim fleuit cur consolari contempsit? Aut si noluit consolari, cur fleuit?* Et respondet ipse. *Conditio à matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationis indicit: plangit affectus, sed fides exultat: deflet humanitas, sed deuotio consolatur. Noluit consolari, quia non sunt* quia iam in labore hominum, & vitæ huius calamitatibus
*Hilarius.* non sunt: sed cum Christo regnant in æterna vita, & requie. *Consolatio* autem ait Hilarius, Canone 1. in Matth.
*Iosue. 8.* *rei amissæ erat præstanda, non auctæ.*

Sed quoniam noster Iesus hodierna die, velut alter
*Chrysolog.* Iosue, *metum simulans fugit per viam solitudinis* in Ægyptum, & vt Chrysologus dicit, sermone. 150. fuga in illo fortissimo virorum, *artis fuit, non timoris, sacramenti*
*Leo.* *fuit, non pauoris*: videamus aliam secundam causam, propter quam fugere voluit in Ægyptum. Diuus Leo, sermone 3. Epiphaniæ, ideo fugisse dicit, *vt Hebrææ gentis antiqua cunabula repeteret, & principatum veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate disponeret, & famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ, cibus rationis, auferret, nec sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in qua primum occisione agni salutiferum signum crucis, & Pascha Domini fuerat præformatum.* Olim, exorta fame, tanta cura Dominus populum Israël seruauit, vt in Ægyptum confu-
*Psal. 104.* gere fecerit, atque illa fuga Ægyptum ipsam honorauerit, & Israëlitas vehementer multiplicauerit, atq; di-

tauerit. *Intrauit Israel in Ægyptum* (ait Dauid) *& Iacob accola fuit in terra Cham: & auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius.* Eodem modo noster diuinus Iacob animarum Ægypti cupidus, & vt earum tenebras illuminaret, errores depelleret, Idola, & simulachra tolleret, veramque fidem ac religionem statueret, & Christianum populum conderet in Ægypto, augeret, atque ditaret mirabiliter, mysterio potius, quā metu, in Ægyptum fugit: vt hæc & alia mirabilia, & magnalia, faceret in ea. Vide autē, quid olim dixerat Dominus ad Iacob. *Descende in Ægyptum, & faciam te in gentem magnam. Ego descendam tecum.* Quasi diceret. Ego quoque tecū descendā, opportuno tempore, in carne tua, homo factus, vt sim Ægypto in salutem, & producam in ea gentem sanctitate, & virtutibus magnā. Compleuit sane sua fuga Dominus Iesus, quod olim etiam Esaias prophetauerat, inquiens. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* D. Ambrosius super Psalm. 118. sermone. 5. per hanc nubem leuem intelligit Beatissimam Virginē Mariam, super cuius brachia gestabatur paruulus Iesus cùm fugeret in Ægyptum. *Nubes leuis* libera prorsus ab omni peccati pondere, Virgo purissima, non homini placēs, sed Deo soli, quæ de Spiritu sancto concepit, eiusque sola gratia peperit Filium Dei. *Nubes leuis*: quia cū omni festinatione, cum mira velocitate, vt nubes volauit & sicut colūba deferens in Ægyptum pullum suum, sicut auis fugiēs, vt saluū illum, ac incolumē ab ira Tyranni seruaret, à Spiritu S. edocta illa, multò melius, quā Ioseph ab Angelo. Et quemadmodū Helisæus, lib. 4. Reg admonuit Sunnamitidē (apud quam hospitio suscipiebatur, & cui sterili filium sua oratione dederat, & mortuum suscitauerat) vt famis tempore fugeret cum filio suo, & peregrinaretur, multò melius Spiritus S. qui hospes erat B. Virginis, in cuius anima semper mansionem habuit, & cui, seruata virginitate, filium donauit, non oratione, sed propria virtute sua, admonuit eā, & hortatus est, vt Herodis persequutione sæuiente, in tanta etiā animarum fame, qua puer Iesus premebatur fugeret in Ægyptū, vt ibi satiaret eā, & multò plura mirabilia, & magnalia faceret, quā olim in per-

*Genes. 46.*

*Esai. 19.*

*Ambros.*

*2. Reg. 8.*

ſequutione Pharaonis fecerat Vnde ſequitur in Eſaia. *Et commouebuntur ſimulachra Ægypti a facie eius.* Chriſto enim intrante Ægyptum, ſimulachra illa gentium, & dæmoniorum, conturbata ſunt, & commota. Videbant enim inſtantem ruinam ſuam ad Chriſti ingreſſum, qui veniebat illuminare tenebras Ægypti ſua luce, & in cordibus hominum illuceſcere, & veræ fidei claritatem diffundere, idolatriæ cultum, & dæmonum aras demoliri, & ab erroribus cunctis animas illas auertere, quas quærere, & ſaluare veniebat. Et ſicut olim apud Philiſthæos, intrante arca Domini in templum Dagom, ſtatim corruit Idolum ante arcam Domini, & confractum iacuit in terra, ita etiam, intrante Ægyptum Maria Virgine, arca ſanctificationis Domini cum ipſo Domino, ac vero Deo, quem geſtabat in ſinu ſuo, mox omnia Ægypti ſimulachra cõmoueri cœperunt, & corruere ante faciem eius: quaſi dicerent: *Quid nobis & tibi Ieſu Dei? Veniſti ante tempus perdere, & torquere nos?*

*1. Reg. 5.*

*Matth. 6.*

Sequitur: *Et cor Ægypti tabeſcet*, vel ſecundum aliam Lectionem, *deficiet.* Tabeſcet quidem zelo fidei, & diuini cultus, tabeſcet videns impios, & præuaricantes in verum Deum, & conſiderans animarum perniciem. Deficiet cor Ægyptiorum ab infidelitate, ad veram Dei agnitionem, ab amore mundi ad veram dilectionem Conditoris ſui: & illuſtratum à ſole iuſtitiæ Chriſto, atque à Spiritu ſancto calefactum, & liquefactum, dicet cum Dauid: *Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

*Pſal. 72.*

Deinde ſubdit Propheta. *Et concurrere faciam Ægyptios aduerſus Ægyptios, & vir pugnabit contra fratrem ſuum, & contra amicum ſuum.* Iam Euangelicam vitam in Ægypto inchoandam præuidebat, authore puero Ieſu cum Maria & Ioſeph, ſocijs illius perfectiſſimi ſtatus Euangelici, de quo in Euangelio poſtea dixit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium, &c.* Quod iuxta intelligentiam Hieronymi ſuper Michæam, cap. 7. & Gregorij Nazianzeni, Orat. 39 quæ eſt in ſancta lumina iuxta expoſitionem Nizetæ Cretenſis, & aliorum Patrum, ſignificat diuiſionem futuram hominum in terra per gladium Euangelij, & ſermonis fidei cum ſeparabitur pater fidelis à filio infideli, & filia à matre, nurus à ſocru: ita vt pro amore Chriſti, & fide eius,

*Matth. 10.*
*Hierony.*
*Nazian.*
*Nizetas.*

si opus sit, filius consurgat aduersus patrem, & filia aduersus matrem, & inimici fiant adinuicem, & contra se mutuo pugnantes, frater tradat fratrem in mortem, & pater filium, sicut contigisse in Ecclesia legimus propter confessionem nominis Christi & eius amorem.

Prosequitur Esaias, & dicit. *In die illa erit altare Domini in medio AEgypti, & titulus Domini iuxta terminum eius: & erit in signum Domino in terra AEgypti.* Diuus August. lib. de Vnitate Ecclesiæ. c. 14. intelligit de Ecclesia Christi, quæ fuit in terra Ægyptiorum. Et nos accipiamus de ea, quæ per tot annorum curricula, in tam mirabili perfectione Euangelica seruiuit Christo Domino, apud illos sanctos Patres, & nunquam satis laudatos Eremitas, Cænobitas innumerabiles, qui virtutibus & exemplis mirabilibus summam Euangelicæ perfectionis assequuti sunt. Ibi erat altare Domino, in quo sacrificia illi offerebantur, & holocausta, tam corporum per incredibilem abstinentiam, quam cordium per miram obedientiam, & continuam mortificationem; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus cor contritum, & humiliatum.* Ibi erat etiam titulus Domini & signum sanctę crucis illius in sanctis illis, qui in cruce Domini gloriabantur, & quibus mundus crucifixus erat, & ipsi mundo, quasi Christo confixi essent cruci. Vere, sicut Dauid ante prædixerat: *Posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* Signa erant Ægypto Domini, tot Ecclesiæ, templa, ac Monasteria, in quibus relucebat Euangelica vita, religio sancta, ac perfectio Apostolica, & omnium virtutum exemplaria viua, quæ longum esset referre. Prodigia vero dixerim sanctos illos Ægypti, Marcum, Antonium, Paulum, Hilarionem, & alia Ægypti monstra, & prodigia stupenda. Nam, quod viri sancti prodigia soleant appellari, Dauid testis, est, qui de se ipso, cum esset perfectior, dicebat; *Tanquam prodigium factus sum multis.* Et Esaias: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & portentum.* Testis est, & Diuus Ignatius, epist. 1. ad S. Ioan. qui B. virginem Mariam appellat, *Cæleste prodigium, & sacratissimum monstrum.* Illa ergo prodigia erant in campo Ægypti, Eremitarum, & Monacho-

*August.* *Psal. 50.* *Psal. 77.* *Psal. 70.* *Esai. 8.* *Ignatius.*

rum, & sanctorum, quia eorum vita, & mores, atque obseruantiæ regulares, non minus quam prodigia stupenda, & orbis erant miracula, & signa manifesta conuersionis perfectissimæ, & totius vitæ Christi Domini, qui fundator primus extitit Ecclesiæ, & religionis Ægypti. Quamuis enim, teste Cassiano, lib. 2. de Institut. Monachorum, capit. 5. post Christi ascensionem in cœlum Marcus Euangelista primus fundauit Ægypti Ecclesias, & Christianam religionem instituit non dubium est, quod Christus Dominus ipse fuerit in Ægypto fundator Ecclesiæ primus, simul cum Maria & Ioseph, socijs fugæ, & peregrinationis suæ. *Ipse fundauit eam Altissimus:* cuius fundamenta sic posuit, vt postmodum ædificatio constructa cresceret in illos sanctos viros, & magnos, & compleret, quod antea Patriarchæ Iacob pollicitus fuerat: *Faciam te in gentem magnam.* De quibus optime dicit Chrysostomus, homilia. 8. in Matth. *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus agere mortalibus, & populos Martyrum, & choros Virginum & omnem diaboli tyrannidem dissolutam, Christi autem regnum coruscans:* Hæc sunt magnalia, & prodigia, quæ Dominus fecit in Ægypto, & campo solitudinis eius. Isti sunt fructus, quos sua fuga primos in locis illis puer Iesus, seminator bonorum omnium, acquisiuit: vt ex ijs colligamus, non timoris, sed mysterij fuisse, quod fugeret in Ægyptum.

Cassianus.

Psal. 86.

Genes. 46.

Chrysost.

Sed & tertiam causam adhibere solent sancti Patres ob quam à Iudæa in Ægyptum fugit Dominus Iesus: ea est, vt deserendo puniret Iudæos per Gentium fidem. Nam Dominum suum, quem Iudæa fugauerat Ægyptus obsequenter accepit, vt Ecclesiam Synagogæ Iudæis Gentes anteponendas manifestaret. Sed & Innocentes paruulos occidi permisit, vt eorum cæcos castigaret parentes, & innoxios pueros æterna lucis & pacis fœlicitate donaret. Vnde Augustinus, lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos, cap. 5. dicit: *Lugeatis licet, Iudæi, filios vestros, atque plangatis, non illi moriuntur quia à vita suscipiuntur. Vobis irrogatur pœna orbitatis, cæterum illis gloria affertur immortalitatis. Nuntiastis Herodi, vbi*

August.

*occidendus inueniri posset Filius Dei, sed ille filios vestros occidens pro Filio Dei, & vos orbitatis pœna nesciens punit tanquam proditores: & filios vestros Dei facit hæredes. Sic vos irridebat ille, qui habitans in cælo, iacebat in terra, &c. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Merito irridendi, & subsannandi infœlices illi, à quibus recessit, & fugit Dominus Iesus. Hos deplorabat multo magis *Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt. Ideo non admisit consolationem* (Ambrosius ait in prologo Psal. 37.) *occisis paruulis ab Herode: quia nec in aduentum Iesu crediderunt, mensuram sceleris adimplentes, vt & paruulos interficerent, vt inter eos Filius Virginis necaretur, &c. Væ illis* (dicebat Dominus) *cum recessero ab eis.* Sed & væ nobis, si exemplo Christi, & Mariæ, atque Ioseph, non recedimus, à mundi rebus & fugimus eam, quæ in mundo est, rerum omnium corruptionem. Admonente Angelo fugerunt Iesus, & Maria, & Ioseph, Herodis tyrannidẽ quorum imitatores, sancti fugerunt mundi pericula, & mala, secum deferentes Christum, nec ab illo discedentes: *A voce Angeli fugerunt populi.* Atque ideo student viri sancti, expediti esse à rebus mundi, vt ad primam Angeli vocem, fugere possint, omniaque mundana deserere, ne retardari eos contingat, & periclitari. Quam difficile Loth eductus est ab Angelo de Sodomis! Voce, & manu, vix illum trahebant Angeli, & vix extrahebatur à ciuitate. Quam difficile fugiebat, qui dixit: *Periit fuga à me!* Detinebatur enim vinculis passionum, affectionumque suarum, à quibus liberari, & dissolui non poterat. *Decepit multos* (ait Cyprianus, sermone de lapsis, capit. 5.) *patrimonij amor cæcus: nec ad recedendum parati, aut expediti, esse potuerunt, quos facultates suæ, velut compedes, ligauerant. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, &c.* Quod si diuitiarum amor inordinatus has efficit catenas, hos compedes, quales efficient voluptatum ac delitiarum, & sui ipsius inordinatæ concupiscentiæ, & longa iam consuetudine quasi in naturam conuersæ, Augustinus nos docebit, lib. 8. Confessionum, capit. 5. qui dicit: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea*

*Psalm. 2.*
*Ambros.*
*Osea. 9.*
*Esai. 33.*
*Genes. 19.*
*Psal. 141.*
*Cyprianus.*
*August.*

*ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa, facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, &c.* Eant ergo isti, serui peccatorum suorum, voluptatumque mancipia, & amatores, magis quam
Baruch. 6. Dei. Audeo dicere de eis, cum Propheta Baruch, *Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere, & prodesse sibi.* Et nos fugiamus omnia mala miseræ Babylonis, & pericula caueamus animarum, atque cum Maria & Ioseph, Christo adhæreamus, & comites illi nos coniungamus semper, cum illo, ac pro illo patiamur, vt simul etiam cum ipso regnare mereamur, & glorificari. Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c. Amen.

---

## DE MANIFESTATIONE Iesu in templo, anno duodecimo.

### CONCIO VNICA.

*Inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum.* LVCÆ 2.

Eccle. 3. TEmpus Tacendi, & tempus loquendi, sicut nos admonet Salomon sapientissimus. Et merito quidem. Nam teste Gregorio, homil. 11. in Eze-
Gregorius. chiel. *Ille loquitur, qui veraciter nouit, qui prius tacere didicerit. Quasi enim quoddam nutrimentum verbi est censura silentij: & per excrescentem gratiam sermonem accipit, qui prius ordinate per humilitatē tacet.* Qua ratione, & ipse Salomon, non quinquennij tantum silentio seruato cum Pythagoricis, sed toto duodennio tacens, & discens, cum duodecim esset annorum, sedit in Cathedra Dauid sapientissimus, non inter tres tantum, sed inter omnes Reges vniuersæ terræ, cuius sapientiam atque iudicium, vniuersi in viro iuueni admi-

rati sunt. Vnde & ipse dicit in libro Sapientiæ, *Habebo honorem apud seniores iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me. Tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.* Hæc Salomon ille. *Sed ecce plusquam Salomon hic*: qui post duodennij silentium, in medio Ecclesiæ, & seniorum, incipit aperire os suum, audiens primò & interrogans sapientes: quasi non esset ipse, quem impleuit Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus, aut posset discere ab homine, qui docet hominē scientiam. Hic certè est, qui coram senioribus, & sapientibus admirabilis fuit, super cuius prudentia, & responsis, admirabantur, & quo respondente, manus ori suo imponebant, vt potè qui obmutescerent, nec possent aperire os suum: atque illo suo silentio laudarent iuuenem sedentem in medio, & in cathodra seniorum. Sapient. 8. Matth. 12.

Sed & Daniel iuuenis post annorum silentium, & ipse sapientissimus, & in iudicio acutus, à senioribus vocatus est, vt in medio eorum sedeat, & eos doceat sapientiam Dei. *Veni*, inquiunt, *& sede in medio nostrū: & indica nobis, quia tibi dedit Deus honorem senectutis.* Honor senectutis, sapientia, & prudentia est, atque immaculata quædam vita. Hunc honorem Daniel habuit, plenus sapientia, & eruditus scientia, & in quo non erat macula: & propterea in medio seniorum sedit, & illos docuit, & prolato iudicio aduersus impios senes, qui innocentem, & castissimam Susannam condemnabant, admirabilis apparuit in conspectu omniū. Sed ô mirabilis puer Iesu; *Ecce tu sapientior es Daniele, & omne secretum non est absconditum à te!* A nullo eruditus est noster Iesus: non didicit literas: à Deo venit Magister, & Doctor totius sapientiæ, atque iustitiæ. *Ipse solus* (Ambrosius ait, li. 1. officiorum, cap. 1.) *omnium magister, est, qui non didicit, quod omnes doceret.* Hūc aduocarunt senes in templo hodierna die, vt in medio eorum sederet, tanquàm Deus, tanquàm omnium magister, & iudex, vt indicaret eis secreta Dei mysteria: nulla enim ei sunt abscondita: ipsi dedit Deus honorē senectutis, cui omne iudicium dedit, omnem sapien- Dan. 13. Ezech. 28. Ambros.

tiam; imo vero & omnem gloriam & diuinitatem, & coæternitatem illius antiqui dierum, qui nec initium
Psal.81. dierum, nec finem habet. Hic est, qui hodierna die, vt verbis Dauid vtar, *Stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*: sapientes docet, senes instruit, & omnibus in admiratione est.

Sed videamus ex litera sancti Euangelij mirabilem eius sapientiam, & summam in virtute perfectionem. *Cùm factus esset annorum duodecim, &c.* Quoniam teste
Hieronym. Hieronymo, libr.1. Comment. in Ezechielem, cap. 31. duodenarius annorum numerus plenæ consummatæque virtutis est; nulli dubium esse debet, quin & Dominus Iesus formam aliquam suæ perfectionis ostendere hominibus voluerit, & tradere imitandam. Omnis enim Christi Domini actio, nostra instructio, atque ædificatio est.

Obseruandum ergo primo est, quod cum duodecim esset annorum, *r. mansit puer Iesus in Hierusalem: & non cognouerunt parentes eius, &c.* vsque, *In iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Iam docet propter Deum eiusque honorem, renuntiãdum esse parentibus, & amicis,
Mach.12. atque cognatis. Quasi inciperet dicere. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Qui fecerit voluntatem Patris mei, &c.* Omnibus renuntiat, vt voluntati Dei Patris in
Basilius. nullo desit. *Hæc enim est perfecta renuntiatio* (ait Basilius in quæstionibus fuse disputatis, quæstione 8.) *si quis id assequutus fuerit, vt ne parentum quidem ingenito amore moueatur, ne de vita sua quidquam affectus sit omnino, sed cum Paulo crucifixus sit mundo, & ipsi mundus similiter crucifixus sit, &c.* Iesum quærebant inter cognatos, & notos, & non inuenerunt: Et qui perfectè Christum imitatur, de mundo iam non est, carnem & sanguinem nescit, ex-
Genes.5. tra mundum iam cum Deo agit, sicut de Enoch in Genesi dicitur; *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, vel *non inueniebatur, quia transtulit illum*
Hebr.10. *Dominus*, vt Paulus ad Hebræos dicit: Quæ verba tra-
Origenes. ctans Origenes, homilia 27. super Numeros, & Ioan-
Cassianus. nes Cassianus, Collatione 3. cap. 7. sic docet; *Vbi per omnes virtutes iter egerit anima, & ad summam perfectionis ascenderit: transit iam de sæculo & abscedit, sicut Enoch non inueniebatur. Quòd & si videatur adhuc in sæculo esse,*

*qui eiusmodi est, & in carne habitare, tamen non inuenietur. In quo non inuenietur? In nullo actu sæculari, in nulla re carnali, in nullo colloquio vanitatis inuenitur. Transtulit enim Deus illum ab iis, & fecit in regione virtutum.* Filius Dei & hominis puer Iesus, neque cum parentibus, neque inter cognatos inueniebatur: verus ille Melchisedech qui *assimilatus est Filio Dei, sine patre, sine matre, sine genealogia*: vt cum Deo sit, nec patrem, nec matrem comitatur, nec inter cognatos inuenitur. *Hebr. 7.*

Vis scire, quàm separatus fuerit à parentibus etiam ipsis propter Dei Patris gloriam? Mater dicit ei: *Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Tanto enim dolore cordis eum quærebat sauciata, vt sint sancti, qui asserant, tunc impletum esse, quod paulo ante prædixerat illi iustus Simeon? *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et ille respondet. *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quod in his, quæ Patris mei sũt, oportet me esse?* Quasi diceret. In iis inueniendus sum ab his, qui quærunt me: non cum parentibus, non inter cognatos, & notos. *Lucæ 2.*

*Inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, & audientem illos, & interrogantem.* In templo erat vt Deus, & *Dominus in templo sancto suo.* sedens, vt omnium Magister, & iustitiæ Doctor, atque totius sapientiæ, qui omnes quasi in medio sedens docet, atque diiudicat. Sed quia humilitatem exhibere venit, & ostendere, exterius non docebat eos, sed audiebat, & interrogabat. Dignum planè Christo Domino exemplum, quod cum iuuenis esset duodecim annorum, exhibere voluit. In medio Doctorum sedit, sciens scriptum esse; *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, ab ipsis enim disces disciplinam, & doctrinam intellectus.* Et quamuis nihil ab eis disceret, audiebat tamen illos, memor illius concilij Salomonis; *In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Adolescenti loquebatur: cui, etiam in propria causa, vix loqui conuenit, audire autem maiores cum omni attentione debet. Ab auditu incipit fides, incipit & lex. *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est. Prima vox Dei tui* (ait Ambrosius, primo libro Officiorum, cap. 2.) *dicit tibi, Audi. Si audis, custodis vias tuas, &c.* Quòd si sapiens fueris, similiter *Psalm. 10. Eccles. 8. Eccles. 32. Deuter. 6. Ambros.*

audiens, ſapientior eris: nam qui non audit, inſanabilis
Pſalm. 80. eſt. *Non audiuit populus meus vocem meam, & dimiſi eos, &c* Propterea Ieſus cum duodecim eſſet annorum Doctores audit quaſi inſcius, & interrogat, quaſi addiſcens: non quod aliquid poſſet aut neſcire, aut diſcere, ſed vt doceat nos ita facere; quod in multis quaſi inſcij ſimus, & tacentes audiamus ſapientiores nobis, tacentes interrogemus, & quæramus ab eis doctrinam legis, & intelligentiam myſteriorum Dei. Bene nota-
Gregor. uit Gregorius, in Paſtorali. 3. part. Admonitione 26. Ieſum adhuc minorem ætate non docuiſſe in templo Doctores, ſed audiiſſe, & interrogaſſe, vt hoc exemplo ſuo oſtenderet, ne infirmus, quiſque docere audeat, ſi ille puer doceri interrogando voluit, qui Diuinitatis potentia verbum ſcientiæ ipſis ſuis Doctoribus miniſtrauit. Non eſt adoleſcentium munus, alios docere: ſed audire, ſed interrogare maiores ſuos, & diſcere ab eis. Ioannes Baptiſta trigeſimo ætatis ſuæ anno aperuit os ſuum, vt doceret alios: interim vero tacuit, *Eratque in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael,*
Luc. 1. vt S. Lucas dicit. Similiter & Chriſtus Dominus, *Inci-*
Luca. 3. *piens erat quaſi annorum triginta*, quando cœpit prædicare populo pœnitentiam, & regnum cœlorum, ſicut
Nazian. notauit Gregorius Nazianzenus, Oratione 39. vt doceret alios, qui iuniores ſunt ætate, & ſenſu, atque ſapientia, & prudentia, ne temere vſurpare velint docendi munus, ſed in ſilentio & diſciplina, atque oratione patienter expectent maturum tempus, quo alios doce-
Pſalm. 91. re ſint apti. Scriptum eſt enim: *Bene patientes erunt, vt annuntient*: quia per patientiam expectant adoleſcentiores viri, & prudentes, & docti, tempus opportunum loquendi: & interim ſciunt, eſſe tempus tacendi, atque addiſcendi, quæ aliis poſtmodum tradere poſſint. Sciũt
Gregor. enim, quod ſicut bene à Gregorio dictum eſt, libr. 11. Moral. cap. 4. *Infirma ætas, etiam cum recte ſapit, ad prædicandum non debet incaute proſilire.*

*Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Habemus in iis verbis aliud ſingularis cuiuſdam perfectionis exemplum. Dominus enim Ieſus cum illis aſcendit Hieroſolymam in templum, & cum eiſdem etiam deſcendit, & ſubditus erat: vt videas

in Christo ascensum ad diuina pro Dei gloria, & descensum ad humana pro vtilitate proximorum. *Qui descendit, ipse est qui ascendit.* In scala huius vitæ Angeli descendunt, atque ascendunt: sicut Iacob vidit *scalam, Angelos quoque ascendentes, & descendentes.* Ascendunt enim, cum faciem Dei contemplantur, descendunt verò, cum nobis ministrant ad salutem. Sic & Christi imitatores Apostoli, & alij Ecclesiæ Magistri ascendunt, cum alta Dei mysteria speculantur: descendunt, cum humiliter paruulos Ecclesiæ lacte Euangelico nutriunt, vt Augustinus docuit, lib. 12. contra Faustum capit. 26. Ex quibus vnus Diuus Paulus dicit; *Siue mente excedimus Deo, siue sobrij simus vobis.* Ad ea enim duo charitas Christi vrget sanctos, & compellit. Habes etiam ex hoc facto Christi Domini, quam inique agant illi, qui ascendere semper amant, inter Doctores sedere, in medio magnatorum venerari, primum locum tenere in Ecclesia, descendere verò nolunt: præesse curant alijs, subditi verò esse, & humiliari refugiunt, quantũ possunt; obliti plane, quod de Christo Domino dicitur; *Et erat subditus illis*: & quod Apostolus Petrus admonet; *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Ephes. 4. Genes. 28. August. 2. Cor. 28. 1. Pet. 2.

*Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* In corde suo conferebat illa, & conseruabat, vt ipsa Apostolos doceret, & omnes Ecclesiæ fideles. Sacramenta ergo diuinitatis Christi, & assumptæ humanitatis, quæ habet Ecclesia, & fide credit, in corde Beatissimæ Virginis, velut in thesauro quodam infinito, reposita sunt, & quasi in firmissima petra post illam, quæ Christus est stabilita, & fundata. Vnde Salomon dicit, *Fundamenta æterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* Petra solida est cor Mariæ Virginis: super cuius fidem fundata est Ecclesia, & ædificata, & in cuius corde reposita sunt fundamenta æterna mysteriorum fidei nostræ, quæ de Christo Deo & homine reuelata sunt, vt in eo conseruarentur, & ab eo fidelibus communicarentur. Eccles. 26.

*Et Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deũ, & homines.* Quemadmodum Gregorius Nazianzenus docet, Oratione 20. in laudem Basilij, & Cyrillus lib. Nazian. Cyrillus.

10.Thesauri, cap.7. & alij Patres, Christus Dominus, qui plenus omnino erat sapientia,& gratia, & de cuius plenitudine omnes accipiunt sapientiam, & gratiam, nullo pacto in se ipso crescere potuit,nisi ætate corporis tantum: sed proficere dicebatur, quoniam sapientior,& sanctior apparebat, sicut ei placitum erat, ad Dei gloriam,& hominum vtilitatem,& ædificationem. *Cum audis* (ait Cyrillus) *profecisse ipsum sapientia, & gratia, noli putare, quidquam ipsi additum fuisse, qui nullius rei vnquam egere potest: sed quia videntibus,atque audientibus eum, sapientiorem, gratioremque indies se præbebat. Idcirco dicitur profecisse: ita detegendo se ipsum,indies non ipse, sed qui mirabantur ipsum, atque amabant, proficiebāt.* Gregorius Nyssenus,homil.3.in Cantica refert ad profectum Christi in nobis, inquiens, *Qui natus est Iesus qui in iis, qui ipsum susceperunt, diuerse proficit sapientia, ætate, & gratia, non est idem in omnibus: sed pro modo eius, in quo est, quatenus is, qui ipsum capit, est idoneus, talis apparet, aut infans, aut proficiens, aut perfectus, &c.* Apud nos igitur crescit, & in nobis, vt existimo, secundum quod nos crescimus, & proficimus in illo: & sicut Paulus ad Colossenses dicit de verbo Euangelii, quod *fructificat, & crescit:* non quòd in se ipso crescat, sed quia diuersimode in nobis proficit, & crescit, cùm nos proficimus, & crescimus in scientia Dei, & in bonis operibus fructificamus: & Deo per omnia placemus, dignè ambulantes de virtute in virtutem, cum bono profectu timoris Domini, ita etiam ipse Christus in nobis proficit, cum nos in eo proficimus. *Veritatem facientes in charitate* (ait Paulus) *crescamus in illo, qui est caput Christus.* Cum ergo nos crescimus in cognitione, & amore capitis nostri Iesu, ille dicitur crescere, quia in suis amatoribus crescit. Et sicut Ioannes Damascenus lib.3. de Fide, cap. 22. dicit: *Proficientiam hominum, & consummationem in sapientia, & gratia, suam proficientiam faciebat, quod nostrum est, sibi peculiariter ascitcens.*

*Nyssenus.* *Colos. 1.* *Ephes. 4.* *Damasc.*

Habes denique in Christo Domino mirabile documentum, & exemplum, omnibus iustis viris maxime obseruandum, vt nunquam proficere desistant, & crescere in sapientia Dei,& gratia ipsius coram Deo ipso & etiam coram hominibus maxime vero ij,quibus aliorū

cura

cura commissa est, & in sublimitate constituti sunt. De Samuele dicitur, lib. 1. Regum. *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus.* Vbi Gregorius libr. 2. Commentar. dicit, *Profectus conuersationis est, crescere meritis, ire de virtute in virtutem, placere Deo & hominibus, consummatæ perfectionis & magnæ virtutis. Deo & hominibus placet, qui hominibus vtilis est, & Deo deuotus.* Vnde Paulus de se ipso dicebat Corinthiis; *Prouidemus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus:* quia homo deuotissimus Deo, etiam hominibus placens ad ædificationē, admodum vtilis omnibus erat. Et ad Timotheum, scribit; *Profectus tuus, manifestus sit omnibus.* Vir enim sanctus, & aliorum pastor, & Doctor, non solū in seipso proficere debet, & coram Deo crescere, sed necesse est, vt illius profectus aliis innotescat: quatenus ipso proficiente, & crescente apud Deum, crescant homines illius exemplo, & proficiant. De his satis.

*Gregor.* *2. Cor. 8.* *1. Tim. 4.*

§.

SOlent fideles in hoc mirabili opere Christi Domini in templo, quod omnes, etiam sapientes, in admirationem & stuporem adduxit, vocare puerum Iesum, *Puerum perditum.* In qua re illi profectò, nescientes quod dicunt, prophetant, & ipsammet veritatem confitentur. Solet enim perditum vocari, quod non inuenitur, quod errat per insolitas vias, & non sibi vsitatas. Sic enim vocamus ouem perditam, quæ deserto grege domini sui errat per alias vias, & non inuenitur; & pastorem, qui ex amore & pietate illam solicite & anxie quærit, vocare solemus etiam perditum: quo sensu apud Hieremiam habes; *Grex perditus factus est populus meus: pastores fecerunt eos vagari in montibus.* Vniuersi homines nos, vt S. Esaias ait, *sicut oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Et Sanctus Dauid, personam gerens totius generis humani, dicebat Domino. *Errant, sicut ouis, quæ periit: quære seruum tuum, Domine.* Hanc etiam ouem perditam, & errantem, venit Dominus Iesus quærere, & saluare, & ad caulas paradisi reducere. Quare necesse fuit, vt ipse pastor diuinus erraret perditus esset, nec inueniretur. Talem considera hodie puerum Iesum, relictis

*Hierem. 50.* *Esai. 53.* *Psal. 11.*

parentibus, qui redibant in suam ciuitatem: qui quærebatur, & non inueniebatur, quousquè post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum. Quærebat sine dubio homines perditos, & errantes, vt eos inueniret:& propterea ipse non inueniebatur inter cognatos,& notos. Errabat enim quærens errantes homines, & ipse perditus requirens populum perditorum. Olim Ioseph puer, *cùm sexdecim annorum*
Genes. 37. *esset*, ex patris mandato, & amore fratrum, quærebat eos. *Et inuenit eum*, ait Scriptura, *vir errantem in agro. Errantem* dicit; quia errantes fratres quærebat. Non aliter puer Iesus hodiè perditus errat per vias, quærés homines sicut oues errantes, quos fratres suos vocat. *Fratres meos quæro*. Et sicut Augustinus dicit sermon.
August. 81. & Ambros. libr. de Ioseph, capit. 3. *Meritò errabat,*
Ambros. *qui quærebat errantes*. Et quomodò non erraret, qui tam insusitatas sibi vias ambulabat, duras, & asperas? Quæ enim viæ magis alienæ à Filio Dei, & inusitatæ, quam terra, præsepe, templum manu factum, & crux? Viæ hominum sunt istæ, non Dei. *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris*; dicebat Dominus per Esaiam. Viæ Dei sunt cœli beatitudo, glo-
Psalm. 55. ria, æternitas, & maiestas; viæ quidem pulchræ, atque pacificæ: viæ hominum, terra, miseriæ, labores, paupertas, & mors. Propterea igitur errat puer Iesus, diuinus Ioseph, & perditus videbatur; quia de cœlis mandato Patris, & ardens amore hominum, factus homo descendit, & quasi oblitus viarum Dei, vias hominum ambulabat, sibi antea incognitas, atque difficiles. Proptereà venit in templum, relictis parentibus, atque cognatis, & notis, & inuentus est sedens in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans. Quòd si illum interroges, quid quærat; respondebit, *Fratres meos quæro*, vt inueniam illos, vt instruam, vt ad viam veritatis & pacis reducam, & ad Deum pacis. Ideò venit ad templum Dominus templi, vt Doctores illos sua sapientia & prudentia reuocaret ad lucem, & cognitionem Scripturarum, & ad salutis viam, de qua recesserant. Et sicut de Ioseph illo dicit Sanctus Dauid,
Psal. 104. *Vt erudiret principes eius, & senes eius prudentiam doceret*: Sic de puero Iesu intelligamus modò, quòd

audiens illos in templo suo & domo, cuius ipse Dominus constitutus erat à Deo, interrogansque, & ad interrogata respondens, erudiuit principes Synagogæ, & sedens in medio Doctorum, & in illa seniorum congregatione, Doctores ipsos, & seniores, prudentiam de cœlo allatam docuit. Vnde & in Euangelio dicitur: *Mirabantur super prudentia, & responsis eius.*

Iam enim incipiebat effundere thesauros sapientiæ, & scientiæ absconditos, vt homines, quos summè amabat, diuites faceret omnibus bonis suis, quæ superabundantissimè eis tribuit: vt hac etiam de causa vocare illum possimus puerum perditum. Solet enim vocari homo perditus, qui prodigè sua effundit in eos, quos amat, & per excessum magnificus est. Quis verò hoc sensu magis perditus, quam puer Iesus, qui omnia, quæ habuit, effudit in hominem, cui dedit etiam plenitudinem diuinitatis suæ, propter ipsum egenus factus, vt illum ditaret, sanguinem fundens, vt redimeret, nudus moriens, vt adornaret? Ideò cùm adhuc puerulus sanguinem in Circuncisione funderet pro nobis, accepit nomen Iesu, quod est nomen prodigi, & perditi, & effundentis bona sua, imo & se ipsum. Vnde in Canticis Sponsa dicit: *Oleum effusum nomen tuum*, vel secundùm aliam literam. *Vnguentum exinanitum, nomen tuum*. Quod referens Ambrosius, lib. 3. de Virginibus dicit: *Exinaniuit se, vt spiraret tibi: hoc vnguentum erat apud Patrem, olebat tantùm Angelis, descendit Filius Dei, repleta sunt omnia nouo odore Verbi. Ipse Dei Filius in corpore tanquàm in vase odorem primo cohibebat suum, vsque ad tempus, quo effunderet. Venit hora, aperuit os, exiuit vnguentum, quando virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Hac ratione fortasse dicebat per os Dauid: *Factus sum tanquàm vas perditum* Vas perditum esse dicitur, quando totum, quod in eo erat, effunditur, atque exinanitur. Sic profectò vas diuinũ, & admirabile Iesus, plenum diuinitate, plenum gratia, & sapiẽtia, ex amore incredibili sese totum effudit in hominem, vt illum repleret. *Et estis in illo repleti*, ait Paulus. Et iterum: *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* Totus effusus est, & exhaustus, vt homines

*Cant. 1.*
*Ambros.*
*Psal. 30.*
*Colos. 2.*
*Philip. 2.*

repleret bonis suis, quos summe dilexit. *Vt scias* (ait
Bernard. Bernardus, sermone 64. in Cantica) *amoris esse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est* Ad hoc enim vsque adduxit Filium Dei vis amoris, quo dilexit homines errantes, & perditos, quos venit quærere, & saluare, & ad templum sanctum cœlestis Hierusalem perducere: vbi ipse sedet, non iam puer in medio Doctorum, sed perfectus vir, perfectus Deus & homo, in dextera Dei Patris; Cum quo & Spiritu sancto viuit & regnat, &c. Amen.

---

# DE BAPTISMO CHRISTI DOMINI.

## CONCIO VNICA.

*Sine modo, sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam.* MATTH. 3.

Consultò elegimus Euãgelium secundùm Matthæum, iuxta consuetudinem Fratrum Prædicatorum, & non Euangelium ex capite 1. Ioannis, secundùm vsum Romanæ Ecclesiæ; tum quia in Euangelio D. Matthæi apertiùs enarratur historia ipsa Baptismi Christi, & modus ipsius; tum etiam, quia potissimùm intendimus explicare hæc verba à principio proposita, quæ solùm reperiuntur in 3. capit. Euangelij S. Matthæi.

Leo. *Dominus noster* Iesus *Christus* (vt S. Leo inquit, epistola 4. ad vniuersos Episcopos Siciliæ, cap. 6.) *nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodò voluit circuncidi, hostiamque pro se emundationis offerri: vt qui factus erat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret & sub lege, quam non*
Galat. 4. *venerat soluere, sed adimplere, et implendo finire, sicut B. Apostolus prædicat dicens: Finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Hæc S. Leo. Quibus verbis sum-
Rom. 10. matim omnem huius mysterij rationem complexus

est. Christus enim Dominus non aliqua necessitate, sed sola voluntate, venit ad Ioannis Baptismum, vt singulare humilitatis exemplum nobis præberet: qui, cùm esset sine peccato, inter peccatores baptizari, ac reputari voluit. Deinde, vt Ioãnis baptismũ suscipiens, finem illi imponeret; atque in aliũ meliorẽ cõmutaret, commutandoque perficeret, & impleret. Ioannes enim baptizauit aqua, Christus autem baptizaturus erat aqua, & Spiritu sancto, videlicet lauacro regenerationis, & renouationis Spiritus S. Sed veniamus iam ad literam Euangelij.

*Venit Iesus à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo.*

Non potest elegantior excogitari ratio mystica, propter quam conueniens fuit Christum in Iordane baptizari, quam quæ adducitur à D. Tho. 3. p. quæst. 39. art. 4. vt significaretur, quòd quemadmodum fluuius ille Iordanes fuit introitus ad terram promissionis Filijs Israël; sic etiam baptismus Christi, qui hac die initium quoddam accepit, quando Christus à Ioanne baptizatus est, futurus erat introitus in regnum cœlorũ, quod est terra promissionis æternæ. Vnde in Euangelio Ioannis dicitur; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde & apud Esaiam dicitur: *Exultẽt solitudines Iordanis: populus autem meus videbit gloriam Domini, & altitudinẽ Dei.* Maxima enim exultandi ratio data est Iordani fluuio: tum, quia baptizato Christo, populus Israël vidit gloriam Dei, quando aperti sunt cœli, & vox Patris audita est, & Spiritus S. descendit sicut columba in Christum: vt omnibus notum esset, quanta fuerit altitudo, & maiestas illius hominis Dei, ac redemptoris nostri, qui tanta humilitate cordis accessit ab baptismum Ioãnis, quasi vnus ex peccatoribus, & qui indigeret pœnitentia: tum etiam, quia, vt diximus, significabatur per illud baptisma Ioannis, quo Christus in Iordane baptizatus est, initiari nobis introitum in æternam requiem, & hæreditatem, quam promisit Deus diligentibus se. Quòd verò maximè conueniens fuerit, Christum baptismate Ioan. baptizari, multis, & optimis rationibus ostendunt D. Tho. & eius Interpretes in illa qu. 39. artic. 1. & 2. quæ ex S. Patribus sunt col-

*D. Thoma.* *Ioan. 3.* *Esai. 35.* *D. Thom.*

lectæ. Sed præter illas est etiam egregia ratio, quã adhibet D. Ambros. ser. 41. Quòd S. Ioan. Baptista *typum legis gerebat. Iustum ergo erat, vt ipse baptizaret Dominum vt scilicet quemadmodum secundum carnem de Iudæis Saluator est genitus, ita & secundum spiritum de lege Euangelium nasceretur: vt vnde successionem ducebat originis, exinde & traditionem consecrationis acciperet.* Itaque quemadmodum Ioannes Baptista præcursor fuit Christi, vt in Euãgelio dicitur: *Præibis ante faciem Domini*: ita etiã oportuit, vt baptismus Ioãnis præcederet baptismum Christi, essetque quasi præcursor illius: in quo sensu fortasse dixit ipse Ioãnes Baptista: *Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizãs*: atq; adeo oportuit etiã vt Christus susciperet baptismum Ioannis, ante quã instituerer, & prædicaret baptismum suum: vt hoc pacto baptismus Christi à baptismate Ioannis, quod ipse Christus suscepit, initium sumeret.

*Ambros.*

*Luc. 1.*

*Ioan. 1.*

*Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Obseruandũ est primo, quod quemadmodũ dicit Gregorius Nazianzenus, Oratione 39. Christus propterea baptizari voluit à Ioãne, *vt suum baptizatorem sanctificaret*: videlicet vt maiori sanctitate, & ampliori dignitate illum exornaret. Multum enim creuit sanctitas & dignitas Ioãnis ex eo quod baptizauit Christũ, ac tetigit sanctum illud caput, vnde & potissimum apellatus est Baptista, & tamẽ sicut Euangeliũ dicit, *Ioannes prohibebat eum.* Habent hoc cõmune viri sancti, & humiles corde, qui multo magis diligunt Deũ, quã se ipsos, vt in omnibus, quæ agunt, non quærant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Vnde pro Christi honore, & amore, nõ solùm temporalia bona, sed etiã spirituales consolationes, ipsosque Dei fauores pluries contẽnunt, timentes, nè eorum incremẽta honori diuino detrimentũ aliquod inferre possint. Sic D. Petrus in spiritu humilitatis dicebat Christo: *Exi à me quia homo peccator sum, Domine.* Et iterum Christo venienti ad lauãdos pedes eius dicebat: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Similiter & Centurio volenti Christo venire in domum eius, respondit: *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, &c.* Sed hac singulari humilitate, qua propter maiorem Christi gloriam, ipsum Christũ

*Nazianz.*

*Luce. 5.*

*Ioann. 13.*

*Matth. 8.*

quasi proiiciunt à se & prohibent, atque eius beneficia, & fauores suscipere recusant, multo magis ipsum ad se prouocãt, & trahunt, maioraque beneficia apud eũ merentur. Vnde Salomon in Ecclesiast. inquit, *Aduocatus à Principe, discede, ex hoc enim magis te aduocabit.* Quasi diceret viro sancto, & humili, Aduocatus à Christo omnium Principe, beneficijs, honoribus, aut fauoribus, etiã spiritualibus, discede, & fuge per humilitatem, ex hoc enim magis te aduocabit, & maioribus beneficiis dignũ iudicabit, magisque honorabit. *Si vis,* ait Chrysostomus, homilia 38. ad populum, *magna reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat, Non sum dignus, vt intres sub tectum meum: & propterea dignus factus est, & admirationi super omnes Iudæos habitus. Sic & Paulus dicens, Non sum dignus vocari Apostolus, & propter hoc omnium primus factus est. Itidem & Ioannes, Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, & ideo amicus quoque fuit sponsi & manum, quam esse calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat, Exi à me, quia peccator homo sum, Domine, & idcirco factus est Ecclesiæ fundamentũ. Nihil enim Deo tã gratum, quã cum extremis peccatoribus semetipsum connumerare.* Hæc Chrysostomus. Ad eundem modum S. Ioannes venientem ad se Christum prohibebat indignum se reputans, qui eum baptizaret. Sed hac humilitate, excellentiori modo consequutus est dignitatem, quam suscipere recusabat. Et propterea respondit ei Iesus. *Sine modo.* Quasi diceret Iam ex hoc sine, me baptizari abs te: quoniam ista humilitate meruisti esse Baptista Christi, & dum times, neque audes me tangere, dignus effectus es, qui tangas sanctũ Dei verticẽ. Iuxta hanc doctrinam D. Thomas 3. par. quæst. 80. art. 10. ad 3. ex doctrina D. Augustini, epist. 118. ad Ianuarium. c. 3. egregie ostendit, nõ minùs honorare Deũ eos, qui ex timore reuerentiali, & filiali, aliquando abstinent à sumenda sacra Eucharistia, quàm illi, qui ex amore, & desiderio Christi quotidiè, aut frequentius, ad illam sumendam accedunt. Sed quoniam, teste D. Gregorio in Pastorali 1. par. ca. 6. *Illa est vera humilitas, quæ ad respuendũ quod vtiliter præcipitur, pertinax non est.* Sanctus Ioannes, statim vt Christi voluntatem, mandatũq;

Eccli. 13.
Chrysost.
D. Thomas.
August.
Gregor.

cognouit, ministeriũ, quòd ex humilitate recusauerat, ex obediẽtia gratanter suscepit. Imò vero & aqua Iordanis, quæ olim tẽpore Iosue, intrante arca fœderis Domini, fugerat, & cõuersa est retrorsum, modò intrante nostro Iesu, & arca sanctificationis eius, nullo modo fugit, neque cursum retorsit, tũ vt obediẽs esset Christo tũ etiam, vt dignitatem maximã sibi compararet ex cõtactu carnis Christi: ex quo, sicut Augustinus docet, sermone 36. *ipsa aqua lota est, & sanctificata*, atque mysterio baptismatis consecrata, multisque benedictionibus honorata.

Iosue. 3.

August.

Ait ergo Christus Ioanni. *Sine modo, Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Quid autem vocet Christus hoc loco *Omnem iustitiam*, multis, variisque modis interpretari solent sancti Patres, Chrysostom. homil. 4 Imperfecti, Bernardus sermone 4. Epiphaniæ, & 42. & 47. in Cantica Sed ex aliorum Patrum doctrina nos alias nonnullas expositiones colligemus.

Chrysost. Bernard.

In primis *Omnem iustitiam* vocat ipsum baptismũ, qui ante quam Christus à Ioanne baptizaretur, vacuus erat, & inanis: erat enim baptismus solius aquæ: sed Christus ad hoc venit, vt impleret illum, redderetq; plenum diuina virtute ad delẽda peccata, & saluãdas animas. Vnde & ipse Ioannes Baptista dicebat, *Ego baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, ipse baptizabit in Spiritu sancto.* Et Augustinus, sermone 37. de tempore, inquit, *Baptizatur nouus homo, vt noui baptismatis constituat sacramentum.* Tunc enim cõtulit aquæ Christus calorẽ, & virtutem Spiritus Sancti ad regenerandũ, & viuificandum hominẽ, vt renasci posset ex aqua & Spiritu sancto. Contulit etiam illi virtutem crucis suæ, & sanguinis sui, vt delere posset omnia peccata, & iustificare animas, atq; saluare. Vnde in 1. epist. Ioannes dicit, *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, &c.* Ioan. Baptista venit in aqua solũ, qui sola aqua baptizauit homines, quos nec iustificauit, nec redemit. Christus verò in aqua & sanguine venit: qui baptismũ instituit aquæ, sed in quo esset virtus Spiritus S. & simul sanguinis Iesu Christi, vt esset baptismus plenus, & iustitia plena, atq; perfecta ad delenda omnia peccata, & iustificandas animas. Vnde ad Rõ. scribit

Matt. 3.

August.

Ioan. 5.

Paulus, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Quia in baptismo Christi est omnis iustitia mortis Christi & omnis virtus sanguinis eius ad redemptionem, & saluté nostram. Sic ergo Christus Dominus baptizatus à Ioanne impleuit omnẽ iustitiam, quia baptismus ille initium fuit, & origo omnis iustitiæ, & sanctificationis, quæ postea per sacramentũ baptismi dãda erat hominibus Quæ iustitia in lege veteri, infirma erat, & egena, & vacua: sed à Christo impleta est in nobis, vt esset plena, & perfecta iustitia, sicut August. dicit, ser. 6. de verbis Apostoli, exponẽs illa verba Pauli ad Rom. *Misit Deus Filium suum in similitudinẽ carnis peccati, vt iustitia legis impleretur in nobis.* *Roma 6.* *August.* *Rom. 8.*

Sed & alio modo & sensu, intelligere possumus, quod Christus dicit, *Sic decet nos implere omnem iustitiã,* supposita doctrina D Basil. in cõment. super Ps. 7. in illa verba, *Iudica me Domine, secundũ iustitiã meam.* Vbi docet, triplicẽ esse iustitiam. Alia enim est humana iustitia, quæ possibilis est hominib⁹, qui in carne viuunt. Alia est Angelorũ iustitia, quæ humanã superat. Alia est postremò iustitia Dei, quæ omnẽ excedit intellectũ, cum sit omni creaturę incõprehensibilis, & inenarrabilis. Et quidẽ iustitia hominũ in præsẽti vita nõ potest nõ esse imperfecta, & modica, tũ propter carnis fragilitatẽ, & varias tẽtationes, atq; impedimenta, quæ animã detinẽt, & aggrauãt, ne toto conatu feratur in Deũ, tum etiã, quia admixta est culpis, & peccatis, etiã in viris iustis, vt Augu. docet li. 2 de peccatorũ meritis, & remissione c. 13. Vnde Esai. 64. dictũ est, *Quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Quasi diceret, admixtas esse maculis ac sordibus peccatorũ, à quibus nemo mũdus in præsenti vita inuenitur, *neque infãs vnius diei super terra,* vt dicitur apud Iob, secundũ Septuaginta Quo testimonio vtitur Cyprianus, li. 3. ad Quirin c. 54. ad hoc probandum, & Hieronym. lib. 6. comment. super Ezechielem cap 18. Imò verò cũ ipsa humana iustitia nõ sit æqualis in omnibus iustis, sed alia maior, & alia minor in diuersis hominibus hinc est, quòd neque Deus æqualem exigat ab omnibus iustitiam (vt egregiè docet D. Cyrillus. lib. 16 de adoratione in spiritu & veritate) sed eã, quæ consentanea fuerit vniuscuiusque viribus & donis, & quã *Basilius.* *Psal. 7.* *August.* *Esai. 64.* *Iob. 4.* *Cyprian.* *Hieronym.* *Cirillus.*

Lucæ. 12. quiſque habet, ac præſtare poteſt. Nā, vt apud Lucam Dominus dicit, *Cui multū datum eſt, multū requiretur ab eo* Et poteſt vice verſa etiam dici, *Cui minus datum eſt, minus requiretur ab eo*. Vnde S. Dauid dicebat, *Retribuet*
Pſal. 17. *mihi Dominus ſecūdum iuſtitiam meam & ſecundum puritatem manuum mearum*. Non enim in omnibus eſt iuſtitia Petri, aut Pauli, neque in omnibus eſt puritas manuum S. Ioan. ſed longè diuerſa, & propterea Deus ab vnoquoque exigit iuſtitiam, & puritatem ſecundū modum. & proportionem ſuæ virtutis, quam habet ex Deo, & iuxta eandem proportionē vnicuiq; retribuit.

Angelorum vero iuſtitia, quæ humanam ſuperat, multo maior eſt, ex eo quod abſque vllo peccato ſunt, & nullis tētationibus ſolicitari poſſunt, aut laqueis implicari, ſicut homines iuſti, qui in carne mortali viuunt, quemadmodū egregie docuit Auguſt. li. 3. cōtra duas
Auguſt. epiſtolas Pelagianorū, ca. 7. Vbi & aliam excellentiam iuſtitiæ Angelorū ſupra humanā docet: quod iuſti in præſenti vita eſuriūt, & ſitiunt perfectā iuſtitiam, quā non habēt, Angeli vero huius iuſtitiæ perfectione ſunt
Idem. præditi, qui sēper vident faciē Dei, & ſaturantur iuſtitia. Et ſuper 1. Ioan. tractat. 4. ſic dicit, *Iuſtitia modo noſtra ex fide iuſtitia perfecta non eſt, niſi in Angelis, & vix in Angelis, ſi Deo comparētur: tamē ſi qua perfecta iuſtitia animarum & ſpirituum eſt, quos Deus creauit, in Angelis ſanctis, iuſtis bonis, nullo lapſu auerſis, nulla ſuperbia cadētibus, ſed manentibus ſemper in contēplatione Verbi Dei, & nihil aliud dulce habentibus, niſi à quo creati ſunt, in ipſis perfecta iuſtitia eſt in nobis autē ex fide cœpit eſſe ſecundum ſpiritum* Denique
Idem. tantā excellētiam iuſtitiæ Angelorū agnoſcit Aug. ſuper eā iuſtitiā, quā homines habēt in hac mortali vita, vt in ſermone 49. de tēpore, audeat dicere, *Cum fuerit illa iuſtitia, ſecundum quam viuunt Angeli, cum illa iuſtitia fuerit, ibi nulla erit concupiſcentia: iam vnuſquiſque metiatur ſe quid eſt modo, & quid erit tunc & inueniet, in comparatione illius iuſtitiæ, iſta damna eſſe, & ſtercora.*

Cæterum iuſtitia Dei, & Chriſti Domini, in tantum excedit humanam, angelicamque iuſtitiam, vt
Iob. 4. ſi cum illa comparentur, aut iuſtitiæ non ſint, aut certe potius iniuſtitiæ videantur. Vnde apud Iob dicitur: *Nunquid homo comparatione Dei iuſtificabitur?* Vbi

Gregor. lib. 5. Moral. cap. 27. dicit: *Humana iustitia, diuinæ comparata, iniustitia est: quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita, tenebratur.* Dauid etiam dicit Deo: *Iustitia tua, sicut montes Dei* Quoniam altissima est, & maxima, atque infinita. Iustitia vero Angelica, & humana, creata est, & finita, & deriuata ab ipsa diuina iustitia: quæ cum sit vna, omnium aliarum perfectiones in se continet, & in infinitum excedit. Præterea etiam, quia iustitia creata vnicuique homini, aut Angelo, singulariter donatur ad propriam ipsius sanctitatem, & proprium meritum vitæ æternæ. At vero iustitia Dei, fons est, & causa omnis iustitiæ in Angelis, & hominibus: & iustitia Christi, quæ in ipso est tanquam in capite totius Ecclesiæ, ipsa est quæ nobis confert iustitiam, & sanctificationem. Vnde & Paulus ad Corinthios scribens, dicit de Christo: *Factus est nobis à Deo iustitia, & sanctificatio* Et alio loco *Vt nos efficeremur iustitia Dei in illo.* Quæ loca iuxta doctrinam fidei, & intelligentiam sanctorum, indicant, iustitiam Dei & Christi, causam esse illius iustitiæ, quã homines iusti recipiunt, & per quam iusti sunt. Quod inter alios sanctos bene docet Augustinus, episto. 120. ad Honoratum, cap. 30. Et fortassis apud Malachiam Christus vocatur *Sol iustitiæ. Orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ.* Quia quemadmodum sol fons est, & causa cuiuscunque lucis, quæ in inferioribus recipitur, sic & Christus fons est, & causa cuiuscunque iustitiæ, per quam homines iusti sunt, & filij lucis sunt.

Gregor. *Psal. 35.* 1. *Cor. 1.* 2. *Cor. 5.* *August.* *Malach. 4.*

Igitur Christus Dominus solus est, qui in assumpta carne adimpleuit omnem iustitiam. Primo, quia superauit omnem iustitiam hominum, & Angelorum, & attigit ipsam iustitiam Dei, non solum, quia quatenus Filius Dei erat ipsamet iustitia Dei Patris, sicut ipsamet sapientia, & essentia Patris, quemadmodum D. Cyrillus docet, libr. 12. Thesauri, cap. 3. sed etiam quatenus homo habuit infinitam iustitiam, quæ soli Christo, qui Deus homo est, competere potuit: cuius gratia, & sanctitas, etiam creata, in eius anima, infinita iustitia suo modo fuit, vt D. Thomas ostendit. 3. par. quæst. 7. art. 10. & sequentibus. Ha buit etiam infini-

*Cyrillus.* *D. Thom.*

tum meritum, & satisfactionem ex summo iustitiæ rigore. Pro peccatis enim omnium hominum satisfecit, & omnibus sufficienter promeruit vniuersa dona gratiæ, & gloriæ. Præterea secundo, adimpleuit omnem iustitiam, quia omnium hominum iustitiam vniuersam attigit, atque compleuit, & Christi iustitia quodammodo est omnis iustitia omnium hominum. Quemadmodum enim primum peccatum primi hominis quodammodo fuit omne peccatum omnium hominum, quia in illo omnes peccauerunt, & ab ipso tanquam à capite & causa originem habent: cætera omnia peccata & mala, & propterea appellatur omnis iniustitia apud Dauid: *Vt non dominetur mei*, inquit,
*Psal.* 118. *omnis iniustitia*: ita etiam iustitia Christi, suo modo omnium hominum iustitia, siue omnis iustitia est, quia in ipso omnes homines iusti sunt, & ab eius iustitia, tanquam à capite, & causa, dimanat omnis iu-
*Leo.* stitia, & sanctitas, quæ in omnibus iustis reperitur, & participatur. Vnde D. Paulus, ad Romanos scribens,
*Rom.* 5. inquit: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*, &c. Quælibet ergo hominum iustitia, & quodcunque meritum, participatio quædam est iustitiæ summæ, atque infiniti meriti Iesu Christi, qui per baptismum, & cætera sacramenta, nos sui participes efficit, vt de ipsius iustitia multo magis, quam de nostra gloriemur, & vt S. Leo dicit sermone. 4. de Passione: *Non possit nisi esse gloria Christi, cuiuslibet meritum Christiani.* His ergo modis proprium Christo Domino fuit implere omnem iustitiam.

*Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cæli.* In superioribus tractantes de Natiuitate Christi, concione 4. satis ostendimus, quo pacto per aduentum Christi in carne, & eius merita, aperti sunt hominibus cœli, qui antea clausi erant propter peccatum Adæ. Ad eum locum remittimus Lectorem, & ad ea, quæ D. Thom. docet in illa. q. 39. art.
*D. Thomas.* 5. & postea. q. 69. art. 7.

*Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum.* Similiter in Euangelio Ioannis

dicit S. Baptista. *Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* Recte Spiritus Sanctus in columbæ specie descendisse dicitur supra Christum in aquis commorantem. Columba enim amat frequenter residere iuxta aquarum fluenta: quod etiam Spiritu sancto maxime conuenit. Vnde in Genesi de eo dicitur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, quibus tunc (vt Basilius inquit, homil. 2. Hexameron) *vitalem fœcunditatem præbebat:* Et, vt Hieron. dicit, epist. 83. ad Occeanum, *Nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.* Nunc vero super aquas Iordanis fertur, quia Christus in illis erat, sanctificans eas, vt initiaret baptismum aquæ & Spiritus sancti, quo daretur salus, & vita regeneratis per Christum. Similiter etiam in diluuio aquarum multarum, columba ad Noë arcam venit, afferens ramum oliuæ, quod est signum lucis & pacis, non sine magno mysterio huius, quod in Iordane gestum est. *Peccata mundus*, ait Hieronymus, epist. 83. ad Occeanum, *& sine aquarum diluuio non purgatur. Statimque columba Spiritus sancti ad Noë, quasi ad Christum in Iordane deuolat, & ramo refectionis, ac luminis, pacem orbi annunciat. Intelligo mysterium*, ait Ambrosius, sermone. 21. *agnosco etiam sacramentum. Columba enim ipsa est, quæ nunc ad Ecclesiam Christi in baptismo venit, quæ quondam ad arcam Noë in diluuio properauit, tunc illi securitatem annuntians oliuæ ramo, modo huic æternitatem conferens diuinitatis indicio: tunc signum pacis ore afferens, modo ipsa pacem Christum sui substantia superfundens.* Plures alias, & egregias rationes huius facti adducit D. Thom. in illa quæ. 39. art. 6. ad 4. diffuse. Sed & aliam rationem adinuenire possumus, propter quam conueniens fuit, vt Spiritus sanctus in specie columbæ descenderet supra Christum in Iordane. Quoniam Christus propterea baptizatus est à Ioanne in Iordane, vt sancti Patres docent, vt prius in se ipso demonstraret exemplo, quod postea prædicaturus erat verbo. Ad hoc enim venit in mundum, vt illum redimeret per mortem, & illuminaret per Euangelij doctrinam, & magisterium: quapropter statim post eius baptismum non solum Spiritus sanctus descendit in specie columbæ, sed & vox Patris audita est: *Hic est Filius meus di-*

*Ioan. 1.* *Genes. 1.* *Basilius.* *Hieron.* *Genes. 8.* *Hieronym.* *Ambrosi.* *D. Thom.*

*lectus, in quo mihi complacui*, quasi vellet subintelligi id, quod postea in Transfiguratione illius additum est: *Ipsum audite*: ad significandum, ipsum esse præcipuum Magistrum, & Doctorem, quem audire debent vniuersi, qui ad Ecclesiam per baptismum intraturi sunt, & quod extra Christi Ecclesiam nec vera doctrina, nec vera salus esse potest.

Mat. 17.

Propterea ergo Spiritus sanctus supra Christum ad aquas Iordanis in columbæ specie descendit: vt significaret, ipsum solum esse verum Ecclesiæ Doctorem, habentem sanam, simplicemque quasi columbæ doctrinam, & aquas sapientiæ salutaris ad purificandos, ac lauandos vniuersos fideles. Deinde, vt hoc significaret Spiritus sanctus, Doctores, & magistros Ecclesiæ, qui quasi oculi Christi in ea sunt, hanc columbæ simplicitatem, & synceritatem habituros esse, & iuxta aquas istas doctrinarum sanctarum commorari debere. Vnde & in Cant. Sponsa dicebat. *Oculi eius; sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Ambros. sup. Psal. 118. serm. 15. inquit. *Oculi Christi sunt viri, spiritualibus sensibus ornati, qui ad videnda mysteria sunt acuti, & parati ad penetranda Scripturæ diuinæ secreta, rationabili lacte fulgentes, in quibus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed simplicis affectus immaculata synceritas. Ideoque in aquarum abundantia lotas has columbas lacte memorauit.* Hæc Amb. Illud autem est attente considerandum, quod doctrinam Christi, quam vocat aquam, simul vocat & lac, ad significandam huius sanæ doctrinæ synceritatem, & veritatem. Nam, vt egregie notauit Gregor. Nyssenus, hom. 13. sup. Cantic. solum lac inter omnia humida hanc proprietatem habet, quod in eo nullius rei simulachrum, ac similitudo conspicitur: & doctrina Christi sola etiam hoc habet, quod in ea nihil erroneum, nihil vanum præter ipsam veritatem repræsentatur, sed ipsissima veritas conspicitur, omnibus simulachris, & imaginationibus non admissis. Vnde & Diuus Petrus in 1. Canonica, dicit *Quasi modo geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite*: quia in doctrina Christi nihil doli esse potest, sed syncerissima veritas, & pura simplicitas reperitur. Et hoc lacte nutriuntur fideles: & vt Amb.

Cant. 5.

Ambros.

Nyssenus.

1. Petr. 2.

dicit super Psal. 118. serm. 16. *In hoc lacte baptizat Dominus, idest, in synceritate. Et isti sunt qui vere baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt, & puram deferunt fidem, vt immaculatam induant gratiam Domini nostri Iesu Christi.* Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c. Amen. *Ambros.*

# DE CONVERSIONE SANCTI PAVLI Apostoli.

## CONCIO PRIMA.

*Subito circumfulsit eum lux de cœlo: & cadens in terram, audiuit vocem, dicentem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris?* Actorum 9.

Qvemadmodum author est D. Hieronymus in Commenta. super Epist. ad Philemonem, Paulus in Hebræo sonat *mirabilem*: atque id merito conuenit sanctissimo Paulo, qui in omnibus, quæ gessit, mirabilem se ostendit: & cuius conuersio inter mirabilia opera Domini ab Ecclesia non infimo loco recensetur. Fuit enim conuersus Paulus, vt Bernardus, sermone 1. dicit, *Conuersionis minister vniuerso mundo. Cuius cæcitas, vt in terram cecidit, illuminatio fuit totius orbis* vt. Chrysost. dicit, Homil. 4. de laudibus Pauli. Fuit hæc conuersio, quædam mutatio dexteræ Domini, quia persequutor Ecclesiæ, qui eam summopere turbabat, mutatus est in Apostolum, qui eam honorauit, ac per omnes mundi partes dilatauit. Finitus est Saulus, & in admirabilem Paulum conuersus est. Hoc igitur admirabile opus Dei, mater sancta Ecclesia tam ingenti lætitia, & omnium alacri-

*Hieronym.* *Bernard.* *Chrysostom.*

tate celebrat: hoc vas electionis diuinæ: & vt verbis
Eccle. 43. vtar Salomonis: *Vas admirabile, opus Excelsi.* De sole
isto, qui illuminat terram, id dicit: sed de Paulo nos
Chrysostom. iure optimo dicere possumus: qui (vt Chrysost. ait,
Hom. 8. de laudibus eius) *Sol quidem est hominibus: qui totum prorsus orbem fulgentibus suæ linguæ radijs illuminauit, quique vniuersas circumeundo gentes, cursum solis imitatus est, ac mundi regiones omnes, quas libero à corpore animo peruolauit, &c.* Possemus hodierna die sanctam Ec-
Esai. 14. clesiam alloqui, verbis illis Esaiæ *In die illa, cum requiem dederit tibi Dominus à labore tuo, & à confusione tua, & à seruitute dura, qua ante seruisti, sumes parabolam istam contra Regem Babylonis. Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum?* Vel vt Septuaginta loco *tributi* legunt, *Cessauit solicitator.* Quis obsecro, maior fuit sanctæ Ecclesiæ labor, quàm tempore, quo Saulus eam persequebatur: de quo S. Lucas in Actis Apostolorum dicit? *Saulus autem deuastabat Ecclesiam, &c.?* Quæ confusio
Actor. 8. maior, quæ durior seruitus, qua Sathanas opprimebat eam per ministerium Sauli: qui de seipso dicit in Actis? *Hanc viam persequutus sum vsque ad mortem?* Cum ergo
Actor. 22. Dominus dederit tibi requiem ab his, ait Propheta, sumes parabolam aduersus diabolum, Christi hostem, eiusque tyrrannidem, & dices, Quomodò cessauit iam exactor dæmonis, & solicitator eius aduersus Ecclesiã Saulus.? *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam do-*
Esai. 14. *minantium, cædentem populos, persequentẽ crudeliter.* Quomodo cessauerit, exponit nobis Propheta. Quia contriuit Dominus Saulum, qui baculo duro, & virga quasi ferrea persequutionis suæ, populos Christianos cædebat, & crudeliter persequebatur vsque ad mortem. *Conquieuit omnis terra, gauisa est, & exultauit.* Ideò Ecclesia quieuit, & vehementer gauisa est, & in Domino exultauit lætitia incredibili apud omnes fideles: quia Saulus, cadens in terram, contritus est, contritione cordis maxima, & diuina luce circumfusus vndique de cœlo, conuersus est in Paulum, Christi Apostolum, & totius orbis magistrum. Hoc profectò est inter alia eius mirabilia opera, quod omnes in admirationem, & stuporem incredibilem, rapiebat: quod Saulus, qui tanquàm leo rugiens circuibat Iudæam, quærens quos de-

deuoraret Christianos, & perderet, conuersus ab ipso, quem persequebatur, in mansuetissimum Paulum, sicut agnus mitissimus prædicaret fidem, quam paulò antè expugnauerat. Vnde & S. Propheta subdit, *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient.* Qui te viderint prædicantem Christi Euangelium in spiritu & virtute multa, tibi se subiicient, tibi obedient magna cũ reuerentia, te prospicient cum ingenti admiratione, ac stupore: & dicent ad inuicem, aut intra seipsos, *Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit Regna, & vinctis eius non aperuit carcerem?* Iste nè est Saulus, qui conturbabat Ecclesiam, & Regnum Iudææ cõcutiebat tremore, ac metu: qui non solùm vinctis non aperiebat carcerem, sed contrà potiùs, fideles rapiebat & trahebat in custodias, & carceres? Hoc est, quod stupebant omnes, & admirabantur in Saulo, & in fide eos firmabat magis: quod ille mutatus mirabiliter à Domino, euangelizaret fidem, quam anteà persequebatur, & expugnabat: atquè in eo glorificabant Dominum. *Esai. 14.* *Esai. 14.*

Hoc igitur est mirabile opus Dei, & grande miraculum, quod Ecclesia cum singulari gaudio hodie celebrat: quòd traxerit Dominus ad Ecclesiam suam Saulum, postulatum ab ea tot lacrymis, & tot Sanctorum orationibus. Hoc enim significat nomen, Saulus: videlicet, *expetitus*, aut, *postulatus*: siue quia postulatus est à diabolo ad vexandam Ecclesiam, vt Hieronymus dicit, super Epistol. ad Philemonem. siue, quia (vt Ambrosius ait, libr. 1. de pœnitentia, cap. 9.) conuersio Pauli, fructus est orationis Beati Stephani, quando orauit pro persequutoribus. Nam, vt Augustinus dicit, sermone 1. & 4. Beati Stephani, *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Sed positis genibus illum postulauit Ecclesiæ à Domino, & exauditus est. Diuus Thomas. 1. 2. quæstione. 1. 13 artic. 10. vocat hanc Pauli conuersionem, miraculosam: quod ex duplici capite colligere possumus. Primo, quia conuersus est, quando habebat voluntatem, non præparatam, sed actu repugnantem & vt Diuus Thomas dicit. 1. 2. quæstion. 112. artic. 2. ad. 2. *Cum esset in progressu peccati, motum est perfectè cor eius, & conuersus est,* *Hieron.* *Ambros.* *August.* *D. Thom.*

S

*et gratiam consequutus.* Hoc significauit Scriptura sancta, cum dixit Saulus, *adhuc spirans minarum, et cædis, in discipulos Domini.* Et infra: *Et cum iter faceret, &c.* Isti erant progressus Sauli, hic status, hæc dispositio ad gratiam. Recte dicit Augustin. Homil. 17. in libr. 50. Homiliarum: *Quid habebat in corde? Quid nisi malum? Da te mihi merita eius. Si merita quæris, damnationis sunt, non liberationis, &c.* Solent multoties, qui conuerti volunt ad pœnitentiam, & gratiam, præparari ad eam ieiunijs, lacrymis, sacco, & cinere, & orationibus: vt Ioëlis Prophetæ per os Dominus dicebat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, et planctu, &c.* Et apud Ionam, homines induti sunt sacco, & ieiunauerunt, & fleuerunt: & tamen dicebant. *Quis scit, si conuertatur, et ignoscat Deus?* Hunc vero Saulum, adhuc inimicum, & rebellantem, adhuc spirantem minarum, & cædis, in discipulos Domini, adhuc euntem ad malum, imo & currentem, vt persequeretur Christum Dominum tam mirabiliter mutat, tam perfecte conuertit ad se. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Non dicit Cur me persequutus es? sed, Quare actu persequeris? Vt significaret, quod tunc, quando vocatus est de cœlo, in actuali odio, & abominatione Christi Iesu versabatur, non conuersione dignus, sed damnatione. *Sæuit, et miseretur,* ait Augustin. Homil. 15. de verbis Apostoli: & libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 2. *Auersus a fide, quam vastabat, eique vehementer aduersus, repente est ad illam gratia potentiore conuersus.* Eo videlicet tempore, quo aduersus Iesum Nazarenum, rabie quadam, & insania ferebatur, cuius diuinitatem ignorabat. Si enim cognouisset Saulus, nunquam Dominum gloriæ Iesum persequutus esset. *Ego quidem,* aiebat ille, *existimaueram, aduersus Iesum Nazarenum me debere multa contraria agere.* Existimabat ille, nimius æmulator legis, & paternarum traditionum, se teneri ad persequendum Christum, omnesque Christianos. Arbitrabatur enim, in hoc se placere Deo. *Ignorans enim, fecit in sua illa incredulitate:* &, vt Augustin. dicit, sermone 29. de Sanctis, *Quia sub proposito placendi Deo agebatur ignarus ad culpam, statim post admonitionem occurrit deuotus ad gratiam.* Diuinissimus enim anima-

Marginalia: Actor. 9. — August. — Ioel. 2. — Ionæ. 3. — Ion. 3. — Actor. 9. — August. — Actor. 26. — 1. Tim. 1. — August.

rum medicus, qui ægritudinis eius causam, radicemque nouerat, ibi remedium apposuit, & medicamentum, vbi sciebat esse curationi locum. Et propterea cum Saulus interrogasset eum, *Quis es, Domine?* respondit, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* *Actor. 9.* Adnotauit optime Chrysost. Homil. 2. in Psalmo 50. *Chrysost.* quod non dixit: Ego sum Filius Dei: ego sum Verbum, quod erat in principio: ego sum, qui creaui cœlum, & terram, aut cætera magna, & admiranda præconia: sed dixit: *Ego sum Iesus Nazarenus, &c.* Nesciebat enim eum persequutor. Si enim sciuisset, non vtique persequeretur. Propterea statim Dominum est confessus, quia de cœlo vocantem audiuit, &c. Nec solum ad vocem eius obediuit, sed mirabiliter mutatus est. Aut ideo dixit: *Ego sum Iesus &c.* vt ostenderet mirabilem dilectionem suam, in illum persequutorem suum, & hostem, quod cum ille sæuiebat, tunc Dominus miserebatur: cum ille blasphemabat, Dominus vocabat: cum ille odio habebat, Dominus diligebat, cum ille persequebatur, Dominus miserebatur, & benefaciebat: vt agnoscamus in Christo singularem misericordiam, & in Paulo miraculosam conuersionem, & perfectam.

Hoc enim est secundo loco, quod hanc mirabilem eius conuersionem efficit raram & miraculosam, vt Diuus Thomas ait in illa quæstione. 113 artic. 10. *D. Thom.* quod tam subito ab illa ægritudine sanatus est, & ad perfectionem deductus. *Subito*, ait, *Circumfulsit eum lux de cælo.* Quia luce suscepta statim obediuit in auditu auris, statim mutatus est, omnia deseruit, omnibus *Actor. 9.* renuntiauit: & (vt ipse ad Galatas scripsit) *Continuo* *Galat. 1.* *non acquieuit carni, & sanguini.* Mira res. Nam, teste *Gregor.* Gregorio, libro 22. Moral. cap. 14. *Nemo infima deserens, repente fit summus: quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc procul dubio velut ascensionis cuiusdam gradibus peruenitur.* At Paulus non per interualla temporis, non per gradus ascensionis, non multis præparationibus: sed subito ac repente sanatus est, perfectus, & summus effectus est, in fide, & dilectione, Apostolus

Domini, Princeps Ecclesiæ, & gentium magister, atque diuinus quidem Euangelizator Euangelij, quod paulo ante expugnabat. *Continuo ingressus in Synagogas, prædicabat Iudæis Iesum: annuntians, quia hic est Christus.* O stupendum plane miraculum! Christus Dominus vsque ad triginta annos tacuit, nec prædicare cœpit Euangelium Ioannes Baptista similiter vsque ad triginta annos fuit in deserto, tacens, nec assumens prædicationis verba per os suum: & Saulus, hostis Ecclesiæ, post tres dies conuersionis suæ, subito, & repente prodit in publicum, prædicans ipsis Iudæis, quos antea sequebatur, Euangelium Christi, quod paulo ante persequebatur, & expugnabat: & inimicus crucis Christi, factus est statim amantissimus eius, Christo confixus cruci, & nihil iam se scire arbitratus, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

*Actor. 9.*

Hæc fuit admiranda conuersio Pauli, quam cum incredibili gaudio vniuersa per totum orbem celebrat sancta mater Ecclesia: in qua videre mihi videor completum, quod olim in libro Esther legitur, à capite 3. & deinceps, contigisse. Aman enim, hostis Mardochæi, & Iudæorum, & familiaris Assuero Regi, accepit ab eo epistolas, vt omnes Iudæi perirent. Esther vero Regina, quam Mardochæus adoptauerat sibi filiam, ieiunijs, & orationibus postulabat à Domino auxilium, aduersus insidias Aman. Deinde iussu Regis exaltatus est Mardochæus: & Aman præcedebat eum, clamans voce præconis, vt omnes genu flecterent coram eo. Propterea ipse Aman positus est in cruce, quam parauerat Mardochæo. Ac deinde postulanti Reginæ, datæ sunt aliæ epistolæ, ex nomine Regis, & Mardochæi, ad salutem populi Iudæorum.

*Esther. 3.*

Mardochæus, quem Aman persequebatur, Christus Dominus est: quem Saulus ita persequebatur, vt quasi ad amaritudinem redigeret animam eius, quando Ecclesiam vastabat & fideles omnes vexabat, & opprimebat. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Conuenit autem recte cum ipso nomine. Mardochæus enim interpretatur, *Myrrha contrita*, vel, *Myrrha purissima*. Tanta enim erat in persequutione Sauli amaritudo, & contritio populi Christiani, quam Iesus suam reputabat, vt merito de

*Actor. 9.*

illo diceret Sponſa, ſancta Eccleſia, *Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi* Aman, id eſt, *Conturbans*, ipſe eſt Saulus, qui conturbabat Eccleſiam. *Acceſſit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas: vt ſi quos inueniret huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret, &c.* Sed tunc pulcherrima Eſther Regina, quæ interpretatur, *Occulta*, vel *Abſcondita*, flebat huberrimè, & ieiuniis, atquè orationibus inſtabat. Sancta enim Eccleſia, & Regis Chriſti ſponſa abſcondita erat, & quaſi occulta propter metum Sauli: orationibus tamen, ac ieiunijs, Domini miſericordiam, & auxilium, aſſiduè poſtulabat. Audiuit autem orationes eius, & vidit lacrymas potentiſſimus Aſſuerus, qui interpretatur, *Princeps*, & *caput* & exaltato Mardochæo, fecit, vt Aman clamaret, vt omnes genu flecterent ante eum. Sic profectò Deus, & caput Chriſti, exaltauit poſt paſſionem Filium ſuum Ieſum: & humiliato ante eum. Aman perſequutore, ac conturbatore Saulo, & in terram proſtrato, fecit, vt portans nomen eius coram gentibus, & Regibus, & Filijs Iſrael, & voce quaſi præconis Apoſtolici clamaret, vt omnes genu flecterẽt coram exaltato Ieſu, & in nomine eius cunctis gentibus adorando. Audi illum clamantem in Epiſtola ad Philippenſes, *Hoc ſentite in vobis, quod in Chriſto Ieſu. Qui, cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, &c. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sic cecidit Aman ante Mardochæum ſic Saulus ante Ieſum Chriſtũ Nazarenum: ita vt non poſſet ampliùs ei reſiſtere, aut contradicere. *Si de genere Iudæorum eſt iſte Mardochæus, ante quem cadere cæpiſti* (dicebant domeſtici Aman) *non poteris ei reſiſtere*: & Dominus ad Saulum, *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi, contra ſtimulum calcitrare.* Tanta fuit efficacia vocationis Sauli, qua à Chriſto vocatus eſt, & proſtratus, vt aliud facere non potuerit, quàm quod Chriſtus voluit, in omnibus illi ſubiectus, & clamans ex toto corde, *Domine quid me vis facere?*

Quid igitur ampliùs poſtulat à Rege ſuo Eſther,

*Cantic. 1.* *Actor. 9.* *Philipp. 2.* *Eſther. 6.* *Acto. 9.* *Actor. 9.* *Eſther 7.*

Regina? Quòd *in cruce, quàm parauerat Mardochæo, suspendatur Aman.* Sic factum est iussu Regis. Sed multò altiùs, & perfectiùs hoc contigit Saulo, propter preces, & orationes sanctæ Ecclesiæ. In cruce enim, quam parauerat corpori mystico Christi Domini, in ea suspensus est ille, & affixus corde, ac spiritu, & dicens;
Galat. 2. *Christo confixus sum cruci.* Neque in alia re iam magis gloriabatur, quàm in cruce Domini nostri Iesu Christi, in tribulationibus, in carceribus, in plagis, & morte, pro Christo. *Cœpit prædicare Christum* (ait Augusti-
August. nus, sermone 25. de Sanctis) *cui antè resistebat, paratus pati pro eo, contra quem antea pugnabat. Patitur Paulus,*
2. Cor. 11. *quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est, Saulus Christianos virgis affecit, Paulus ter virgis cæsus est, Saulus vinxit, Paulus vinctus est, Saulus alijs intulit necem, Paulus pro Christo mortem suscepit, &c.* Quid iterum postulat Esther Regina? Vt *dentur nouæ epistolæ, quibus*
Esther. 8. *veteres epistolæ, Aman hostis, & insidiatoris Iudæorum, corrigantur.* Priores epistolæ Sauli, nouis Pauli epistolis correctæ sunt; illæ insidiantis erant, istæ verò Apostoli, illæ persequutoris, istæ Doctoris, illæ mortis, is-
D. Thom. tæ verò salutis, & vitæ. D. Thom. in Prologo super epistolam ad Roman. docet epistolas Pauli frequentari in Ecclesia, vt ex hoc peccatores ad spem veniæ erigātur: & quia in eis (vt in Psalmis Dauid in veteri testamēto) ferè tota Theologia continetur. Has epistolas, cœ-
2. Pet. 3. lesti doctrina, & sapientia conscriptas dicit D. Petr. in 2. sua Canon. *In quibus sunt multa difficilia intellectu:* de quibus & Corinthij dicebant, *Epistolæ graues sunt, & fortes.* Graues quidem: quia in eis continetur tota
2. Cor. 10. grauitas sanctitatis, & perfectionis Christianæ. Fortes verò: quoniam in illis est fortitudo fidei Christianæ aduersus omnes hæreticos, & Ecclesiæ hostes. Talis erat scriptura, qualis & vita. *Quales sumus* (ait Paulus) *per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.* Quid grauius Paulo in moribus? Quid in fide fortius? Sic epistolæ Pauli mirabiliter emendauerunt, & correxerunt epistolas hostiles Sauli.

Quid tandem ampliùs efflagitat à Rege, Esther Re-
Esther. 8. & 9. gina? Ordinatum est, & constitutum, vt *dies ille esset solemnis, & in eo vacarent gaudio: & reuertente anno, solemni*

*celebrarent honor*. Sic profectò dies iſte, quo Paulus perſequutor Eccleſiæ conuerſus eſt ad Dominum, & ei ſubiectus, mundo mortuus, & Chriſto viuens, & Eccleſiæ, ſolemnis per ſingulos annos, & in honore habetur. Dies lætitiæ, gaudij, & epularum, in cœlò, & in terra ſuper iſto vno peccatore mirabilem pœnitentiã agente, & vniuerſos ferè homines ad pœnitentiam cõuertente. *In tantum* (ait liber Eſther) *vt plures alterius gentis, & ſectæ, religioni eorum, & cæremonijs iungerentur.* Quis enim enumerare poterit, gentium multitudinẽ, diuerſitatem nationum, & ſectarum, quas conuerſus Paulus conuertit ad Chriſtum, & per Euangelium traxit ad fidem, & Eccleſiæ iunxit?

Benedictus Dominus Deus, miſericordiæ Pater, qui circum fulſit eum luce, & infulſit, vt totum mundũ illuminaret, qui in terram proſtrauit, vt Eccleſiam erigeret, qui deniquè in paradiſum vſque ſubitò eum rapuit, vt iam nemo diffidat, etiam ſi primus peccatorum ſit, quòd per Ieſu Chriſti gratiam, ſi ad Dominum conuertatur poterit & ipſe paradiſi ianuas introire, vbi Chriſtus eſt. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat, &c. Amen.

---

## DE EADEM CONVERSIONE ſancti Pauli Apoſtoli.

### CONCIO II.

*Surrexit autem Saulus de terra, &c.*

ACT. 9.

CElebrat hodierna die, ſancta mater Eccleſia, Cõuerſionem Apoſtoli Pauli, per quam ſic ſurrexit de terra, vt inter vniuerſos Diſcipulos Domini, & Apoſtolos, non ſurrexerit illo maior. Illius, inquam, Pauli, *Cuius vocatio, Eccleſiæ firmitudo eſt*, vt Ambroſius dicit, lib. de Iſaac, cap. 4. quem Au- *Ambroſ.*
guſt. lib. decimo quarto de Ciuit. capit. 9. vocat *Il-* *Auguſt.*
*lum fortiſſimum, & optimum virũ, qui in ſuis infirmitatibus*

*gloriatur, doctorem gentium in fide, & veritate: qui plus omnibus suis Coapostolis laborauit, & pluribus epistolis populos Dei instruxit illum verum athletam Christi, doctum ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo. &c.*

Chrysost. Illius etiam, qui, vt Chrysostomus dicit, Homil. 22. ad Populum, *Gentium Doctor, & Ecclesia, constitutus est, posteriorum oblitus, ad anteriora se extendens, corpus corruptibile indutus, & incorporeis colluctatus potestatibus: qui cursum consummauit, & fidem seruauit: qui in ieiuniis perseuerauit & in periculis probabilis factus: qui in fame, & siti, optimus apparuit: qui ab Hierusalem in circuitu, vsque ad Illyricum Christo seruiuit, Christum in se habens loquentem: terrestris Angelus, & cœlestis homo, vocatus Apostolus, & sancti Spiritus receptaculum factus: qui vsque ad tertium cœlũ ascendit, & ineffabilia illa verba audiuit: qui in corpore corruptibili paradisum habitauit: zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, post mortificationẽ Doctor, & post mortem præco, qui nobis demonstrauit, quomodò in cælos ascendere oporteat.* Hic est, de quo S. Lucas dicit, *Surrexit Saulus de terra.* Certè vt homines erigeret in cœlũ sua doctrina, & exẽplo, ac laboribus plurimis. Et quemadmodum de seipso dixit Dominus, *Ego, si exaltatus fuero*

Ioan. 12. *à terra: omnia traham ad meipsum:* sic de Paulo, suo modo meditari possumus, quòd erectus de terra, & Christo cõfixus cruci, amore, & mortificatione mirabili, traxit ad Christũ omnes gentes. Per illum enim omnes gẽtes

Chrysost. cognouerũt gratiam Dei: &, sicut Chrysostomus dicit, Homilia 25. ad Populũ, *Paulus, cùm modico tempore prædicauerit, totum attraxit orbem terrarũ. Et enim animã habebat non minùs cælo trahere cunctos idoneam, &c.* Quòd si cœlum, & sol, sua pulchritudine, & luce, trahunt homines ad Dei cognitionem, & amorẽ, multò meliùs Paulus, sol admirabilis, luce doctrinæ, & pulchritudine vi-

Ephes. 3. tæ, trahere potuit totius orbis gentes in cognitionẽm fidei, & dilectionẽ Christi. Illi enim hæc singularis gratia data est. *Mihi omnium Sanctorum minimo, data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi: & illuminare omnes, &c.* illuminando autem traxit omnes ad Christum.

*Surrexit Saulus de terra.* In terra iacebat Saulus, quã-

do cœlum non respiciebat, hostis Christi, persequutor Ecclesiæ, zelator Synagogæ: sed ex Dei misericordia, Christi luce, & voce, conuersus subitò, de terra surrexit, & venit ad Christum, tam liber, & expeditus ab omnibus, quæ terrena sunt, ac si nunquam in terra iacuisset. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, &c. continuò non acquieui carni, & sanguini.* Scriptura sacra, & sancti Patres, & vniuersi fideles, mirantur, & magnificant sanctũ Abraham, quod ad vocem Domini vocantis eum, *Egredere de terra tua, &c.* reliquit terram, & venit ad locum, quem illi Dominus monstrauit: &, sicut Amb. explicat, li. 1. de Abraham c. 2. si fortè exire de terra sit, *Exire de corporis commoratione quadam, & de illecebris, & delectationibus corporalibus, de conuersatione terrena, & à sæcularibus oblectamentis, & superioris vitæ moribus, atque actibus: vt non solum loca, sed etiam nosmetipsos mutemus.* hoc etiam mirandum fuit in Abraham: sed multò magis admirabile est in Paulo. *Abraham mirantur omnes,* ait Chrysostomus. Homil. 1. de laudibus Pauli, *qui, cùm audisset, Exi de terra tua, domos reliquit, & patriam, amicos, atque cognatos: quorum omnium iacturam solo diuini præcepti amore pẽsabat. Sed quis Paulo possit æquari: qui, non modò patriam, cognatos, ac domum, sed seipsum quoque ac mundum reliquit: imò etiam cælum, & hæc omnia, Christum suscipiendo, despexit?* Gal. 1. Genes. 12. Ambros. Chrysost.

Sed expendamus ista paulò fusiùs. Abrahã nõ de omni terra exiuit, sed terra illa sua: nec solus exiuit, sed *Tulit secum Sarai vxorem suam, & omnem substantiam, &c.* Deinde etiam egressus est, diuina promissione prouocatus, *Et faciam te crescere in gentem magnam*: & posteà, *Leua oculos tuos in directum, &c. omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.* At diuinus Paulus, quando de terra surrexit, non de sua tantum egressus est, sed ab omni prorsus terra, & mundo: nullam secum tulit substantiam, sed nudus, relictisquè omnibus, ad Christum venit non leuauit oculos, vt terrarum prouintias conspiceret, sed *Apertis oculis nihil videbat. Nihil (ait) videbat* Apertis enim oculis ad Christum videndum, iam nihil terrenum videbat: non Regna, non diuitias, non honores, non delitias mundi, sed solum Deum, & Dominum suum Genesi. 12. Genes. 13. Actor. 9.

Iesum Christum, quem vidit, & dilexit. Apertos
Actor 9. etiam oculos habuit, vt videret. Sed, quid? *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Surrexit quidem de terra, nihil terrenum videre iam dignatus: sed, labores, quos passurus erat pro Christo, & eius Euangelio, alacri animo, & apertis oculis, videre
Genes. 17. cœpit, vincula, flagella, carceres, & mortem. *Abram,* mutato nomine, dictus est *Abraham*: *Quia patrem multarum gentium constitui te.* At multò meliùs noster Saulus, mutatus in Paulum, & vocatus, Paulus Apostolus Iesu Christi, ad hoc surrexit de terra, vt esset pater
1. Timo. 2. omnium gentium; sicut ipse de se ipso dicit ad Timot. *Doctor gentium, in fide, & veritate.* Ipse est pater multorum Regum, & Principum, & populorum, quos per Euangelium genuit Christo filios: & quibus dicit in
1. Corint. 4. epistola 1. ad Corinth. *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui* De Abraham dicit Paul. ad Romanos scribens, *Vt sit pater omnium credentium.* Sed ego hoc ipsum
Rom. 4. multò meliùs de Paulo affirmabo. Ipse est *Pater omnium credentium* in Christum: quos prædicatione sua genuit educauit, & generare, atque educare non cessat. Sed quid miramur ista in Paulo, quem eodẽ die eleuauit à terra, vt surgeret in tertium cœlum, atquè paradisum intraret?

*Surrexit autem Saulus de terra.* Cæteri, qui ad Dominum conuertuntur, separant quidem se à peccatis, & ad Dominum ipsum accedunt fide, & dilectione, at in terra manent, sicut anteà: noster verò Saulus, eodem die, quo in terram cecidit, luce, & voce Christi prostratus, simul surrexit de terra, & in tertium vsque cœlum, atquè paradisum, raptus est. *Scio hominem in Christo, siue in corpore, siue extra cor-*
2. Cor. 12. *pus, &c. raptum vsquè ad tertium cælum.* Ad tertium cœlum dicit: quia ibi vidit facie ad faciem ipsam Dei essentiam in trinitate personarum, & cum quodam gaudio inenarrabili: qua ratione dicit iterum, *Quia raptus est in paradisum.* Cœlum, ob visionem claram
D. Thom. Dei: paradisum, ob ineffabile gaudium, & paradisi Dei delitias, quibus illi datum est frui, vt D. Thomas docet. 2. 2. Quæstion. 175. articul. 3. ad. 4. Atque hoc existimo significare voluisse illi Christũ

Dominum, quando dixit, *Surge, & ingredere ciuitatem.* Actor. 9.
Quamuis enim corpore ingressus est Damascum ciuitatem, corde tamen, & anima, & oratione altissima, ciuitatem Hierusalem cœlestem ingredi iussus est. Vsque ad eam enim mirabiliter surrexit, & eleuatus est, grandi miraculo, & beneficio Dei. Neque vero casu aliquo hoc factũ esse credendum est, sed maximo consilio voluntatis diuinæ. Primò, vt Chrysostomus dicit Chrysost. in epistolam ad Coloss. Homi. 3. ad confirmandũ mysteriũ fidei nostræ, quod Christus Dominus est caput nostrum atque in dextera Dei sedet, quòd mysterium ille posteà prædicabat, cùm dicebat, *Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens.* Aut secundo, vt idẽ Chrysost. dicit, Hom. 26. in 2. epist. ad Cor. Coloss. 3. ne aliis Apostolis inferior esset, qui cum Christo conuersati sunt. In qua re etiam meliorem sortitus est partẽ. Illi enim cum Christo in terra conuersati sunt, Paulus vero in cœlo, & paradiso, cũ illo fuit. *Non sum Apostolus?* ait. *Nonne Dominum Jesum Christum vidi:* Aut tertio, vt fieret cum Angelis pax, & grandis lætitia esset in cœlo super isto peccatore pœnitentiam agente, qui super omnes alios sua conuersione cœlum, & Angelos lætificauit, & fœdus pacis cum illis iniuit. Aut quartò tandem: vt ibi eum gradu Apostoli insigniret, & Euangelium doceret, quod per totum orbem erat prædicaturus. Vnde & ipse gloriatur, ad Galatas scribens, *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, &c.* Non Gal. 1. docuerunt eum Angeli, non Apostoli, non Ananias, aut aliquis hominum: solus Christus in cœlo fuit præceptor eius, & magister: in ciuitate Domini, quæ in cœlestibus est, Verbum Dei habuit Doctorem suum. Vnde dicit, *Ingredere ciuitatem: ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Sic surrexit de terra Saulus: & in eam Actor. 9. altitudinem erectus est, qualem nemo Sanctorum, in terra existens, consequutus est. *Elias surrexit, quasi ignis,* Eccl. 48. homo Dei, sanctus, virgo castissimus, opertus pallio, non veritus animositatem Regis, Idola destruens. Sed multò magis surrexit Saulus de terra, quasi ignis quidam cœlestis: & ipse vxorem nunquàm habens, vt Epiphan. Epiphanius docet. libr. 2. Hæresi. 58. & D. Thom. D. Ignat. 2. ad Corint. 11 Lect. 3. quamuis Ignatius, epi- D. Thom. stola 9. quæ est ad Philippenses, dicat, vxorem

habuisse: homo sciens esurire, & sitire, & nudus esse, & innumera mala pati (*Vsque in hãc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus persequutionem patimur, &c.*) ante Reges, & præsides pro veritate constanter stans (*Vt portet nomen meum coram Regibus, &c.*) Quod si Elias in curru igneo raptus est in cœlum, & paradisum, absque vlla dubitatione in cœlum aereum, & terrestrem paradisum, susceptus est: at Saulus, absque curru aliquo raptus est in tertium cœlum, & paradisum Dei: vbi Deum vidit facie ad faciem, & voluptatibus frui meruit, quibus Beati fruuntur, quamuis ille in raptu, illi vero sine fine lætentur.

2. Cor. 4.
4. Reg. 2.
Actor. 9.

Surrexit etiam *Saulus de terra*, quia in eam sanctitatis magnitudinem, & vitæ, eleuatus est à Christo, vt in terra viuens corpore, iam, ab illo die, corde, & animo, inter Angelos conuersaretur, nec cum hominibus esset conuersatio eius: quod hominis plane angelici, aut diuini, solet esse proprium. Vnde ad Philip. ipse scribit, *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Ab illa conuersatione cœlesti habuit Paulus abundantiam lucis, & spiritus, ad illuminationem gentium: habuit fortitudinem, & virtutem, ad prædicandum Christi Euangelium: non in Iudæa tantum, aut in vna, & altera Prouincia, sicut alij Apostoli: sed in toto mundo, & in omnibus gentibus, sicut sol quidam cœlestis, lucem Euangelij abundantissime diffudit. Vnde meritò ad Corinth. scribit, *Abundantius illis omnibus laboraui. Alij enim Apostoli* (ait Irenæus, lib. 4. contra Valent. cap. 41.) *qui in Iudæa prædicabant Christum, ad eos loquebantur, qui habebant legem, & Scripturas, & facilius poterat eis Euangelium persuaderi.* At Saulus, iis prædicabat, qui sine lege erant, sine sacra Scriptura, sine Christo (*Non vbi nominatus est Christus*, ait in epist. ad Rom. *aut vbi aliquid de illo annuntiatum erat*) & tantum potuit suo suo spiritu, & virtute, Paulus, suo labore, atque doctrina, vt istos etiam traheret ad Euangelium Dei, modo quodam mirabili.

Philipp. 3.
1. Cor. 15.
Irenæus.
Rom. 15.

Iste Saulus est, qui surrexit de terra, ad statum, & dignitatem Apostolicam, quæ dignitas in Ecclesia Christi primum, ac potissimum obtinet locum: surrexit, vt sederet cum Apostolis in throno sibi à Domino

præparato. *Vos, qui secuuti estis me, sedebitis supra sedes, &c.* Paulus reliquit terram, & omnia, quę sunt terræ: ille sequutus est mirabiliter Christum, & imitatus est, in obedientia, humilitate, & mansuetudine aliisque virtutibus, & laboribus plurimis, quos mira patientia tolerauit: & propterea surgit de terra ad culmen Apostolicæ dignitatis, ad quam hodie Dominus exaltauit electum de plebe sua: *Quis sicut Dominus Deus noster*, ait Dauid *qui in altis habitat, & humilia respicit, suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus populi sui*: In altis erat Christus Dominus Deus noster, quando Saulus deuastabat Ecclesiam, ac persequebatur Christianos: sed ex illa altitudine gloriæ suæ respexit in orationes humilium Sanctorum, qui in cœlo, & in terra, orabant pro pace Ecclesiæ, pro conuersione Sauli vastatoris: & non spreuit preces eorum, sed prostrauit persequutorem suorum fidelium, subiecitque sub pedibus suis tam mirabiliter, vt statim, ac subito, suscitauerit eum de terra, *inopem*. Inops dicitur, sine terra, & qui nec terram habet: sic suscitauit Dominus de terra Saulum, sic surrexit ille de terra, tam sine terra, & iis, quæ terrena sunt, ac si nunquàm eam contigisset, neque aliquid pulueris ex ea contraxisset. *Et de stercore erexit* Paulum *pauperem*. Stercus vocat, hoc loco, primò, bona temporalia, & terrena, diuitias, delitias, honores, vanitates, quæ, quamuis filii huius sæculi amare soleant, & in pretio habere: tamen filii Dei, viri sancti, stercora reputant & tanquam stercora conculcant atque despiciunt. *De stercore bouum lapidatus est piger*, ait Salomon. Et Gregor. lib 15. Moral. ca. 3. *Gaudia (*inquit*) vitæ præsentis, quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputant. Ex damno igitur rerum tẽporalium qui affligitur, & atteritur, quasi de bouum stercore lapidatur.* Ab hoc stercore vitiorum, & terrenarum vanitatum, suscitatus est à Domino Paulus, mundus, & purus ab omni sorde, ac si terram nunquam contigisset. Potest etiam stercoris nomine significari obseruantia illa legis veteris, quam Saulus maximo prosequebatur zelo, amplius æmulator existens, quàm opus erat; cum tamen iam lex illa quasi stercus esset Christo, & Ecclesiæ. Sed ab hoc stercore suscitatus est Sau-

Matth. 19.
Psal. 112.
Eccli. 22.
Gregor.

lus, qui tanto feruore, atque tanta obedientia, ad vocem Christi reliquit legem, reliquit Iudæos, & omnia, quæ ad Iudaismum pertinebant, ita vt
Philip. 3. diceret, *Omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora: Stercora vocat*, ait August. lib. 17. de Ciuit. cap 4 *Iudæos*
August. *persequutores Christi, & Ecclesiæ: quorum vnus erat ipse Saulus. Stercora vocat*, ait Homil. 15. de verbis Apost. *obseruantias veteris legis, quas iam Paulus detrimenta, & stercora arbitrabatur. Dispergam super vultum vestrum* (dice-
Malach. 2. bat Dominus) *stercus solemnitatum vestrarum*. Vocari ve-
Hieron. ro stercora cæremonias illas veteres ab Apostolo, docet Hieron. in Abacuc, cap. 2. Itaque non solũ à vitiis & vanitatibus terræ, sed etiam ab obseruantiis antiquæ legis, quæ iam inutiles erant, & nociuæ, ac fœtidæ, erectus est Saulus, pauper, relictis omnibus pro Christo, sed diues in virtutibus, & honoribus: quoniã sic erectus est fidelissim⁹ prædicator, vt sedere meruerit in sede A-
Psal 44. postolica cũ Apostolis; Principibusq; populi Dei, quos
& 46. Dominus *Constituit Principes populorum Principes super omnem terram*. Denique stercoris nomine August. Homi.
August. 11. de verbis Domini, intelligit sordes pœnitentiæ. Stercore enim nihil sordidius: sed, si bene vtaris, nihil fructuosius. Quanta verò fuerit contritio Sauli, cũ in terrã cecidit, quã se reputauit, vt sterquilinium terræ quã humilis fuit quantũse despexit, quã vile stercus reputauit, quã sibi male olere cœpit, neminẽ existimo posse verbis explicare Non enim puluerẽ, & cinerẽ, se esse solum reputauit, vt olim Abrahã sed, vt verbis vtar sancti
Genes. 18. David, *Factus est vt stercus terræ*, factus sibi ipsi horrori
Psal. 82 magno: & quasi altera Esther, *Cinere, & stercore, imple-*
Esther. 14. *uit caput*, pœnitentiam incredibilem agere incipiens, in cinere, in cilicio, in stercore, intus in corde suo: & iã mutatus à Domino, & clamãs ex toto corde, & humilitatis
Actor. 9. spiritu, *Domine, quid me vis facere?* Ab hac terra, & puluere, de hoc stercore erexit Dominus, & suscitauit Saulũ: & ille surrexit, vt sederet cum Principibus, & solium gloriæ teneret, nihil minus habens à magnis Apostolis, qui abundantius illis omnibus laborauit, & incredibili præmio, & corona gloriæ dignus effectus est.

Sic, tandem, *Surrexit Saulus de terra*, vt in cœlum iam nõn raptus, sed assumptus ab Angelis cum Christo re-

gnaret in æternum: & solium gloriæ, perfecte beatus, teneret in perpetuum, iam non amplius *cupiens dissolui & esse cum Christo.* Videtur enim mihi in vltimo vitę contigisse Paulò id, quod de sancto Iacob legimus in Genesi. Erat ille in terra apud Laban diues valde, habens duas vxores, Rachel, & Liam, & plurimos filios ex eis genitos: sed cupiebat maxime reuerti in patriam suam, in qua natus fuerat, & de terra peregrinationis illius exire. Cui tandem Dominus dixit, *Surge, egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.* Hic Iacob, noster Paulus est: quem Dominus misit peregrinari ad terram gentilium, vt esset gentium magister, & magnus ouium illarum pastor. Fortis luctator: non cum vno Angelo lucis, & pacis, vt Iacob, sed cum multis Angelis tenebrarum, & potestatibus sicut ipse fatebatur ad Ephesios scribens, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, &c.* Et ad Romanos. *Neque Angeli, neque potestates, poterunt nos separare à charitate* Dei. Diues valde virtutibus, & meritis, trahens ad Christum multos filios ex Synagoga, & Ecclesia Gentium: nō solum ex Iudæis sed etiā ex Gentibus, quos per Euangelium genuit in Christo Iesu: sed optabat exire de terra carnis corruptibilis, & reuerti in terram natiuitatis suæ, quę est terra natiuitatis Pauli, & in qua natus est? Fortasse cupiebat, Romam veniens, & moriens pro Christo, ibi per martyrium natiuitatem consequi honoratissimam. Vnde Tertulianus, lib. aduersus Gnosticos, cap. 15. dicit, *Tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem cum illic martyrij renascitur generositate* Qua forte ratione altiori in Actis Apostolorum dixit, se Romæ natum esse. *Ego multa summa* (dixit Centurio) *ciuitatem hanc consequutus sum*: & Paulus, *Ego autem & natus sum.* Sanctorum enim mors, qui pro Christo moriuntur, natiuitas est eorum; qui incipiunt nasci in terra viuentium, vt de terra oriantur, iam inde suscitati, vt in terra viuentium cū Christo regnare incipiant sine fine transeuntes ab hac mortali vita, ad statum immortalitatis, & gloriæ. Aut certé terra natiuitatis Pauli in tertio cœlo fuit ad quod hodie raptus de-

Philip. 1
Genes. 31.
Ephes. 6.
Rom. 8.
Tertul.
Actor. 22.

terra fuit. Ille ſecundum carnem *in Tharſo Ciliciæ natus*
*Actor. 22.* *eſt*, vt ipſe fatetur, ibi Saulus natus eſt: at Paulus, in
cœlo natus eſt, ſicut vnus Angelorum: ibi ſecundum
ſpiritum natus eſt, ſanctus Apoſtolus, in dextera
Dei filius Eccleſiæ, & Chriſti., factus eſt. Quia ſi Be-
niamin dictus eſt *Filius dexteræ*: multo melius iſte ſe-
*Geneſ. 35.* cundus Beniamin, *filius dexteræ* Dei dici debet, qui in
illa dextera cœleſti natus eſt, & filius Dei effectus. Ad
hanc ergo natiuitatis ſuæ diuiniſſimam terram Paulus
rediit: qui cupiens diſſolui, & peregrinari à corpore,
plenus meritorum, & virtutum theſauris ſurrexit à
terra, & cœlum intrauit: vbi iam cum Chriſto eſt, &
regnat, & ſolium gloriæ tenet, præſtante Domino no-
ſtro Ieſu Chriſto. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto,
&c. Amen.

## DE EADEM CONVERSIONE ſancti Pauli Apoſtoli.

### CONCIO III.

*Ephes. 4.*

*Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*
Esaiæ 55.

*Damaſc.*

Dominum noſtrum ac Redemptorem, Ieſum, datum eſſe à Patre populis teſtem, ducemque ac præceptoré gentibus multis ſacrarum Literarum teſtimonijs compertum eſt. Ioannes enim in Apocalypſi vocat eum, teſtem fidelem, inquiens, *Et à Ieſu Chriſto,*
*Apoc. 1.* *qui eſt teſtis fidelis, etc.* Et meritò teſtis fidelis, qui, quod
vidit apud Patrem, & audiuit, hoc teſtatus eſt, & teſtimonium eius non poteſt non eſſe certum: teſtis in aſſumpta carne pro nobis, omnium laborum, ac tentationum, in quibus alij homines, & laboraturi erant, aut tentandi poſteà, vt miſericors fieret, & poſſet compati infirmitatibus noſtris. *Teſtis velox in iudicio* vltimo,
*Malach. 3.* aduerſus impios, vt per Malachiam dicitur, & Auguſt.
exponit,

exponit, lib. 2. de Ciuit. cap. 26. *Ducem* vero appellat eum in Cantico, Soror Moysi, inquiens? *Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti.* Ipse enim redemit Populum suum proprio sanguine, à seruitute dura peccati: & mortis: & quasi dux antecessit omnes gentes, præcedens eas in via iustitiæ, & in cœlos introducens: *Præceptor* denique dicitur: quia præcepta, & mandata salutis æternę, hominibus tradidit, in quibus viuerent, ac salui esse possent Sic promiserat Deus per Esaiam, ac prædixerat Ecclesiæ: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Ipse enim Christus, præceptor vocatur in Euangelio pluries, qui & magister, & doctor iustitiæ, docuit fideles verba vitæ, & salutis æternæ: atque doctrinas erroneas à cordibus hominum: bonus præceptor repellit & tanquam lepram mortiferam miseratus sanat, & abstergit, vt Aug. dicit, lib. 2. Quæstionum Euangelicarum. c. 40. Sed diuinus Paulus pręcipuus inter Apostolos imitator Christi Domini atque sectator, ipse etiam est, quem Dominus sua benignitate testem populis dare hodierna die dignatus est, ducem, ac præceptorem, gentibus. Fuerunt quidem alij Apostoli, Domini testes, quibus ascensurus iam in cœlum dixit, *Eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ.* Fuerunt & duces fidelium, dicente Dauid, *Principes Iuda duces eorum.* Fuerunt denique magistri, & pręceptores multarum gentium: quos proinde Hieronymus, lib. 1. contra Iouinianum, cap. 24. vocat *Principes disciplinæ nostræ, & Christiani dogmatis duces*: quosque idcirco Dominus per totum orbem misit magistros, ac præceptores, vt doceret omnes verbo, & exemplo, seruare omnia, quæcumque diuinus ipse dux, & magister, seruanda mandauit, ad eorum salutem. Hi sunt, quos elegit Dominus in Ecclesia sua, senes populi, Principes super omnem terram, duces animarum, iudices, ac magistros doctrinę Euangelicę, ac morum, magistros veritatis, & fidei magistros operum sanctorum, potentes in opere, & sermone, coram Deo, & hominibus. Sed omittamus nunc cæteros Apostos Christi, & ad Apostolum Paulum conuertamus orationem nostram: quē ipse Dominus hodierna die ad se conuertens, in terrā prostrauit, de terra erexit, atque singulari quodā mira-

*August. Exod. 15. Esai. 30. August. Actor. 1. Psalm. 67. Hieronym.*

culo vnum Apostolorum constituit, testem, ducem, ac præceptorem, magistrumque gentium vniuersarum, non sine admiratione omnium, tam in cœlo quã in terra. Et quemadmodum sicut Historia sacra libr. 1. Re-
1. Reg. 19. gum narrat, Saul volens occidere Dauid, mutatus est à Domino, & prophetabat: sic & Saulus, dum persequitur Christum, mutatus est. Olim, qui viderunt
Reg. 10. Saulem prophetantem, mirati sunt valde, ita vt in prouerbium abiret *Num & Saul inter Prophetas*. Quan-
Greg. tò ergo maior admiratio habita est in Ecclesia, de beato Apostolo Paulo, vt Gregor. ait, lib. 4 Commentar. super 1. li. Reg. quando auditũ est ab Ecclesia, quod ille euangelizaret, qui Ecclesiam minando, & cædendo, expugnare solebat, nunc prædicãdo deffenderet. Tũc, qui audiebant, dicere poterant, Num Saulus inter Apostolos, *Sed hoc iam in prouerbium versum est electorum: & conuersio Pauli, facta est prouerbium peccatoris: vt illam audiens, non desperet de criminum multitudine, quando is, qui Christum persequebatur, ad Christum conuersus caput effectus est nationum, quia obtinuit totius Ecclesiæ principatum.* Ait ergo Propheta.

*Ecce, testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.* Primò, *testem* illum dedit. Quia testis fidelis fuit omnium mysteriorum Christi, quæ fidelissime per to-
Actor. 22. tũ orbem testificatus est Iudæis, & gentibus. Huic enim referente Paulo, Ananias dixit, *Deus præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius*
Actor. 26. *ad omnes homines, eorum, quæ vidisti, & audisti.* Et iterum dixisse ei Dominum refert idem ipse Paulus, *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum, in quibus apparebo tibi, eripiens te de populis, & gentibus: in quas nunc ego mitto, te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me.* Ecce ad quid apparuit Christus Dominus Saulo, & vocauit eum de cœlo, cum persequeretur Ecclesiam, & prostratũ in terram surgere fecit, & stare super pedes suos: vt
Rom. 15. cõstitueret eum ministrum fidelem Euangelii in gentibus: sicut ipse ad Romanos scribit gratiam sibi da-

tam à Deo, *Vt sim*, ait *minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans Euangelium* Dei: & vt constitueret eum testem eorum, quæ vidit, & visurus erat, per reuelationes Iesu Christi. Testis enim futurus erat Paulus in toto vniuerso veritatis Euangelij, & mysteriorum fidei, quæ est in Christo: testis passionum Christi, quas in sua carne adimpleturus erat, & laborum, vigiliarum, & patientiæ, & tentationum, & persequutionum Christi, quas plusquã alij expertus est, & passus: sicut in 2. ad Corint. dicit, *Ministri Christi sunt (vt minus sapiens dico) plus ego, in laboribus, plurimis in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter.* Licet non experientia mortis (ait Chrysostomus, Homilia 11. in Genesim) tamen moriendi proposito, aut moriendi periculis, quibus se exponebat propter Euãgelium: à quibus eum Dominus mirabiliter eripiebat, donec compleret cursum ministerij sui, & operis, ad quod eum Deus elegit, & assumpsit. Quodnam opus ministerij? Vt aperiret oculos cæcorum, & conuerteret gentes à tenebris ad lucem sua doctrina: sicut & ipse Paulus ait in Actis Apostolorum, de se dictum, illud Esaiæ, *Dedi te in lucem gentium*: & de potestate Sathanæ educeret, atque ad Deum reduceret, à quo accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, & electos fideles Christi Iesu. Hæc omnia bona obtinuerunt populi gentium per ministerium Pauli, & testimonium eius. Fidelis plane minister, Paulus, & testis fidelis, qui passiones Christi expertus est, & crucem eius, ac stigmata: quique pro testimonio fidei, quã prædicabat, non solum proposito, sed re ipsa, occidi meruit, & sanguinem fundere, & tot animarum millia ab æterna morte liberare. *Liberat animas testis fidelis*, Salomon ait. Hunc verò Paulum ego dixerim, Dei ministrum, & testem, qui innumerabiles hominum animas de potestate Sathanæ liberans, ad Deum traxit, & cœlo reddidit.

2. Cor. 11.

Chrysost.

Actor. 13.

Esai. 49.

Prouerb. 14.

Sed adhuc videamus, quomodo ministerio Pauli liberauerit Christus animas has de potestate Sathanæ. Libri Regum primi sacra narrat Historia, quòd Amalechitæ tulerant duas vxores Dauid, & omnem substantiam, quam habebat in vrbe: decreuitque per-

1. Reg. 3.

ſequi latrunculos, & comprehendere. Cum autẽ pergeret cum viris ſuis, *Inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid, dederuntque ei panem, vt comederet: qui, cum comediſſet, refocillatus eſt, & reuerſus eſt ſpiritus eius. Non enim comederat panem tribus diebus.* Iſte duxit Dauid ad cuneum Amalechitarum: quos ille percuſſit, & tulit omnem prædam, & ſpolia eorum, & duas vxores ſuas reduxit, & dixerunt *Hæc est præda Dauid.* Princeps Amalechitarum, diabolus eſt, vt Origenes dicit, Homilia 19. ſuper Numer. & Ambroſius, libr 1. Hexameron, capitulo 4 Princeps huius mundi, qui eum deuaſtauit infidelitate, Idolatria & peruerſis hominum moribus, in omnibus gentibus, quæ miſerabili cæcitate, & vitiorum ſordibus præditæ erant. *Initium gentium Amalech*, dixit Balaam: non quidem in eſſe naturæ (Sic enim ſolus Deus, principium eſt omnium creaturarum), ſed in eſſe culpæ, & cæcitatis atque Idolatriæ. Propterea enim vocat, gentes: ſicut Apoſtolus ad Corinthios dicit, *Cum gentes eſſetis, ad ſimulachra mutuo prout ducebamini euntes.* Has gentes Diabolus ſeparauit à Chriſto, & declinare fecit ab illo, ad falſos Deos, & perditos mores. Hoc enim ſignificat Amalech, ideſt, *Declinans populum.* Declinauit mundum à fide, & amore Dei. Iſte deuaſtauit Eccleſiam, duas vxores Dauid captiuas tulit, quoniam in Synagoga, & Eccleſia gentium, multam animarum ſtragem fecit, & ingentem prædam egit. Seruus, & miniſter huius Principis Amalechitæ, Saulus erat: quem Dominus Ieſus inuenit in agro, & in via iacentem. Iſte quidem vaſtauerat primo ciuitatem Dauid: quia, vt Sanctus Lucas dicit, *Saulus deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, &c.* Sed, dum eſſet in via, cœpit ægrotare, & cecidit in terram. (*Et cadens in terram*, ait Sanctus Lucas). Adducunt autem *eum ad manus. Erat autem tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.* Sed in domo Ananiæ baptizatus eſt, *& accipiens cibum, confortatus eſt.* Rediit in eum ſpiritus, & recreatus eſt, & vires recepit. Iſte ergo Saulus, qui fuerat miniſter Sathanæ, prius blaſphemus, & perſequutor, adductus ad Da-

*Origines.* *Ambroſ.* *Num* 24. 1. *Cor.* 12. *Actor.* 8. *Actor.* 9. *Actor.* 9.

uid, & ad Christum, factus est ministeregregius, & fidelis in gentibus, sicut ipse dicebat, *Fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui prius fui persequutor, &c.* 1. Tim. 1.
Hic adduxit Christum ad gentium cuneos, vt eos caperet, & in seruitutem redigeret, eripiens eos de tenebris, & peccatis, quibus anteà detinebantur, & ad lucem, & sanctitatem Euangelii Christi reducens (*Vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel*). Ecclesiam gentium, & Israëlitarum Synagogam prædicatione sua reduxit ad Dominum Iesum Saulus ad Christum conuersus, & Paulus effectus, minister Christi Iesu, à quo in terram prostratus, & mirabiliter erectus est: atque, vt Ambrosius ait, serm. 27. *In tantum illi profuit ista Domini percussio, vt de Iudæo Christianus, de blasphemo Apostolus, de Saulo Paulus existeret: & eo vsque mutauit veterem cum moribus homin̄e, vt etiam mutaret & nomen.* Habemus ergo iam in Paulo, testem Christi, & ministrū: videamus & ducem. Actor. 9. Ambros.

Adeo proprium est Paulo, quòd sit dux gentium in Euangelij prædicatione, vt dicat de eo sanctus Lucas in Actis Apostolorum, *Ipse erat dux verbi.* Quemadmodum enim Moyses olim fuit dux populi Iudæorum, vt eos de tenebris, ac seruitute, educeret, atque in terram promissionis introduceret, ita Paulus dux à Christo electus fuit gentium, vt eas à peccatorum tenebris Euangelica luce eriperet, & ad terram æternæ hæreditatis secum adduceret. Qua ratione D. Thomas 1. part. quæst. 12. artic. 11. ad 2. & 2. 2. quæst. 175. artic. 3. sequutus Augustinum, epistola 112. ad Paulinum, & 12. super Genesis docuit miraculosè factum esse à Domino, vt Moyses, & Paulus, adhuc mortales, raperentur ad videndam Dei essentiam, eo quod sicut Moyses fuit primus dux, & magister populi Iudæorum ita Paulus fuit primus dux, & magister gentium, nisi quod Paulus maiori cumulo hoc bonum adeptus est. Moyses enim, vnius gentis ductor fuit, Paulus vero totius orbis, Moyses cum Pharaone dimicauit Paulus cum diabolo, Moyses ab Ægypto populum liberauit, Paulus ab inferno animas gentiū eripuit, atq; saluauit. Hunc ducem, & saluatorem, Deus populis omnibus dedit, & Spiritu sancto, & virtute vnxit, vt saluum, Actor. 14. D. Thom. August.

faceret populum suum. Olim de Saule dixit Dominus ad Samuelem: *Cras mittam virum ad te, de terra Beniamin: & unges eum ducem super populum meum: & saluabit populum meum, &c.* Virum vocat, ob eximiam fortitudinem, quæ duci adesse debet: vnctum vero, ob abundantiam gratiarum spiritualium, quam à Domino percipit. Sic profecto hodierna die misit ad Ananiam Dominus Saulum, virum de terra Beniamin, vt eum vngat ducem totius Christiani populi: vt saluet eum de manu inimicorum omnium, & de manu inferni. *Vade, Anania,* ait, *quoniam vas electionis est mihi iste.* Et Ananias ad Saulum, *Dominus misit me Iesus, vt videas, & implearis Spiritu sancto.* Ecce quomodo vngitur Saulus in ducem populi Christiani, vnctione Spiritus sancti, in ducem, & Principem populi Dei, vt eum saluum faciat. Iam videre mihi videor in Saulo duce Ecclesiæ, & Principe Christiani populi, completum, quod olim contigit in Aod fortissimo, de tribu Beniamin. *Suscitauit eum Dominus saluatorem Filijs Israël. Qui vtraque manu pro dextra vtebatur. Hic occidit Regem Eglon pinguissimum, & liberauit populum suum à seruitute Moabitarum.* Omnes Apostolos Domini, vicarios Christi, fuisse saluatores (quodammodo) mundi, D. Hieronymus dicit super Abdiam, cap. 1. circa finem, in illud, *Ascendant saluatores in montem Sion.* Sed potissime hoc conuenit Paulo: qui totius mundi saluandi curam suscepit. Hunc suscitauit Dominus, quia quasi resuscitatio mortui fuit mirabilis eius conuersio, & pro gloria magna Dei. Vnde Aod interpretatur *Laus*: & Paulus de sua conuersione dicit ad Galatas, *Et in me glorificabant Deum.* Mirabantur enim, & stupebant, & laudabant Deum. Aod, ambidexter erat: sed multo melius Paulus, qui ad Corinthios de se scripsit *Per arma iustitiæ, à dextris, & sinistris.* Quia tam prosperis, quam aduersis, fœliciter, & prospere vtebatur: sicut Gregorius prosequitur, Homilia 19. in Ezechiel. In omnibus dexter erat, in fide, & operibus, & veritate. Lectio Hebræa aliter habet, *Erat vir clausa manu dextera.* Non poterat vti dextera manu ad pugnam. Deus enim Apostolos elegit infirmos, ac debiles; vt in his, quæ agerent, sublimitas esset virtutis Dei, & non ex

*1. Reg. 9.* — *Actor. 9.* — *Iudic. 3.* — *Hieron. Abdiæ 1.* — *Galat. 1.* — *2. Cor. 6.* — *Gregorius.* — *Iud. 3.*

ipsis: vt merito diceret vnusquisque eorum cum Dauid: *Dextera Domini fecit virtutem*: & iterum, *Brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum* Vnde & de Paulo dicit Chrysostomus, Homil. 2. de laudibus eius, cum mirabilia eius per orbem gesta narrasset: *Neque vero dicas, quia hæc non perficiebantur à Paulo. Hoc etiam nos fatemur. Sed etsi ipse non erat, qui cuncta complebat, nequaquam tamen ab eorum laudibus separatur: quia vtique dignum tantæ se gratiæ præparauit, per quam tam magnifica, & gloriosa perficeret.* Vnde cum ad Corinth. scribens, diceret: *Abundantius illis omnibus laboraui*: mox subdit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Vbi dexteram tribuit gratiæ Dei, sibi vero sinistram. Psal. 117. Ps. 43. Chrysost. 1. Cor. 15.

Aod fecit sibi gladium ancipitem: quia sancti Apostoli, prædicatores Euangelij Christi, ancipiti gladio feriebant animas hominum, verbo scilicet, & exemplo potentes in opere, & sermone. *Gladij ancipites in manibus eorum* Ijs occidebant eas mundo, vt viuificarent Christo. Gladius anceps, & vtraque parte acutus, erat sermo Dei, quem Paulus prædicabat: & de quo ad Hebræos dicebat, *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Psal. 149. Heb. 4.

Aod dixit ad Regem Eglon, *Verbum Dei habeo ad te, ô Rex Et ille surrexit statim de throno*: plane, vt reuerentiam exhiberet verbo, & sermoni Domini. Sed quid Paulus? Non ad vnum Regem tantum habuit verbum Dei: sed ad innumerabiles Principes, & Reges, attulit nomen, & sermonem Christi Domini: *Vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & Filijs Israel.* Et apud Hieremiam de Paulo: *Prophetam in gentibus dedi te.* Et apud Esai. *Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt.* Quis enim Regum ad sermonem Pauli non consurgit? Quis non veneratur Principum, & adorat Dominum, qui tale verbum posuit in ore Pauli: cuius lingua per totum orbem tam velociter quam sol cucurrit, & solis radijs multo magis illuminauit? Iudic. Actor. 9. Hier. 1. Esai. 49.

Aod interfecit *Eglon pinguissimum, percussitque eum in ventre.* Paulus vero totum mundum, luxuriæ, & voluptati deditum, gladio spiritus in ventre percutiens, spiritualiter occidit. Audi illum prædicantem aduersus eum, & in ventre ferientem *Multi* Iudic. 3. Philipp. 3.

*ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est.* Et iterum, *Huiusmodi enim, Christo Domino non seruiunt,*
Rom. 16. *sed suo ventri.* Et alio loco, *Esca ventri, & venter escis: Deus autem hunc, & has destruet.* Hæc loca referens Gre-
1. Cor 6. gorius, libro 31. Moral. cap. 10. sic dicit, quod quem-
Gregor. admodum Rheinoceros cornu suo elephantes in ventre percutit: sic Paulus homines, gulæ, ac luxuriæ deditos, fortitudine prædicationis suæ percutit, & quasi bestias, superbos, & ventris cultores, redarguit, & occidit, &c. Vbi ergo videris in mundo ventris delitias, luxusque contemni, & abstinentiæ, atque castitati operam dari, quasi emortuo iam ventre, gratias age beatissimo Paulo, qui mundum in ventre percussit, & emortuum reliquit.

Iudic. 3. Aod pugnaturus aduersus Moabitas, occiso Eglon. *Ipso in fronte gradiente*, dicit ad socios: *Sequimini me.* Et Paulus, Ecclesiæ dux inclytus, fidelium ductor egregius, qui omnes fideles quasi in fronte pugnæ antecessit, nullis laboribus parcens, nullis malis cedens: sed contra ardentior gradiens ante alios, in ieiunijs, in laboribus, in castitate, cæterisque virtutibus, audet dicere: *Imitatores mei estote: & obseruate eos, qui ita ambu-*
Philipp. 3. *lant, sicut habetis formam nostram.* O magnum fidelium ducem! O magistrum, & præceptorem gentium! O formam sanæ doctrinæ, & bonorum operum! O virtutum omnium exemplar, ad exemplar ipsius Christi Domini perfecte deductum! Hunc ducem sequamur: hunc magistrum gentium, & præceptorem, audiamus: hoc exemplar viuum imitemur vniuersi Christiani, &
Ioan. Cass. religiosi homines. Et, sicut nos admonet Ioannes Cassianus, Collat. 6. c. 10. simus ambidextri, & tam prospera, quam aduersa, ad partem dexteram, bono, rectoque vsu, faciamus pertinere: vt quæcunque nobis fuerint allata, fiant arma iustitiæ. In hoc enim virtus perfecta discernitur, si vtramque manum, in dexteram, bene viuendo conuertamus. Gladio ancipiti, carnis immoderatas concupiscentias feriamus, per abstinentiam mortificemus: & in castitate vtriusque hominis non ficta, membra nostra exhibeamus arma iustitiæ virtutis Dei; nec ventri seruiamus, sed Domino: &

cum Paulo *castigemus corpus nostrum, & in seruitutem redigamus*, vt non reprobi, sed probati inueniamur. Nam vt Chrysostomus recte docet, Homil. 22. in Genes. *Si ille, cui tanta contigit gratia, post tanta, & talia opera, opus habebat, vt castigaret, & in seruitutem redigeret, & subijceret potestati, & dominio animæ, corporis lasciuius: quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus destituti, omnibus peccatis onerati sumus? Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur* (Augustinus ait, libro de Agone Christiano, cap. 6.) *& castigemus corpus nostrum, & in seruitutem redigamus si volumus vincere mundum*, & in sanctorum societate regnare cum Christo. Qui cum Patre, &c. Amen. 1. Cor. 9. Chrysost. August.

## DE EADEM CONVERSIONE S. Pauli Apost.

### CONCIO IIII.

*Hic habet potestatem alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* ACTOR. 9.

CONuersio beatissimi Apostoli Pauli, de cœlo facta mirabili, ac repentina voce, & manifesto miraculo, vt August. ait, lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 19. quamuis sit plurimis titulis admiranda, per quam conuersus est Saulus in Paulum, persequutor in Apostolum, lupus in pastorem, vastator in gubernatorem, dissipator in ædificatorem: ex ea tamen parte, summa mutatio est dexteræ Dei, & singularis, quod ille, qui alligabat, & expugnabat vniuersos, qui inuocabant nomen Domini Iesu, tanta vi gratiæ Spiritus sancti sit conuersus ad Dominum: vt ipse sit, qui nomen Iesu portet per totum orbem, prædicet, & pro illius confessione alligari, & mori paratissimus esset semper. Ipse enim inquit, quia *Vincula, & tribulationes, Hierosolymis me manent: sed nihil horum vereor. Et præmiserat: Ecce, ego alligatus spiritu vado in Hierusalem.* August. Actor. 20.

Alligatus erat ipse à Spiritu sancto vinculis fidei, & charitatis perfectæ, & propterea alligari pro nomine Iesu non solum non formidabat: sed contra, totis viribus optabat, sicut ipse dixit: *Non solum alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Domini Iesu.* Actor. 21. *Quid igitur abis in vincula, si te tribulationes manent?* ait Chrysost. Chrysost. Homil. 5. de patientia Iob. *Ob id ipsum, vt pro Christo vinciar vt pro Christo moriar.* Deinde etiam quemadmodum olim alligatus ipse in carcere, & ligno constrictus, orationibus suis omnium vincula dissoluit (*Statim aperta sunt omnia ostia*, ait, *& vniuersorum vincula soluta sunt*) Actor. 16. ita etiam, dum vixit, prædicatione sua omnibus gentibus aperuit ostia fidei, & salutis: soluitque vincula errorum, & peccatorum, in libertatem filiorum Dei vocans, & trahens vniuersos, & alligans spiritu, quo ipse erat alligatus à Christo: ita vt dicamus de illo: Eccle. 6. *Vincula illius, alligatura salutis.* Sed & aliquid maius audi de vinculis Pauli. Tanta enim erat eorum virtus, & gloria, vt non solum alios attraherent, sed etiam robur animumque præstarent fratribus ad prædicandum Christi Euangelium intrepide, & ad passiones pro illo subeundas. *Et plures e fratribus in Domino* (ait) *confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui* Philipp. 10. Vides vinculorum fortitudinem, magis quam resurrectionis mortuorum, esse gloriam?

De hoc Paulo, tam mirabiliter alligato, intellexisse mihi videor apud sanctum Iob, illa Domini verba, *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis eum ad arandum loro tuo aut confringet glebas vallium post te? Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi, quoniam sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?* Iob. 36. Consulat pius Lector Commentaria Diui Gregorij, libr. 31. Moral. cap. 13. & deinceps (vel cap. 10. nouorum) vbi hæc omnia ad conuersionem Beati Pauli refert fuse, & egregie satis: deinde legat ea, quæ nos apponimus. Gregor.

Rhinoceros, siue vnicornis iste, Saulus est. Aut quia filius Iudæorum crudelium aduersus Christum Dominum, & indomabilium: de quibus scriptum est: *Et à cornibus vnicornium humilitatem meam*: & apud Psal. 21.

Ezechielem, *Dura facie, & indomabilj corde sunt*: & in Actis Apostolorũ; *Dura ceruice, vos semper Spiritui sancto resistitis*. Aut certè, quoniam ipse durus debellator, crudelissimus persequutor Ecclesiæ, atque immanissimus deuastator erat. *Saulus autem vastabat omnia*, ait Sāct. Lucas. Quasi quoddam insuperabile animal erat, nulli subiectum, liberum, indomitumque sicut ipse dicit; *Ego autem viuebam sine lege aliquando*: cùm Saulus esset in superbiam erectus, nemini subditus. Ezech. 2. Actor. 7. Actor. 8. Rom. 7.

*Nunquid volet?* Quia sicut Augustinus prosequitur, lib. 50. Homiliarum, Homil. 14. & 17. Saulus, Ecclesiæ persequutor, ac deuastator, cùm talis esset, cùm nihil boni mereretur, sed contra mereretur plurimum malum, cùm mere retur damnari, non eligi; subitò, cùm mala faceret, & mala mereretur, vna cœlesti voce prostratus est, ac Dei misericordiam consequutus, & tam mirabiliter mutatus est in virum alterum, vt voluntariè sese obtulerit Christo cum omni humilitate, & subiectione, inquiēs; *Domine, quid me vis facere?* Mutata enim est suaui vocatione Dei eius voluntas, vt à malo in bonum conuersa, ex corde, & in auditu auris obediret illi. August. Actor. 9.

*Seruire tibi*. Paulus, antea liber, nullique subiectus, diuina vocatione mutatus, non vni tantum homini seruiuit in Euangelio; sed omnibus populis, & linguis: vt omnes conuerteret ad Christum. *Cum essem liber ex omnibus*, ait, *omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem*. Seruiuit *Christo*, ait Origen. lib. 1. in Epist ad Roma. *non spiritu seruitutis, sed spiritu adoptionis: quia omni libertate nobilior est seruitus Christi*. Summa ingenuitas hæc est, maxima dignitas Sanctorum, & singularis gloria, quòd serui Iesu Christi dicantur, & sint. *Paulus, seruus Iesu Christi*. Hic titulus gloriæ Paulo, maior fuit, quod seruus esset Christi, & in illo omnium, vt omnes lucrifaceret Christo. Paulo congruit mirabiliter id, quod à Domino per Esaiam dicitur; *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ*. Quæ verba ipse Paulus in Actis Apostolorũ exposuit de seipso, inquiens; *Ecce conuertimur ad gētes. Sic enim præcepit nobis Dominus, Posui te in lucem gentium, &c.* Qui omnium gentium magister erat, & prædicatione primus Apostolorum, factus est omnium seruus, 1. Cor. 9. Origenes. Rom. 1. Esai. 49. Actor. 13.

seruiensque die, ac nocte in ministerio, & laborans abundátius cæteris; vt ad lucem Euangelij, & ad Christi seruitutem, traheret omnes, ab Hierusalem, vsque ad extremas orbis regiones; & à Regibus, & consulibus terræ, vsque ad minimum, & extremum hominem: Græcis, ac Barbaris; sapientibus, & insipientibus, nobilibus, & ignobilibus se debitorem affirmans, nulli verbum Euangelij denegabat, omnibus prædicabat, Christi, & omnium seruus.

*Aut morabitur ad præsepe tuum?* Præsepe Domini, sancta Ecclesia Christi est, vt D. Hieronymo placet, eodem loco in qua est sacræ Scripturæ, & Euangelij pabulum, quo animæ fidelium reficiuntur. Præsepe plenum, & non vacuum, vt erat Synagoga. Ad hoc præsepe alligatus erat Paulus, morabatur ibi, & pascebatur agnoscens, & prædicãs illud, cibo illius satiatus, & nullum alium quærens. *Nunquid mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?* Est etiam in hoc præsepio fænum carnis Christi Domini, cibus animarum sanctarum, quæ sunt animalia munda, & morantur in Ecclesia Domini, vt comedant carnem eius, & satientur. *Animalia tua habitabunt in ea. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Paulus etiam, iam seruiens Christo, statim ad hoc præsepe morabatur, sicut in Actis Apostolorum dicitur; *Accipiens cibum, confortatus est*: fortior iam vnicornis factus, ad confutandos, & ventilandos cornu, inimicos Christi, quam antea fuerat, cum persequeretur Ecclesiam eius, & vastaret eam. Quoniam cibus ille cœlestis mutauit fortitudinem eius, & cornu illud, primum terribile, & ferum, conuertit in cornu salutis nobis, & toti Ecclesię Christi. Scio Diuum Hieronymum, super Prouerbia, exponere verba illa, *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est*: vt per præsepe intelligat, auditores prædicatorum, quos ipsi quidem doctrina, & verbo vitæ pascunt: sed simul ab ipsis pascuntur, velut à præsepio quodam pleno, cum de eorum profectu, & fructu reficiuntur, nutriuntur, & viuunt. Ad hoc auditorum præsepe Paulus tota vita sua morabatur, pascẽdo auditores Euangelij, per totum orbem, cibo doctrinæ cælestis: sicut de illo dicitur in Actis Apostolorum; *Paulus, et Barnabas morabantur Lystris.* Ac postea dicitur eodem capite; *Morati sunt autem tempus non modicum cum Disci-*

*Hieronym.* — *Iob. 6.* — *Psalm 67.* — *Actor. 9.* — *Hieronym.* — *Prouerb. 14.* — *Actor. 14.*

*pulis.* Ecce, morabatur ad præsepe Discipulorum, quos docebat, quos pascebat verbo, & exemplo: & ex eorum pastu ipse pascebatur, atque viuebat: ita vt ad Thessal. scriberet; *Nunc viuimus, si vos statis in Domino.* Queadmodum enim Christus Dominus, vt Bernardus docet, ser. 71. in Cant. *cum pascit nos, ipse pascitur profectibus nostris, & gaudet*: ita & Paulus vniuersos fideles sua prædicatione pascebat, nutriebatque, ac de eorum spirituali fructu, & profectu, pariter vescebatur, & spirituali gaudio reficiebatur mirabiliter. 1. Thes. 3. Bernard.

*Nunquid alligabis eum ad arandum loro tuo?* Paulus, ita alligatus erat Christo, & aratro crucis eius, loro ardentissimæ & strictissimæ charitatis, quam ipse vocat *Vinculum perfectionis* se gloriosum magis, vt in nullo atque beatum reputaret, quam in his vinculis charitatis, in quibus tractus est, & conuersus ad obedientiam fidei. Sic se, pro singulari titulo honoris, vinctū Christi Iesu vocat. *Obsecro vos, ego vinctus in Domino.* Et ad Philemonem; *Paulus vinctus Iesu Christi* Vnde Chrysost. rectè docuit, Homil. 16. ad populum, & Homil. 5. de patientia Iob; *Nihil tam clarum est, quam pro Christo vinctum esse: ita vt catenæ, circumdatæ illius sanctis manibus, Apostolatu, & Doctoratu multò sint illustriores, maiorique veneratione dignæ. Si quis amat Christum, eligeret fortasse vinctus esse pro Christo, magis quam cœlos inhabitare. Nam forte hoc clarius, quam in dextris eius sedere. Alligatus* autem erat *ad arandum*: sanè vt aratro prædicationis suæ terram vniuersam proscinderet, & verbo Euangelij disseminaret, & huberrimos fructus fidelium colligeret Christo. *Debet enim qui arat, arare in spe fructus percipiendi.* In qua re, quantum laborauerit in vniuersis gentibus hic curuus arator, die, ac nocte, absque vlla intermissione, explicari verbis non potest. *Nunquid tota die arabit arans?* ait Propheta. At iste fortissimus arator, sine intermissione, diebus, ac noctibus, arabat, nullam requiem habēs in carne sua. *Abundantius* enim *omnibus* aliis Apostolis *laborauit*, ac *laboribus plurimis.* Arabat etiam quotidie, terram Scripturæ sacræ vertens, ac reuoluens, vt melius posset aliorum cultor esse, & animarum Doctor in gentibus. Meminerat enim, quod à Salomone dictum est; *Quasi qui arat, & qui seminat, accede ad eam* (hoc est, ad sapientiam) *& sustine bonos fructus il-*

Coloss. 3. Ephes. 4. Philem. Chrysost. 1. Cor. 9. Esai. 28. Eccles. 6.

*lius*. Nec solum alligatus ad arandum fuit. Nam sequitur; *Aut confringet glebas vallium post te*: Solent glebæ, quæ ipsi iam excultæ, & aratæ terræ superiacent, iacta-ta semina premere, & nascentia suffocare. Tales erant Iudæi impij, & alij doctrinæ euangelicæ aduersarij: qui neque ipsi, diuini verbi semina recipere volebāt, & eos, qui recipiebant, decipere, & impedire conabantur. Iis
Matth. 23. dicebat Dominus; *Vos non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*. Ad imitationem ergo Domini, & post ipsum, Paulus Iudæos resistentes prædicationi euangelicæ, & iactata verbi diuini semina suffocare nitentes, confrin-
Actor. 9. gebat forti animo: de quo scriptum est; *Confortatus, conualescebat, & confundebat Iudæos*. Et cùm iterum Elimas,
Actor. 13. magus, & Iudæus, prædicationi eius resisteret, dixit; *O plene omni dolo, non desinis subuertere vias Domini rectas! Eris cæcus, & non videns solem vsque ad tempus*. Vtrumque ergo faciebat Paulus à Spiritu sancto edoctus, & confortatus. Arabat terram fidelium, & seminabat verbi diuini semine: simulque confringebat glebas impedientes prædicationis euangelicæ fructus, in iis, quos eru-
Osee 10. diebat ad salutem. *Arabit Iudas*, ait Propheta, *& confringet sulcos Iacob*. Iudas, confessorque fidei, & annuntiator, Paulus, arabit terram totius orbis, vomere sanctæ prædicationis: & fortis Iacob, supplantatorque hostium Christi, confringet dura corda infidelium, ne Euangelij semina opprimant: aut certè, vt molli sinu confracta ipsa suscipiant, & fructus plurimos afferant ipsi Christo, suscipiatque fidem, quam antea expugnabant.

*Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, &*
Actor. 9. *derelinques ei labores tuos?* Quantam fiduciam habuit Dominus in fortitudine Pauli, cum dicebat; *Vade, quia vas electionis est mihi iste?* De quo postea subditur; *Loquebatur cum fiducia verbum Dei*. Et in Epistola ad E-
Ephes. 6. phesios dicit; *Vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij.*

Actor. 9. Labores suos illi reliquit, de quo dicebat; *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Passio-
Coloss. 1. nes suas ei reliquit, qui dicebat; *Adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi*. Labores suos ei reliquit: vt in labori-
1. Cor. 15. bus plurimis versaretur pro Euangelio, & *abundantius*

*omnibus laboraret* pro Ecclesia Christi, quam ei cōmendauit, & reliquit regendam, & amplificandam, quam acquisiuit laboribus suis.

*Nunquid credes illi, quod sementem reddat tibi, & aream suam congreget?* Quis enim hominum hæc crederet? Ananias dubitabat, inquiens; *Domine, audiui de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis.* Quasi diceret (ait August. serm. 9. de verbis Apostoli.) *Quo me mittis? Ouem ad lupum?* Alij stupebant, & timebant, *Non credentes*, ait S. Lucas, *quod esset discipulus.* Sed Dominus, qui de lupo fecit ouem, & de oue pastorem, sic credidit illi, vt Euāgelium suum illi crederet, & dispensationem illius, sicut ipse scribit Timothæo; *Euangelium Dei, quod creditum est mihi.* Similiter & ad Corinth. *Dispensatio mihi credita est.* Quam verò huberem sementem reddiderit Christo Paulus, facilè credit, qui scit, ipsum repleuisse Euāgelium eius per totum orbem, & impleuisse faciem orbis terræ semine, ac fructus incredibiles collegisse, & cōgregasse in area Domini. *Vt aliquem fructum habeam in vobis*, ait ad Romanos, *sicut & in cæteris gentibus.* Non in gentibus tātum, sed & in Iudæis, fructus habuit plurimos: ita vt area Domini, quæ est Ecclesia, abundaret frumento electorum ex omnibus populis, & ex vniuerso orbe, quem sua prædicatione docuit, & ad Ecclesiam Christi congregauit. In tantum enim virtute progressus est mirabilis iste Rhinoceros, sicut Chrysost. dicit, Homil. 4. de laudibus eius, vt *vix triginta annorū spatio, omne prorsus humanum genus sub iugum mitteret veritatis.*

Actor. 9. August. 1. Timot. 1. 1. Cor. 9. Rom 1. Chrysostom.

En, quo pacto alligatus Spiritu sancto Paulus, alligauit ipse manipulos electorum, quos sua prædicatione collegerat, & in horrea Domini cōgregauit, & post innumeros labores pro fide exhaustos, portans ipse cū exultatione manipulos pene infinitos meritorum, accepit coronam iustitiæ, quam illi reddidit iustus iudex, Iesus Christus. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat in sæcula, &c. Amen.

*De Purificatione B. Mariæ, require, de Oblatione Christi Domini in Templo.*

# DE SANCTO MATTHIA Apoſtolo.

## CONCIO PRIMA.

*Ita, Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* MATTH. 11.

MAtthiam, qui Hæbræa nomina interpretari ſolent adfirmãt, ſignificare, *Donum Dei*: alij ſonare, *Paruum Dei*: & vtrumque mire conuenit ſancto Apoſtolo, cuius natale celebrat ſancta Eccleſia hodierna die. Eſt enim ipſe vnus ex paruulis, cui Deus reuelauit myſteria cœleſtia, quę ſuperbis ſapientibus abſcondit. *Et reuelaſti ea paruulis.* Paruulos enim vocat, teſte Clemente Alexandrino, lib. 1. Pædagog. cap. 6. eos, qui *Veterem hominem depoſuerunt, & vitij tunicam exuerunt, Dei autem incorruptionem induerunt: vt facti nouus populus, ſanctus, regenerati, impollutũ hominẽ cuſtodiant.* Ij enim ſapientibus mundi aptiores ſunt ad ſalutem. Hos paruulos inuitat Dei Sapientia, quibus ſua myſteria communicet. *Si quis eſt paruulus, veniat ad me.* Et Beatus Petrus, *Quaſi modo geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite.* Præmiſerat autem: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, &c.* vt videas, eos vocari infantes, & paruulos, qui puritate, & innocentia vitæ, ſunt paruuli Dei, regenerati in Chriſto per gratiam ipſius. Aut paruulos vocat, humiles ſpiritu, & non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, vt Auguſtinus ſentit,

*Clemens Alexand.*

*Prouerb. 9*

*1. Pet. 2.*

*Auguſt.*

ſentit, ſermone 8. de Verbis Domini, & 48. de Tempore, & Ambroſius libro 7. Commentariorum in Luc. *Ambroſ.*
Humiles enim corde & qui in oculis ſuis ſapientes, & prudentes non ſunt, ij, aptiſſimi iudicantur, quibus Deus ſapientiæ ſuæ occulta myſteria reuelet. Qua ratione dictum eſt in Prouerbiis Salomonis: *Vbi est humilitas, ibi & ſapientia.* *Prouerb. 11.* Quæ verba adducens Auguſtinus, *Auguſt.* ſermone 213. dicit, *Eam, quam non inuenit humilitem, veritas fugit mentem.* At humiles mentes, capaciſſimæ ſunt, vt diuina ſapientia impleantur, & in quibus myſteria cœleſtia reuelata recondantur: cuiuſmodi fuit Sanctus Matthias, in lege Domini ſapientiſſimus: & dignus, quem Dominus, quia humilitatem, & puritatem cordis amauit, impleret ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.

Eſt etiam ſanctus Apoſtolus, magnum quoddam donum Dei, & ſingulari eius dono datus Eccleſiæ ſanctæ. Non dubium eſt, omnes Sanctos, dona quædam Dei eſſe, quæ ſanctæ Eccleſiæ donata ſunt, ad illius cōſummatam perfectionem. Quemadmodum enim Spiritus ſanctus, donum ſummum, & infinitum eſt, quod à Patre, & Filio donatur hominibus, vt Diuus Thomas *D. Thom.* docet, & exponit 1. part. quæſtione 38. articul. 2, ita etiam conſequenter viri ſancti, qui per Spiritum ſanctum, ſancti efficiuntur, dona ſunt Chriſti Domini, data hominibus ad eorum vtilitatem. Vnde Paulus ad Epheſios ſcribens, cùm dixiſſet: *Aſcendens in altum, dedit dona hominibus*: ſubdit, *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c*: *Epheſ. 4.* vt intelligamus, Apoſtolos, & alios Sanctos, dona eſſe Dei, quæ contulit Eccleſiæ hominibus, ad omnium electorum conſummationem, & ſalutem Sed inter alios, Beato Matthiæ Apoſtolo maximè conuenit, donum eſſe Dei, qui ſpeciali ſorte, & donatione Spiritus ſancti, datus eſt Eccleſiæ, ad conſummationem Senatus Apoſtolici, ne ſua perfectione, & integritate careret, & ad conſummationem Sanctorum, & opus miniſterij Apoſtolici: quod tam mirabiliter exercuit Matthias Apoſtolus, viuens ac moriens, vt planè quiſquam videre poſſit, eum fuiſſe ſpeciali dono Dei ſanctæ Eccleſiæ donatum. Vnde ſpecialiter, ac ſingulariter de eo dicitur in

*Actor.1.* Actis Apostolorum; *Cecidit sors super Matthiam*. Nulli dubium esse debet, electionem, & vocationem omnium fidelium, qui vocantur, & veniunt ad Christum, sortem quandam esse, de cœlo venientem, ex sola Dei bonitate, & gratia, absque vllis nostris meritis, aut
*Rom.9.* operibus. Dicit enim Apostolus: *Non ex operibus, sed ex vocante, dictum est: Iacob dilexi, &c.* Et ad Ephesios
*Ephes.1.* dicit: *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt*
*August.* *essemus sancti, &c.* Et, sicut aduertit Augustinus, Tractatu 86. in Ioannem, non dicit, Quia eramus sancti, & immaculati, sed, *Vt essemus*: quoniam illa Dei electio, non ex operibus nostris, sed ex Dei gratia, & misericordia, & non secundum opera nostra, sorte quadam diuina fit. Vnde subdit, *Et nos sorte vocati sumus*: fœlici sorte gratiæ Dei, secundum propositum vocationis eius, & non nostris meritis, & industria. *Sicut enim*
*Ambros.* *sortis euentus* (ait Ambrosius in Institutione ad Virgines) *non in nostra est potestate, sed quem casus attulerit; ita & gratia Domini, non quasi ex mercedis merito, sed quasi ex voluntate defertur.* Ideo dicitur: *Cecidit sors super Matthiam.* Quia *Sine industria, aut diligentia hominum, ex sola Dei voluntate, & gratia, venit de cælo, & su-*
*Origenes.* *per Matthiam cecidit* (ait Origen. Homi. 3. super Iosue:) *vbi precedente oratione, non casu, sed prouidentia, sors diuinum iudicium deferebat: &, quod in occultis habebatur apud Deum, sortis gubernatione hominibus etiam demonstra-*
*Dionysius.* *batur.* Docet autem mirabiliter Dionysius, libro de Ecclesiastica Hierarch. capit. 5. part. 3. hoc modo: *Porrò de sorte illa diuina, quæ Matthiæ diuinitus obtigit, meo iudicio, non recte, aperiam autem ipse, quid sentiam. Videtur mihi Scriptura sortem appellasse, diuini quiddam, & præcipui muneris; per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset diuina electione declaratus, &c.* Itaque existimant multi, quod sicut visibili signo de cœlo descen-
*Genes.4.* dente, approbatum est à Deo sacrificium Abel, & re-
*3. Reg. 18.* probata oblatio Cain, aut, sicut igne de cœlo cadente consumptum est sacrificium Eliæ, non vero oblatio sacerdotum Baal: ita etiam, signo aliquo cœlesti visibili declaratum est Apostolis, quem elegisset Dominus in Apostolum ex illis duobus. Et hoc insinuant

illa verba: *Tu, Domine, qui nosti corda hominum, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum, &c.* Significant enim, Deum, qui occulta merita, aut dignitatem illorum nouerat, signo exteriori manifestasse, quis eorum assumendus esset ad Apostolatum. Et fortasse id etiam insinuat, quod dicit: *cecidit sors*: sicut in Actis etiam dicitur: *Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Visibiliter enim cecidit, cunctis, qui adstabant, cernentibus. In hac autem mirabili electione Sanct. Matthiæ, quæ ab ipso Deo facta est, & Apostolis ostensa, & in qua nulla alia causa, aut ratio, præter Dei ipsius voluntatem, & gratiam, quærenda est: *Ita, Pater: quoniam sic placitum fuit ante te*: multa sunt annotatione digna, quæ à nobis hoc loco sunt valde obseruanda. *Actor. 1.* *Actor. 10.*

Est enim obseruandum primo, quod dicit: *Statuerunt duos. Statuerunt*, dicit: non ipsi se obtulerunt: non ambitiosi venerunt, aut cucurrerunt ad dignitatem ambiendam, & negotiatione obtinendam: sed alij eos statuerunt, quasi paruulos, simplices, humiles, ac sine malitia, & dolo. Sic statuerunt Ioseph iustum, qui cognominatus est Barsabas, id est, *Filius quietis* (vt Hieronymus interpretatur.) Sic statuerunt nostrum Matthiam, paruum innocentia, & humilitate: quasi dicamus, *Adducens Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum. Statuerunt duos.* Ipsi statuerunt, & quasi inuitos, & reluctantes tenebant: & sicut de Salomone dicitur, libro 3. Reg. *Statuit duas columnas in porticu templi*: sic sancti Apostoli, qui, vt in Actis eorum dicitur, *Erant vnanimiter in porticu Salomonis*, statuerunt has duas columnas Ecclesiæ: vt viderent, quã illorum poneret Dominus in gradu Apostolicæ dignitatis. Hæc enim dignitas, & *Cathedra honoris*. sicut Diuus Petrus apud Clementem epist. 1. ad Iacobum, inquit, *fugientem quærit, desiderantem quoque horret.* Etenim, vt Paulus dicit ad Hebræos, *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aaron.* Nam, vt optimè dicit August. libr. 19. de Ciuita. cap. 19. *Locus superior, sine quo populus regi nõ potest, & si ita teneatur, atque administretur, vt decet: tamen indecẽter appetitur.* *Hieronym.* *Matth. 18.* *3. Reg. 7.* *Actor 5.* *Clemens.* *Hebr. 5.* *August.*

Sed, heu, quam multi sunt, & prorsus indigni hoc honore, qui non appetunt modo dignitates, sed ad eas impudentissimè currunt: aduersus quos multa dicit
*Bernard.* sanctissimè Diuus Bernardus, sermone de Conuersione ad Clericos, cap. 27. & sequentibus.

Secundò dicit, *Ioseph, qui cognominatus est iustus, & Matthiam. Et cecidit sors super Matthiam.* Non caret magno mysterio, quod Ioseph, qui cognominabatur iustus ab omnibus, non sit à Deo electus in Apostolum: & Matthias, qui tali cognomine non gaudebat, electus est à Domino, sortem obtinuit. In primis, Ioseph erat Christi Domini cognatus, & consanguineus, & propterea noluit eum eligere in Apostolum, relicto Matthia, qui consanguinitate illi coniunctus non erat: vt doceret, dignitates Ecclesiæ, non esse consanguineis, & propinquis tradendas, sed melioribus, ac dignioribus, nulla habita ratione carnis, & sanguinis. Vnde in Euangelio dicebat: *Quæ est mater*
*Matth. 16.* *mea, et qui sunt fratres mei?* Et iterum: *Non est meum,*
*Matth. 20.* *dare vobis.* Notat optimè Chrysostomus, Homilia 8.
*Chrysost.* in epistolam ad Hebræos, & Ambrosius libro 10. epi-
*Ambros.* stol. 82. ideo in epistol. ad Hebræos. Sacerdotem Mel-
*Hebr. 7.* chisedec vocari, *Sine patre, sine matre, sine genealogia. Quod ad exemplum refertur: vt tanquam sine patre, et matre, sacerdos esse debeat: in quo non generis nobilitas, sed*
*1. Reg. 16.* *morum eligatur gratia, et virtutum prærogatiua. Vnges, quem monstrauero tibi,* dixit Dominus ad Samuelem. Vbi
*Gregor.* Gregorius libro 6. cap. 3. dicit: *Qui sunt, qui vngunt, quos non monstrat Dominus: nisi qui carnali affectu ad Ecclesiarum culmen ordinandos ducunt: qui non merita dis-*
*Psal 81.* *cernunt, sed personas accipiunt?* De his planè Dauid dicit: *Qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei.*
*Origenes.* *Discant Ecclesiarum Principes* (ait Origenes Homilia 22. super Numer.) *successores sibi non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium Dei, et non eligere illum, quem humanus commendat affectus.* Legatur Diuus
*D. Thom.* Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 1.

Deinde posset quis meditari secundo: quia Ioseph, ita iustus erat, & Christo dilectus, & charus, noluit

ei tradere onus Apostolicæ dignitatis, & grande illud *Genes.37.*
ministerium: sicut Iacob secum domi retinebat Io- *& 42.*
seph dilectissimum, cæteris fratribus oues pascentibus: & illis in Ægyptum pergentibus, Beniamin, quem tenerrimè amabat, cum ipso patre remansit. Rectè adnotauit Gregorius libro 20. Moralium capit. 22. *Gregor.*
cortinas tabernaculi, ex bysso, & hyacintho, & pur- *Exod.26.*
pura, sagis cilicinis coopertas fuisse: quia quorundam Sanctorum vita tenera, sed clara, sub aliorum cura pastorali seruatur, qui tentationum ventos, & pluuias de huius mundi contrarietatibus, portant. *Ornent Ecclesiam*, ait, *qui solis rebus spiritualibus vacant: regant Ecclesiam, quos & labor rerum corporalium non grauat, &c.* Iustum ergo Ioseph cortinam, Matthiam verò cilicinum sagum esse voluit: vt ille in quiete Spiritus sanctè viueret, iste verò Apostolatus laborem sanctè toleraret.

Aut fortasse tertio, ideo non cecidit electionis sors super iustum Ioseph: vt insinuaret nobis, quod non propterea quod quis iustus, & sanctus est, aptior est, & dignior ad officium pastorale. *Alia est enim ratio boni viri, & alia boni ciuis*, vt Aristoteles docuit libro 5. Æ- *Aristot.*
thicorum, cap.2. Et Paulus, *Nunquid omnes Apostoli?* *1.Cor.12.*
Non enim omnes apti sunt ad munus Apostolicum, licet Sancti sint. Vnde Diuus Thomas 2.2. quæst.47 ar- *D.Thom.*
tic.14. ad.1. docet, quod non omnes habentes gratiam, habent industriam, per quam possint aliis prouidere de iis, quæ pertinent ad salutem, & ad vitam humanam: & quæst. 185. artic. 3. docet, quod ad Episcopatum non oportet eligere sanctiorem: sed eum, qui aptior est, & melior ad regendam Ecclesiam Dei. Nihil enim prohibet, aliquem esse magis idoneum ad officium regiminis, qui tamen non excellit in gratia sanctitatis, &c. Potuit ergo Ioseph iustus, sanctior esse: & Matthias, melior ad munus Apostolicum exercendum.

Denique, quarto, *Sors cecidit super Matthiam*: *vt* considerémus, quanta erat, abscondita sanctitas, & virtus eius: qui, cum ab Apostolis, simul cum Ioseph, qui per quandam excellentiam cognominabatur iustus,

nominatus esset ad dignitatem Apostolatus, ipse à Domino electus est, relicto Ioseph &, qui nouit corda, Deus, ostēdit dignū illo Episcopatu Matthiam, super quē ceciditsors: vbi fortassehomines aliter iudicassent.
*1. Reg. 16.* Dauid, minor cæteris fratribus, vnctus est in Regem: dicebatque Dominus ad Samuelem, *Ne respicias staturā eius. Homines enim vident ea, quæ apparent: Deus autem*
*Chrysost.* *intuetur cor. Homo despicit*, ait Chrysost. Homilia 1. in Psal. 50., *sed Deus coronat, &c.* Multi vero qui in oculis hominum magni sunt, in Dei oculis nihil habent electione dignum: quia non secundum visionem oculorum iudicat. Vnde ab vno Prophetarum dicitur: *Ibi*
*Baruc. 3.* *fuerunt gigātes nominati, qui ab initio fuerūt statura magna. Non hos elegit Dominus.* At ostēdit Apostolis, Matthiā se elegisse, super quem beata sors cecidit, sors veritatis quasi de illa dictum sit à Salomone, *Destillauit illis sor-*
*Eccl. 17.* *tem veritatis:* quoniam in ea, ostensa est veritas æternæ prædestinationis, & electionis, sancti huius Apostoli. In
*Actor. 1.* qua veritate impius Iudas stare & perseuerare noluit. *Ostende*, ait, *quem elegeris ex iis duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo praeuaricatus est Iudas.* Iudas preuaricator, & proditor, cecidit à veritate, quæ Christus est: & suscitatus est in eius locum Matthias, quem Apostoli statuerunt: Deus elegit vt staret, & ille, dono Dei, in veritate, Domino suo stetit.

O vere miserum. & infœlicem Iudam! quem Christus elegit Apostolum, & ille in Diabolum conuersus
*Ambros.* est? *Quem ideo Dominus elegit vnum Apostolorum*, ait Ambrosius, lib. de Paradiso, cap. 8. *vt vel Dei beneficio reuocaretur à perditionis affectu.* Qui & lib. 2. de pœnitētia, cap. 5. dicit, *Arbitror, quod & Iudas potuisset tanta Dei miseratione non excludi à venia: si pœnitentiam egisset apud Christum, et non apud Iudæos.* De quo, optime Aug.
*August.* in lib. 50. Homiliarū, Homil 27. Sed ille, impœnitēs, & veritatis inimicus, factus est mendacii pater, & homicida Christi, dux eorum, qui comprehenderunt, & occiderunt Iesum De quo proinde dici potest id, quod de Diabolo dicit ad Iudæos Dominus in Euangelio
*Ioan. 8.* Ioannis, *Vos ex patre Diabolo estis: ille, homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, &c.* D. Epiphanius, lib.

1. aduersus hæreses, cap. 38. & 40. insinuat tres loci huius expositiones. Prima est cõmunis, & plana, apud omnes sanctos Patres, Gregor. Nazianz. Orat. 17. & August. tract. 42 in Ioan. & alios, de vero Diabolo: qui cum à Deo conditus esset bonus Angelus, ille per superbiam Diabolum se fecit, & in veritate non stetit, sed de cœlo decidit: & hominem, cui inuidebat, occidit, quem ex iusto, & immortali, peccatorem, & mortalem fecit, mentitus Deo, & mulierem mendacio decipiens, & dicens, *Eritis sicut Dij, & nequaquam moriemini.* Hunc, imitati sunt Iudæi, qui erant ex parte eius, mentientes Christo, tanquam filij alieni, & ipsum per inuidiam morti tradentes: quem negauerunt, & interemerunt, viri mendaces, & filii perditionis. Secunda est, quam etiam August. habet, lib. quęstion. veter, & noui testaměti, quæst. 98. de Cain: qui vt Sanctus Ioannes ait, *Ex maligno erat, & occidit fratrem suum cuius opera erant iusta.* Sic ab initio, inuidens fratri suo Abel homicida illius fuit, & mentitus illi est, imo & Deo: in cuius veritate non stetit, desperans de ipsius bonitate, & misericordia, & in viam perditionis declinans miser. *Egressus est Cain à facie Domini, & habitauit profugus in terra.* Quid ni egrederetur à facie Domini: qui in veritate, & misericordia eius stare noluit, sed vagus, & profugus abiit in viã cordis sui: & viã veritatis eligere neglexit, oblitus beneficiorũ, & iudiciorũ Dei? Misera illius sors, sicut iusti Abel fœlicissima: ex quibus vnus assũptus est à Domino, alter verò relictus, atque proiectus foras. Considera in Leuitico, *duos hircos super quos mittebatur sors: vna Domino, & altera capro emissario*: & cuius exiit sors Domino, oblatus est, & sanguis eius fusus, alter verò missus in solitudinẽ, &c. & videbis duos hos fratres Abel iustum, & Cain homicidã. Ille oblatus est Domino, & sanguis eius effusus est super terrã, & sors Domini super eam cecidit: iste vero in solitudinẽ desperationis suæ emissus est, & eiectus à facie Domini, propter ingentem eius iniquitatem, mendaciũ, atque homicidium. Hunc patrem Diabolum habuerunt Iudæi, hunc imitati sunt, persequẽtes Iesum iustũ, atque extra Hierusalem, quasi in agro occidentes: cuius sanguis clamat multò melius, quã sanguis Abel.

*Epiphan.* *Nazianz.* *August.* *Genes. 3.* *August.* *1. Ioan. 3.* *Genes. 4.* *Leuit. 16.*

Sed tertia expositio, solius Epiphanii, est de Iuda Iscariote. Hic enim electus est à Christo, vt esset Angelus, Apostolus: sed ille, sua culpa, Diabolus euasit. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est?* Ille fuit Magistri sui traditor, & proditor: ille homicida Christi, ille mendax, & fur, atque latro. *In veritate non stetit*: in sermone Christi, qui veritas est: in Schola eius, quæ est veritatis Non stetit, sed abiit ad sacerdotum Principes, vt proderet Iesum: exiuit, vt traderet eum inimicis, ac venderet, imitator Diaboli, sectator Cain fratricidæ, & qui desperans & ipse, nec in misericordia, & veritate, stare volens, abiit, & laqueo se suspendit: de quo scriptum est: *Cum iudicatur, exeat condemnatus: & Episcopatum eius accipiat alter.* Bene dicit, *alter*, longe diuersus ab illo: qui sit Angelus Domini qui sit sanctus, qui sit testis passionis, & resurrectionis Christi: qui stet firmus in veritate Christi, & pro illa fœliciter occumbat. Hic accipiat Episcopatum Iudæ, & locum Apostolatus eius, qui desperans, abiit in locum suum. O abyssum magnam iudiciorum Dei: O sortem incomprehensibilem duorum hircorum: quorum vnus seruatur Domino, & illi offertur: alter vero emissarius relinquitur, & emittitur in solitudinem, vt abeat in locum suum, &, velut alter Absalon parricida, suspensus inter cœlum, & terram, miserabiliter periret: *Ipse misit eis sortem* (ait Propheta) *& manus eius diuisit eam:* & misera sors contigit Iudæ impio, & cecidit fœlicissima sors super Mathiam Sic diuisit Dominus eis sortem, & sic placuit ei, *Ita, Pater: quoniam sic fuit placitum ante te:* nec est à nobis alia ratio inuestiganda Imo verò ipsa manus Domini diuisit sortem Apostolatus inter hos duos sanctos viros, Ioseph iustum, & Matthiam: quos sancti Apostoli statuerunt coram Domino, & quasi duos hircos illos *stare fecerunt coram Domino:* & qui cognominabatur iustus ab omnibus, dimissus est: humilis verò Matthias, & paruulus in oculis suis, electus est, & assumptus in sortem Apostolatus Christi Domini: *Ita, Pater: quoniam sic placitum fuit ante te.* Ad occulta ergo Dei iudicia reuocemus, cùm videamus in hac vna causa, quam habuerunt ii duo viri sancti, alterum assumi

Marginal notes: *Joann. 6.* — *Psal. 108.* — *Esai. 34.* — *Leuit. 16.*

ad Apostolatum, & alterum relinqui: neque inuestigabiles Dei nostri vias vestigare conemur, sed potius *Iob. 1.* gratiam eius commendantes, dicamus, *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen eius benedictum.* Ipsi gloria, ipsi laus, ipsi gratiarum actio, qui viuit, & regnat, in secula seculorum, Amen.

---

## DE EODEM S. MATTHIA Apostolo.

### CONCIO II.

*Tollite iugum meum super vos: & discite à me.*

MATTH. 11.

*Contradictiones comprimit sors*, inquit Salomon sapientissimus, *& inter potentes quoque diiudicat.* Nulla quidem *Prouer. 18.* erat contradictio in sanctis Apostolis Christi, & filiis pacis, super quos pax Domini requieuerat: qui vnanimiter omnes agebant, vnanimes vno ore glorificabant Deum, & orabant. Alieni erant à seditionibus Apostoli, & eorum discipuli, ait Origenes, tract. 28 in Matth. quorum omnium, sicut in Actis A- *Origenes.* postolorũ est scriptum, erat cor vnum, & anima vna in Domino. Confirmati enim erant in eodem sensu, & in eadem scientia. *Proteges eos in tabernaculo tuo*, ait Da- *Psal. 30.* uid, *à contradictione linguarum.* Sed, ne aliqua posset illis in tabernaculo illo, & cœnaculo, vnitatis, & pacis suboriri aut contradictio linguarum, aut dissensio cordium in electione noui Apostoli, quem eligi eo tempore necesse erat tum vt Scriptura impleretur: tũ etiam, ne sacratus ille Apostolorum Senatus suo pleno numero, & sua perfectione careret; ad orationem confugientes, tanquam ad tutissimum portum quietis, & pacis, statuentesque duos ante Dominum Ioseph iustum, & Matthiam, dantesque eis sortes, *Orantes dixerunt. Tu* *Actor. 1.* *Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex*

Actor. 1. *bis duobus vnum.* Oratio præcessit electionem: vt non casu, sed prouidentia, sors diuinum iudicium deferret: & inter illos potentissimos Ecclesiæ Principes, potentes virtute, potentes in opere, & sermone, coram Deo, & hominibus, non hominum iudicium, sed diuina sors diiudicaret, in medio (vt sic dicam) Deorum illorum: & futurus Apostolus, sicut & alij vndecim, non ab hominibus, sed ab ipso Christo Domino eligeretur. *Ostende*, aiunt, *quem elegeris ex his duobus vnum.* Non ipsi elegerunt: sed Dominus elegit Matthiam, & posuit in gradu Apostolico, ostendens mirabili signo cœlesti beatum illum, quem elegisset, & assumpsisset in Episcopatum, de quo impius Iudas, & præuaricator, depositus est. Et aduerte, quod orantes dicunt, *Ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.* Virum vnum quærunt, & desiderant, eum, qui Apostolus erat futurus. Non quidem vnitate numeri, & personæ (hoc enim notissimum erat): sed vnitate quadã præstantiori, virtutis, & sanctitatis, atque ad similitudinem Dei spiritus vnitatem, immutabilitatemque conseruantis. Recte Origenes, Homil. in lib. Reg. & Ambr lib. 1. epi. 1. docent, quòd vir iustus & sanctus, imitator Dei est: de quo dicitur, *Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Vbi non tantum numero vnus designatur, qui supra omnẽ numerũ esse credẽdus est: sed per hoc magis vnus dici intelligendus, est quod numquamà semetipso alter efficitur, numquam mutatur, numquam in aliud vertitur: de quo scriptum est, *Tu autem, idem ipse es.* Immutabilis ergo est Deus, & per hoc vnus dicitur, quod non mutatur. Sic ergo & imitator Dei iustus vnus & ipse, cum ad perfectum venerit, appellatur: quia & ipse, cum ad virtutis summam peruenerit, & in ea constiterit, non mutatur, sed vnus permanet semper secundum hanc mirabilem vnitatem Nam, qui in malitia est, per multa diuiditur, & in diuersa dispergitur, & vnus dici non potest: quia vt Sanctus Iob dicit, *Numquam in eodem statu permanet.* Vnum ergo eligi à Domino hac mirabili vnitate, & perfecta, postulabant à Domino in oratione sua sancti Apostoli, huius vnitatis amatores, & imitatores. Talem enim requirebat Apostolicæ dignitatis status, &

Origenes. Ambros. — Deuter. 6. — Psal. 101. — Iob. 14.

sanctitas Sed & talem ostendit sors Domini, quæ de cœlo cecidit: *Et cecidit sors super Matthiam.* Vnum enim illi Sancti desiderabant, & postulabant, ex illis duobus iustis, atque potentibus: & vnum elegit dominus, vnum ostendit cœlesti signo. Quasi diceret illis Dominus per Esaiam: *Vnum vocaui eum, & benedixi ei.* Vnum vocauit, Matthiam iustum, atque perfectum sui imitatorem: & benedixit ei, quem dignum fecit, & ostendit, vt in partem sortis Sanctorum Apostolorum sumeretur, & inter beatos illos computaretur, ac sors illius esset: qui iugum suauissimum sancti Euangelij super humeros suos per totum orbem viri potentes, atque famosi, tollere, ac deferre possent, vt omnium hominum colla sub illo subijcerent Christo Domino. Apostolis enim sanctis potissime dicebat Dominus: *Tollite iugum meum super vos & discite à me.* *Esai. 51.*

Sed iam textum sancti Euangelij videamus, & percurramus. *Respondens Iesus, dixit.* Cui, obsecro, responderet Dominus Iesus nisi æterno Patri: cui semper aderat præsens, cum quo in cœlis conuersabatur, & colloquebatur, valde dulciter: cum quo vniuersa diuina mysteria tractabat, stans coram illo semper, & audiens mirabilem sapientiam eius, illique respondens in cunctis? *Vocabis me,* ait, *& ego respondebo tibi:* & paulo ante dixerat vir sanctus in persona Christi mediatoris: *Voca me, & ego respondebo tibi: aut certe loquar, & tu responde mihi.* Solus ille respondere poterat æterno Patri semper, qui in sinu eius erat, & ab eius oculis separari non poterat. Solus ille respondere poterat, qui voluntatem Patris in omnibus adimplebat. Solus illi respondebat qui pro vniuerso humano genere satisfacere poterat omni iustitia: quod nemo alius potuisset neque hominum, neque Angelorum, sicut & Sanctus Iob dicebat. *Etiam si habuero quidpiam iustum, non respondebo.* Non enim potuisset purus homo, illi ex tota iustitia respondens satisfacere, nisi de cœlo veniens Dei Filius in assumpta carne pro nobis responderet. Solus etiam ille respondebat: qui omnia Prophetarum, & legis mysteria adimplebat: & cui omnia illa similiter respondebant, sicut scriptum est; *Iob. 14.* *Iob. 13.* *Iob. 9.*

Actor. 15. *Huic respondent verba Prophetarum.* Illa respondebant Christo Domino: & ipse eis respondebat, qui in se ipso omnia implebat, & consummabat. Videant ergo imitatores Christi Domini, quomodo respondeant Domino, illi semper intenti, atque præsentes, & eius voluntatem semper facientes: non ad exteriora distracti, non ad terrena dispersi, sed coram ipso semper stantes, semper ambulantes in veritate, & in corde perfecto: ne forte loquatur eis Dominus, & non audiant & dicat, *Seruum meum vocaui, & non respondit mihi.* Et

Iob. 19. per Esai. *Vocaui, & non erat, qui responderet mihi.*

Esai. 66. Respondens ergo Iesus æterno Patri, dixit: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondi hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Orat Salomon, & loquens cum Deo, ait, *Domine, pater, &*

Eccle. 23. *Deus vitæ meæ, etc.* Prius eum Dominum suum vocat, quam patrem: vt doceat, se illius creaturam, & seruum esse, adoptionisque filium: at Dominus noster Iesus, Patrem eum simpliciter vocat: ac deinceps Dominum, non suum, sed Dominum cœli, & terræ: vt ostendat se verum, & vnicum eius Filium esse, non adoptione vt alij, sed natura, quod ipsi soli conuenire potest, cætera autem, quæ in cœlo, & terra sunt, ab illo creata

Cyrillus. esse, & sub eius dominio contineri. quare Cyrillus, lib. 5.

Ambros. Thesauri, cap. 5. & Amb. lib. 5. de fide c. 4. merito hoc adnotare conati sunt aduersus Arrianorũ blasphemiã.

Deinde obserua, omnium Patrũ sententia, vocari hoc loco sapientes, & prudentes superbos Scribas, & Pharisæos qui sibi videbãtur esse sapientes, & prudentes, cũ tamen reuera stulti essent: quibus abscondit Deus iusto suo iudicio hæc mysteria gratiæ: paruulos vero, vocari humiles Apostolos eius, quibus reuelata sunt secreta cœlestia. Docet enim optime D. Thomas. 2. 2. quæst.

D. Thom. 162. artic. 3. ad 1. quod cognitio veritatis speculatiua impeditur à superbia, subtrahendo causam. Superbus enim, neque Deo intellectum subijcit, vt ab eo cognitionem veritatis percipiat, neque ab homine aliquid

Gregor. addiscere dignatur. Vnde Gregorius ait, lib. 23. Moral. capit. 10. *Obstaculum veritatis est tumor mentis: quia, dum inflat, obnubilat.* Cognitio autem veritatis affectiua, ex directo impeditur à superbia: quia dum superbi dele-

ctantur in propria excellentia, veritatis excellentiam fastidiunt. Vnde Gregor. subdit, quod superbi sapientes *foris acuti, & intus caci, secreta quadam intelligendo percipiunt, & eorum dulcedinem experiri non possunt: & si nouerunt quomodo sunt, ignorant quomodo sapiunt.* Hoc pacto superbis abscondit Deus mysteria sapientiæ suæ, quæ tamen humilibus reuelauit, sicut scriptum est: *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Sapientia vero vtramque cognitionem, diuinarum rerum comprehendit, tam speculatiuam, quam affectiuam, quæ paruulis, & humilibus, data est, superbis vero, & prudentibus huius sæculi, ablata. Quod per Esaiam Dominus prædixerat: *Ecce ego admirationem faciam populo huic, miraculo grandi, & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius: & intellectus prudentium eius abscondetur.* Olim, sicut in lib. Iudicum habetur, *Othoniel expugnauit ciuitatem literarum, &c.* Docet autem Hieronymus, in nominibus Hebraicis, *Othoniel*, interpretari, *Responsionem Dei*, vel *Reuelationem Dei.* Et quis alius erit, nisi Christus Dominus qui Respondens Deo Patri, dicit: *Abscondisti hæc, &c.* & reuelatio Dei subdit, *Et reuelasti ea paruulis?* Ipse expugnauit, & perdidit sapientes superbos Synagogæ, & ciuitatem eorum & Ecclesiam suam, eiusque mysteria sapientiæ cœlestis, dedit humilibus, quos elegit. Grande malum superbia est, quæ sic obnubilat miseros, & excæcat: vt etiam à recta in Deum fide multoties aberrare eos faciat, & non solum in ijs, quæ ad bonos mores attinere possunt. Qua ratione Augustinus, libro contra epistolam Fundamenti, cap. 6. superbiam vocat *matrem omnium hæreticorum.* Et D. Thomas. 2.2. quæst. 11. articul. 1. ad. 2. & 3. docet, hæresim oriri tanquam ex causa ex superbia, & cupiditate. Vnde Augustinus, libro de vtilitate credendi, cap 1. dicit, *Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ, principatusque sui gratia, falsas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur.* De vtraque enim cupiditate dicit Apostolus ad Timotheum: *Quam quidem appetentes, errauerunt à fide.* E contra vero, grande bonum humilitas, quæ radix est sapientiæ, quæ animam seruat, mentem illuminat, & intellectum dat paruulis: quam qui tenet à fide recta aberrare non potest, sed captiuum seruabit intellectum in obsequium fidei.

*Prou. 11.*
*Esai. 29.*
*Iudic. 1.*
*Hieron.*
*August.*
*D. Thom.*
*August.*
*1. Timoth. 6*

*Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos* Ad peccatores loquitur, qui peccatorum, ac miseriarum, & laborum diuersis oneribus grauati
Bernard. sunt, & oppressi: quorum vnus dicebat (ait Bernardus,
Psalm 37. sermone. 15. in Psal. 90.) *Iniquitates meæ, sicut onus graue, grauatæ sunt super me.* Tales homines peccatores ad se vocat, ait Chrysost. Homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, oneratos, oppressos, fessos, fatigatos pondere peccatorum. Hoc enim est eius officium perpe-
Chrysost. tuum, vt homines dolentes, mœrentes, afflictos, consoletur, atque hortetur, Deus consolationis, & misericordiarum. Non, vt puniat, nos vocat, sed vt reficiat, & super aquam refectionis enutriat. *Ambulate in via*
Hiere. 6. *bona*, ait Dominus per Hieremiam, *& inuenietis refrigerium animabus vestris.* In via enim Domini pax est, & requies vera, atque refectio animarum: in via vero sæculi, labor est, dolor, atque importabile onus. Ideo subdit: *Tollite iugum meum super vos, &c.* Iugum meum ait. Primo, quoniam iugum oneris sæculi, grauissimum est, ac pene intolerabile: iugum vero Domini, suauissimum. *Graue iugum* (ait Salomon) *super omnes filios*
Ecclesi. 40. *Adam.* Nihil enim est in sæculo ijs, qui iugum eius non proijciunt à se, quod non grauet, quod non premat, & importabile non sit: iuxta quod in Deuteronomio dicitur, *Seruies inimico tuo, & ponet iugum ferreum super*
Deuter. 28. *ceruicem tuam.* Inimicus hominis, mundus est: qui ei seruit, habet iugum ferreum. Domini vero iugum, suauitate, & leuitate quadam mirabili nos recreat: sicut
August. August. serm. 100. dicit: *Si iugum Christi, subdita, & humili ceruice suscipimus, magis nos portat, quam à nobis portetur. Sicut enim iugum sæculi semper premit, ita iugum Christi leuare consueuit, &c.*

Aut etiam secundo loco, adhuc subtilius, *Iugum meum*, dicit: quia ipse Dominus illud tollit super humerum suum nobiscum, adiuuando, & cooperando, vt sic facile, ac suauiter, nos & discamus tollere, & valeamus. Ipse apponit humerum vnum mansuetissimus, vt & nos alterum humerum apponamus: sicque iugum ipsius cum ipso simul portemus. Vnde Sophoniæ Pro-
Sophon. 3. phetæ optimis verbis dicitur, *Seruient ei humero vno.*
Gregor. D. Gregorius, lib. 21. Moral. capit. 16. refert ad con-

cordiam, & vnitatem, qua sancti viri in Ecclesia Deo erant seruituri; vt quorum erat futurum cor vnum, & anima vna in Domino, esset etiam humerus vnus, quo in vnitate spiritus, & vinculo pacis, Deo seruirent, & iugum eius suaue tollerent. Sed non incongrue accipi potest in sensu, quem insinuare cœpimus de humero vno, quem nos subijcimus iugo Euangelij, subijciente alio, vt nos adiuuet, Christo Domino, vt nobiscum portet, & cooperetur, atque compatiatur. Idcirco de ipso per Esaiam dicitur: *Factus est principatus super humerum eius. Super humerum*, dicit: quia ipse vnum subijcit, vt nos alterum subijciamus, & sic cum eo suauiter, & lætanter portemus iugum legis Euangelicæ: ipse totum principatum suum portat humero illo, quia omnium nostrum labores, & onera portat, volens, vt nos altero humero supposito cum illo portemus. Vnde Salomon admonet: *Subijce humerum tuum, & porta illam*: videlicet Christi legem, & crucem eius, humero tuo vno. Ipse enim Dominus alterum adhibebit, vt sit tecum, & tecum laboret, & tollat: & sic facile, ac suauiter feras. *Librum scribat ipse, qui iudicat*, ait Iob, *vt in humero meo portem illum.* Ecce, quomodo & ipse humerum vnum suum offert supponendum, alterum sciens pertinere ad Dominum suum: vt illum subijciat iugo cum ipso, & portando adiuuet hominem, & dirigat, atque regat. Vnde in Psal. 54. vbi nos legimus, *Iacta super Dominum curam tuam, &c.* Secundum lectionem Hebræam legitur, *Proijce super Dominum onus tuum, & ipse gubernabit te.* Super Dominum ergo proijciamus iugum, & onus legis Euangelicæ, quod portamus quia super humerum eius portari videmus, vt simul nobiscum ferat, & faciat, vt suauiter, facileque nos portemus, quod sine ipsius adiutorio non possemus. Iugum enim Domini portare, nihil est aliud, quam *pie viuere in Christo*, vt Augustinus dicit, sermon. 48. de Tempore. Viuere autem pie in ipso nemo potest, nisi ille opem ferat ipsi, vt cum ipso onus tribulationis, quam patitur, compatiatur, & toleret, atque gubernet nam ipso adiuuante, & confortante, omnium laborum iugum, & tribulationum onus suauissimum erit. Sed superbi homines, & indomiti, atque rebelles, etiam

*Esai. 9.* *Eccle. 6.* *Iob. 31.* *Psal m. 54.* *August.*

cum Christo tollere iugum eius suaue recusant, amantes potius graue iugum, & ferreum, quod mundus super humerum vtrumque eorum imponit; & Christo, & suaui eius iugo, neque vnum humerum subiicere volunt, dura ceruice, & indomabili corde, de quibus in Esdra dicitur; *Dederunt humerum recedentem*: & per
2. Esdra. 9. Oseam; *Reuersi sunt, vt essent absque iugo.* Iugo mundi
Osee. 7. grauissimo dederunt humerum, sed recedentem à iugo suauissimo Christi Domini, vt essent absque iugo illius, filij Belial, superbi, & immites, & non subditi Domino; facti verò serui, & mancipia principis huius mundi.

Sequitur, *Et discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Rectè iis, quibus præcipit tollerare iugum suum Dominus, consulit etiam, vt ab eo discant mansuetudinem, & humilitatem cordis. Nam, vt Ambrosius
Ambros. dicit, libro 1. de Fide, cap 7. *Non, indomiti iugum portãt sed humiles, atque mansueti.* Ideo autem ille, mansuetus venit in mundum, vt iugum crucis suæ, & onera peccatorum totius mundi *in corpore suo super lignum tolleret.*
1. Petr. 2. vt Sanctus Petrus dicit: atque hoc pacto& iugum graue peccati, & mortis, superaret, auferretque à nobis, secundum quod scriptum est, *Iugum oneris eius, & vir-*
Esai. 6. *gam humeri eius superasti*: & suæ mansuetudinis exemplo doceret nos, mites, atque humiles esse in ferendo iugo eius: vt sine labore, & cum requie potius, & trãquillitate, illud feramus, atque lætantes. Propterea enim subdit, *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Nam
Chrysost. sicut Chrysost. docet, Homilia 34. in Genes. *Nihil mansuetudine potentius, nihil fortius: illa animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit: & omnis recreationis, & quietis occasio nobis est. Propterea Christus diuina illa docens, dicebat, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Nihil enim animam in tranquilitate, & quiete esse facit, vt mansuetudo, & modestia.* Hæc ille. Atque fortasse insinuauit Dauid, cum dixit: *Mansueti autem delectabuntur in multitudine pacis.* Corporis enim, & animæ, atque
Psal. 36. exteriorem cum omnibus pacem habent, qui mansuetudinem, & dilectionem, & humilitatem sectantur.

Neque

Neque vlla eis esse potest dissentio aut inquietudo, aut offensionis materia. Sed obserua, quod dicit: *Requiem animabus vestris*: & non dicit *corporibus vestris*. Primo, vt sciamus, quod pie viuentibus in Christo, requies, quæ promittitur inueniẽda, nõ ad corpus, & carnẽ pertinet, sed ad animam, vbi vera, & potissima requies est: carnis vero requies in futurum seruatur, cum reformabitur corpus humilitatis nostræ. Vnde Psalmista dicit: *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.* In spe futuri aduentus Domini, ait, non in re, non in hac vita. Ideo Bernardus, in Declamationibus dicit: *Requiesce in hac spe, caro misera: qui propter animam venit, pro te quoque venturus est: qui reformauit illam, tui quoque non obliuiscetur in finem.* Bernard.

Aut secundo, quia quando anima habet requiem, & consolationem interiorem ex dono Spiritus sancti, à quo vnctionem spiritualem accipit, oleo exultationis vngitur, & sicut adipe, & pinguedine lætitiæ repletur, & impinguatur: tunc labores non sentit, aut dolores: suaue fit ei omne, quod patitur, leuẽ, quod tolerat, dulce, quod sui natura molestissimum alijs videtur. Charitas enim Spiritus sancti, quæ in animam, & cor eius diffunditur, hanc efficit suauitatem, dicente Bernardo, serm. 85. in Cant: *Vbi amor est, non est labor, sed sapor.* Et apud Esaiam habes: *Computrescet iugum à facie olei.* Mollescit enim omnium laborum, & tribulationũ iugum, oleo sancto dilectionis diuinæ: vt quæ dura sunt alijs, suauia, & blanda fiant amatoribus Christi, & facili negotio tolerari possint. Et propterea conclusit Dominus, inquiens: *Iugum enim meum, suaue est, & onus meum, leue.* Suaue iugum legis Christi, quod non solum in seipso suauitatem habet, sed omnia alia suauia efficit: & onus leue, quod leues facit labores vniuersos pro Christi honore, & amore susceptos. *Onus plane beneficiorum Dei*, ait Bernard. in Psal. 90. serm. 15 *dulce onus Christi, onus leue, sed ei, qui sentit, ei, qui experitur.* Bernard. Bernard. Esai. 10. Bernard.

Iugum profecto super nos imponit Dominus, & onus suaue, cum beneficijs, & donis suis nos onerat: pro quibus omnibus, quid illi retribuamus, non habemus, nisi vt illum perpetuo benedicamus, & in omni tempore semperque sit laus eius in ore nostro. In Psalm. Psalm. 67.

Caietan. 67. vbi nos legimus: *Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*: Caiet. docet, iuxta Hebræam Lectionem sic haberi: *Benedictus Dominus die, die: onerabit nos salutem nostram.* Onus enim diuinæ legis, salus nostra est: qua Christus, veniens in terram, onerauit nos. Iugum verbi Dei, & onus Euangelij, salus nostra est. *Viri fratres*, aiebat Paulus, *vobis verbum salutis huius missum est.* Iugũ crucis eius, salutare nostrum, signum salutis, dulce lignum, suauissimum onus, & quod omnium laborum amaritudinem sua virtute in dulcedinem, suauitatemque, conuertit. Benedictus ergo Dominus die, die, omni die: qui tam suaui iugo nos subiecit, tam salutari onere nos onerauit, vt honoraret, & ad libertatem filiorum Dei perduceret. *Suscipite iugum Christi*, ait Ambr. lib. de Elia, cap. 22. *nolite timere, quia iugum est: festinate, quia leue est. Non conterit colla, sed honestat: non alligat ceruicem vinculis, sed mentem gratia copulat: non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit, &c.* Hæc ille. Huic iugo Christi subijciamus collum nostrum: hoc salutare onus imponamus super humerum nostrum (suaue enim est iugum, & onus leue) & inueniemus requiem animabus nostris. Non enim grauat iugum oneris Christi, sed requiem præstat, & reficit, & beatos efficit, sectatores, atque amatores Christi Domini. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto, &c. Amen.

Actor. 13.

Ambros.

# DE SANCTO IOSEPH.

## CONCIO PRIMA.

*Ioseph, fili Dauid, noli timere, accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Matth. I.

Diuus Hieronymus in nominibus Hebraicis, & in Commentarijs super Ezechielem, docet, *Ioseph* significare *augmentum*: & conuenit maxime cum nostro sanctissimo Ioseph, qui inter omnes Sanctos veteris testamenti, sic auctus est benedictionibus Domini, vt nemo illi æqualis fuerit: ipse vero omnibus maior, superiorque sit. Vnde in benedictione prioris Ioseph, S. Patriarcha Iacob dicebat: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Non semel, sed bis dixit, *Filius accrescens*: quia in spiritu præuidit nostrum Ioseph, qui augmentum Domini habere meruit, non solum in ijs virtutibus; quas cum alijs sanctis Patribus communes habuit, vt in fide, & castitate, atque in charitate non ficta; sed etiam in ijs, quas singulariter ipse solus accepit, & nulli Sanctorum donatæ sunt. De quibus statim subditur: *Fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazarei, inter fratres suos.* Inter omnes enim filios Israël, nullus eas benedictiones adeptus est quas refudit abundantius Dominus in caput nostri Ioseph: quasi illi promissum esset per Salomonem: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum.* Has autem virtutes, & gratias, huic sancto viro cum augmento collatas, colligamus ex verbis sancti Euangelij propositis.

*Hieron.* *Genes. 49.* *Deut. 33.* *Prou. 4.*

*Ioseph, fili Dauid.* Hæc est prima excellentia nostri Ioseph: quod tantam habuit sanguinis, & generis nobilitatem, vt esset filius Dauid Regis, de semine Regio, ac legitimus successor Dauid. Decebat autem, vt sponsus Mariæ, quæ filia erat Dauid, ac de stirpe eius Regia, esset etiam ipse tantæ nobilitatis vir: & mulier illa fortis, cui nulla alia similis in terra visa est, virum haberet nobilissimum. *Nobilis in portis vir eius*, ait Salomon. Adde etiam, quod qui futurus erat nutritius, & quasi tutor, & adoptione pater Filij Dei in terra, non minor nobilitate, quam Rex, esse debuit: vt compleretur, quod de Christo Esaias prædixerat: *Erunt Reges, nutritij tui: & Reginæ: nutrices tuæ.* Isti sunt, Beatissima Virgo Maria, & sanctus Ioseph. Illa, Regina mundi, mater, & nutrix erat Filij Dei in terra, quem proprio lacte cœlesti nutriuit, pannis inuoluit, atque educauit. Sponsus vero eius sanctus Ioseph, nutritius eius fuit, Princeps nobilissimus, qui Reginæ Filium brachijs gestabat, & in sinu suo fouebat, & omnibus, quibus poterat, officijs inseruiebat.

*Prou.* 31.

*Esai.* 49.

Sed quoniam potissima nobilitas, non in antiquitate generis, non in maiorum imaginibus, sed in virtutibus & sanctitate consistit (Ait enim Clemens Alexandrinus, lib. 2. Stromatum: *Ipsa nobilitas ostenditur in eo, quod quæ sunt pulcherrima, honestissimaque, eligat, & exerceat, &c.* Origenes etiam, Homil. 4. in Ezechiel. ait, *Quid mihi prodest pater Martyr, si non bene vixero, & ornauero generis mei nobilitatem?* Hieronymus itidem, epistola. 14. ad Cælantiam, cap. 5. ait: *Summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus*) propterea Ioseph dicitur, *Filius Dauid*: vt sciamus, eum, non natiuitate solum fuisse de stirpe Regia Dauid, sed imitatorem fuisse illius in iustitia, & sanctitate, atque virtutibus: & hanc in eo fuisse maiorem, & præstantiorem nobilitatem. *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus.* Non dicit, *Cum esset nobilis, aut Princeps*: sed *iustus*: quia iustitia, & sanctitas, est quæ maxime facit esse nobiles filios Dei, & hæredes Regni cœlestis. Da mihi Imperatorem orbis, aut nobilissimum Regem: si non est iustus, & rectus, ac timens Dominum, ignobilis est ille, & abiectissimus homo, dicente Domino: *Qui contemnunt me,*

*Clemens. Alex.*

*Origenes.*

*Hieronym.*

*erunt ignobiles.* Qui enim deserunt Deum, & Creatorem suum contemnunt, vt creaturis adhæreant, miserrimi sunt, & vilissimi, sicut ea, quæ diligunt: & apud Deum, absque vllo honore. Recte dixit Euripides (referente Ioanne Stobæo, sermone. 86.) *Bonus vir, mihi nobilis videtur: qui vero non iustus est, licet à patre meliore, quam Iupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi censetur.* Non sine causa à Salomone dicitur: *Beata terra, cuius Rex, nobilis est.* Quæ enim est terra, in qua Rex, nobilis non sit, si ad sanguinis, & generis splendorem attendas? Sed quoniam potissima nobilitas, illa est quam iustitia, & sanctitas, & virtutes efficiunt: ideo beatam iudicauit terram, cuius Princeps, sapiens & prudens, ac iustus est: ille enim omnibus nobilior erit, atque generosior multo, atque in iustitia, & mansuetudine, omnia, quæ Rege, ac Principe digna sunt, faciet. Tandem, sicut Chrysostomus dicit, Homilia 27. Imperfecti: *Melior est apud Deum vnus iustus, quam totus mundus peccatoribus plenus.* Quod & Salomon testatus est, cum in Ecclesiastico dixit: *Melior est vnus, timens Deum, quam mille filij impij.* Cui doctrinæ addamus verba aurea D. Thomæ. 1. 2. quæstione 113. artic. 9. ad 2. vbi inquit: *Bonum gratiæ vnius hominis, maius est, quam bonum naturæ totius vniuersi,* quam Angelorum natura, & cœlorum: quam tota mundi potentia, nobilitas, atque diuitiarum abundantia. Omnia enim creata, & quæ desiderantur in natura rerum, huic non valent comparari: per quam homines consortes fiunt diuinæ naturæ, genus sunt Dei, & participatione quadam, Dij efficiuntur, & filij Excelsi omnes. Hæc autem diuina nobilitas, maxime refulsit in sancto Ioseph: quem elegit Dominus noster, vt esset Mariæ sanctissimus vir, & Filij eius custos, atque nutritius. Propterea Principem nobilissimum, ac virtutibus clarissimum, fecit illum: & (vt verbis vtar Salomonis) *In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. In fide*, vt fideliter custodiret Mariam Virginem, quam assumere sibi sponsam meruit à Domino: *in lenitate*, vt tamquam ouis quædam mansuetissima, in omnibus sequeretur Dei voluntatem admonente Angelo, siue vt Mariam acciperet, siue vt

Marginal notes: 1. Reg. 2. — Euripides. Stobæus. — Ecclef. 10. — Chrysost. — Eccle. 16. — D. Thom. — Eccle. 4.

fugeret in Ægyptum, aut inde reuerteretur in terram Iuda: aut denique omnibus aliis in rebus, & officiis, summa cum obedientia, & animi promptitudine inseruiret: ita, vt merito de ipso dixerit pater suus Dauid
Psalm. 79. Domino; *Deducis velut ouem, Ioseph.* Deduxit enim illum in voluntate sua, quocunque voluit, tãquam ouem mansuetam, sine voce, sine murmure, absque vlla repugnantia carnis, & animæ, tanquam verum, sanctum,
3 Reg. 7. & electum vnum ex omnibus hominibus. Olim *Sanctificauerunt Eleazarum filium Aminadab, vt custodiret arcam Domini.* Quantò ergo potius sanctificaret Dominus, & sanctum faceret, Ioseph, filium Dauid, vt custodiret Christum Dominum nostrum, arcam totius diuinitatis, & in qua sunt omnes thesauri sapientię Dei absconditi: vt custodiret etiam Mariam, arcam sanctificationis diuinæ: in qua reconditus erat infinitus ille thesaurus Filij Dei, qui in eius sacratissimo vtero, & ex ea, carnem suscepit, vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum? Sed quoniam purissima eius sponsa Maria, sancta erat corpore, & spiritu: similiter sponsum eius *elegit Dominus ex omni carne:* vt & ipse, sanctus esset, non solum spiritu, sed etiam carne: vt virgo castissimus Reginam virginum, & Regis æterni Matrem, puro corde, ac corpore custodiret: sicut & fecit.

Vidimus primam excellentiam Sancti Ioseph: quomodo illum nobilitauit Dominus noster, quomodo mirificauit sanctum suum Ioseph, atque glorificauit custodem Filij sui, ac Matris eius purissimæ (scriptum
Prouerb. 27. est enim; *Custos Domini sui glorificabitur:*) videamus iam alteram eius excellentiam cum claritate, & nobilitate, ac sanctitate coniunctam. Ait illi Angelus; *Noli timere accipere Mariam.* Non enim commendatur sanctus Ioseph de nobilitate, sanctitateque solummodo, sed, quod rarissimum in hominibus est, de maxima quadam humilitate, ac timore quodam reuerentiali, & sancto. Non enim solum iustus erat, sed & humilis valde, & timoratus, mansuetus, & pius. Quare enim timebat accipere Mariam? Quare voluit occulte dimittere eam? Quare expelleret à se mulierem optimam, & benedi-
Prouerb. 18. ctam inter omnes mulieres, sciens scriptum esse, *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum?* Aut quare fu-

geret, ac desereret Virginem sapientissimam, simul ac purissimam, & omni auro pretiosiorem? Scriptum est enim; *Noli discedere à muliere sensata, & bona, quam sortitus es in timore Domini. Gratia enim verecundiæ illius super aurum* Eam sortitus erat in timore Domini S. Ioseph, verecundam nimis, gratia plenam, sanctam, & pudoratam mulierem. Quare ergo vellet ab illa discedere, & occulte dimittere innoxiam, nisi maximo aliquo mysterio? *Accipe, non meam, sed Patrum sententiam* (ait Bernardus, Homilia 2. super Missus est) *Quia indignum, & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali, & à tanta non debere vltra familiare sibi præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat, & horrebat diuinæ præsentiæ gestantem certissimum insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem, inquiens; Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Expauit Centurio præsentiæ maiestatem, inquiens: Domine, non sum dignus, vt sub tectum meum intres. Exhorruit & Ioseph huius tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem: & ideo voluit occulte dimittere eam.* Hæc ille. Accepit autem sententiam hanc ex Origene, Homil. 1. in diuersos. Itaque sicut sancta Elisabeth, admirans Domini Matrem ad se venientem, cum tremore, & reuerentia eam excepit in domum suam, reputās se indignam, & clamans; *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* & quemadmodum ipsa Virgo sanctissima ab Angelo salutata, quod gratia esset plena, quod Dominus esset cum illa, *turbata est in sermone eius*, & indignam se reputans tali, ac tanta dignitate, cœpit timere ex summa quadam prudentia, & profundissima humilitate, vt D. Thom. ostendit. 3. part. quæst. 30. art. 3. ad 3. ita & Sanct. Ioseph, cùm esset iustus, & timoratus, atque humilis in oculis suis, timuit accipere Mariam, domique suæ retinere, indignum omnino se reputans eius sacratissimo consortio, & inaudito sacramento dignitatis eius. Quapropter à sancto Angelo admoneri meruit, & instrui: quamuis hanc Virginis dignitatem, & mysterij magnitudinem non plenê cognouit, vsque in diem, quo peperit Filium suum Iesum.

*Eccles. 7.* *Bernardus.* *Lucæ 5.* *Matth. 8.* *Origenes.* *Luc. 1.* *D. Thom.* *Matth. 1.*

*Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum* Id est, non cognoscebat plenè dignitatem eius, quod esset Dei Mater, maiestatem eius, & mysterij, quod gestabat in vtero, profunditatem, sicut Diuus Thom. exponit. 3. part. quæst. 28. artic. 3. ad 3. estque doctrina Epiphanij libro 3. contra hæreses, cap. 68. & Chrysostomi, Homil. 1. Imperfecti in Matth. Habes & in hac magna humilitate, ac timore sancto, & tremore Ioseph sanctum verè filium Dauid, atque imitatorem. Quemadmodum enim ille Rex, & Propheta sanctus, ex humilitate magna, & reuerentia ad arcam Domini, vt Scriptura, libro Reg. narrat, *Timuit introducere arcam Dei in domum suam* & dicebat; *Quomodo ingredietur ad me arca Dei?* ita etiam, & multò perfectius, noster Ioseph, ex quodam timore magno, reuerentia summa, & profundissima quadam humilitate, timuit retinere domi secum Virginem admirandam, Deo grauidam: arcam, in qua erat, non vrna aurea, habens manna, & virga Aaron, sed Christi caro, habens plenitudinem diuinitatis corporaliter, & virga virtutis Dei, quam misit in vterum eius Deus, vt dominaretur cœlo, & terræ, saluum faceret mundum, atque iudicaret in æquitate.

*D. Thom.* *Epiphan.* *Chrysost.* *2. Reg. 6.*

Tertiam adhuc Sancti Ioseph dignitatem, & maiorem excellentiam habemus in illis verbis; *Mariam, coniugem tuam* Putas nè parum fuit Sancto Ioseph, coniugem esse Mariæ Virginis Matris Dei? Sanctus Matthæus, sicut nihil altius potuit dicere de Maria, quam quod *ex ea natus est Iesus*, ita nihil maius inuenit, quo exaltaret Ioseph, quam appellando eum, *virum Mariæ*. Hinc enim singularem eius dignitatem excellentiamque nulli alteri viro concessam, facilè colligere vnusquisque poterit. Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum, docet ex sententia Hesiodi, & Simonidis, *Virum nullam habere posse meliorem possessionem coniuge bona.* Salomon verò multo certius dixit in Prouerbiis; *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* Et in Ecclesiastico; *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundum illum est, & columna, vt requies.* Et iterum; *Mulieris bonæ beatus vir.* Fœlix igitur inter viros Sanct Ioseph, qui singulari Dei beneficio, inuenire meruit mulie-

*Matth. 1.* *Clemens Alexand.* *Hesiodus.* *Simonides.* *Prouerb. 18.* *Eccles. 36.* *Eccles. 26.*

rem vere bonam, omni bono, ac cœlesti iucunditate locupletatam. Fœlix, qui possidere dignus fuit Mariam Dei Matrem, Reginam Virginum, Angelorum Dominam, & habere eam adiutorium simile sibi, columnam requiei suæ firmissimam. Beatus planè Mariæ vir, qui in terra possidere meruit sociam, & coniugem, quam in cœlis adorant Angeli, Sanctam Dei Genitricem. Hinc enim colliges, quanta fuerit puritas castissimi Ioseph, quem amauit Maria castissima Virgo, tanquam sponsum, cui Dei Filius Matrem Virginem virgini commendauit. Quod si vir, & mulier, sicut Dominus in Euangelio dicit, *iam non sunt duo, sed vna caro:* profectò Sanctus Ioseph, Virginis sponsus, non solum spiritu, sed & carne castissimus fuit, & venit ad corpus incoinquinatum, in quo nulla esset impuritas, sed communem cum Maria virginitatem possideret: vt, sicut ipsa Virgo virginum erat, etiam ille virgo esset per Mariam, vt Hieronymus dicit, libro contra Heluidium, cap. 9. *Vt ex virginali coniugio virgo Filius nasceretur.* Alioquin quomodo vna caro esset cum virginali, & purissima carne illa, ex qua carnem sumere dignatum est Verbum Dei, quod pro nostra salute caro factum est? Deinde colliges, quantam sit adeptus dignitatem Sanct. Ioseph, hanc possidens mulierem bonam, Mariam Virginem cuius caput esse meruit, & habere subditam sibi, non quidem seruili subiectione, sed libera, & generosa: qualem etiam in statu innocentiæ futuram fuisse, Diuus Thom. docet 1. p. quæst. 92. artic. 1. ad 2. Quod si, vt Beatus Petrus dicit, *Sara obediebat Abrahæ, Dominum suum, illum vocans:* multò perfectius purissima hæc Abrahæ filia obediret sancto Ioseph sponso suo virgini, Dominum, illum vocans, & vt domino suo in omnibus obtemperans, & seruiens: vt perspicias, ad quam dignitatis eminentiam peruenit Ioseph, cui non Ægyptus, sed Maria genuflecteret, & fortasse ipse Dei Filius, qui pariter *subditus erat ille.*

*Matth. 19.* *Hieronym.* *D. Thom.* *1 Petr. 3.*

Sed, iam tandem, quartam huius sanctissimi viri consideremus dignitatem singularem: quæ ex ea, quã tertio loco diximus, consequitur. Existimat enim Augustinus, libro 2. de consensu Euangelistarum, cap. *August.*

1 & melius, ac latius, libro 1. de Nuptiis, cap. 11. satis fuisse, vt S. Ioseph dicatur pater Christi multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus. Vnde est, quod Sanct. Lucas Euangelista absolute eum vocat patrem Christi Domini;

*Luca 2.* *Erant pater eius, & mater, mirantes, &c.* Et iterum ex ore beatissimæ Matris; *Pater tuus & ego, dolentes, quærebamus te.* Hanc autem dignitatis excellentiam nullus Patriarcharum habere meruit, sed soli Sancto Ioseph seruauit Deus. Adam, vocatus est, *Pater orbis terrarum*: Abraham posuit Deus, *patrem multarum gentium*:

*Sapient. 10* *Genes. 17.* *Genes. 45.* Alterum Ioseph *fecit Deus quasi patrem Pharaonis* Regis Ægypti: Dauid Regem vocauit angelus Domini, patrem Christi, sicut habes in Euangelio; *Dabit ei*

*Luc. 1.* *Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Hoc autem tantæ dignitatis encomium ideo quasi à longè ei datum est, quoniam ex eo duxerunt originē, Ioseph, & Maria: ex quibus ille, pater Christi fuit, quia verus Virginis cōiux esse meruit: illa autem, vera Mater, quæ virtute, & gratia Spiritus sancti, seruata virginali integritate, eum genuit, ac peperit. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex quibus sanè verbis colligemus aliam non incongruam rationem, ob quam S. Ioseph, potuit planè, etiam absque vllis ambagibus, Christi pater nuncupari.

*Deut 25.* *Matth. 22.* Lex erat in Deuterono. celeberrima, & in Euangelio recitata, quod si vir quispiam sine liberis mortuus esset, defuncti frater acciperet vxorem eius, & suscitaret semen fratri suo: sic adeo, vt, quemadmodum

*Damasc.* Damascenus inquit, lib. 4. de Fide, cap. 15. qui partu edebatur, secundum naturā filius esset secundi, qui genuit, secundum legem vero, primi, qui iam obierat diem: quemadmodum planè constat in ipso Virginis sponso Sancto Ioseph, qui secundum naturam filius erat Iacob, secundum vero legem filius Heli. Sanctus ergo Ioseph, sponsus, & vir Mariæ Virginis erat: sed, quia

*D. Thom.* votum emiserat perpetuæ virginitatis, vt D. Tho. docet 3. part. q. 28. art. 3. ad 5. & art. 4. ad 3. mortuus est mūdo sine liberis. Quemadmodum enim teste eodem D.

*Idem.* Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 11. ad 1. Religiosi, qui profitētur solemni voto Religionem, moriuntur mundo

morte quadam ciuili, ac legali, qua separantur ab omnibus, quæ mundi sunt, ac si iam diem obiissent: quibus conuenit, Quod Paulus ad Colossenses scribit, *Mortui estis ab elementis huius mundi*, id est, à negotiis, solicitudinibus, vanisque voluptatibus, quæ in mundo sunt: ita etiã, qui votũ emittit perpetuæ castitatis virginalis, eo ipso moritur matrimonio, morte quadam ciuili, & honesta, sicque pro Dei amore, & perfectioris status amplexu, iam sine liberis moritur. Vnde Dauid dicebat, *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Diuus Cyrillus, lib 16. de Adoratione in spiritu, exponit locum de morte, non carnali, sed spirituali, qua viri sancti moriuntur peccato, & mundo, vt viuant Deo in sanctitate, & pietate. Hæc enim mors, pretiosa est: non in conspectu hominum, qui mundo viuunt, sed in conspectu Domini qui vota eorum suscipit, qui se totos à mundo segregant, vt Christo tradant & moriuntur sæculo vt Deo separati, illi viuant in omnibus. Ecce, quomodo vouentes Domino castitatem perpetuã, & reddentes Domino vota sua, moriuntur Sanctorum morte, pretiosa in oculis Domini, quorum vita abscõdita est cum Christo in Deo Simili modo noster Ioseph, quia virginitatem suam Domino consecrauit voto castitatis perpetuæ, mortuus est mundo, ac pretiosa morte Sanctorum: obiitque sine liberis propter Deũ, primus virorum, qui virginitatis votũ emiserunt: sicut Maria sponsa eius, fuit prima omnium virginum quæ se Domino consecrauerunt. Ideo meruit vir castissimus, vt ipse Deus fieret eius frater, acciperetque sponsam sibi Mariam, quasi defuncti fratris vxorẽ, generaretq; ex ea filium: cuius pater, sanctus Ioseph diceretur in Euangelio, & esset secundũ legem, qui propter fidẽ, & amorem castitatis, mori voluit sine liberis. Hoc autem videtur esse, quod in Euangelio dicitur, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* Ac si diceret, Spiritus sãctus, generationis huius Filij in vtero Virginis author fuit: Pater æternus, secundum naturã Pater illius est: at secundum legem tu es pater illius, qui propter castitatis votum mori sine liberis elegisti Vnde sanctus Au-

*Coloss. 2.*
*Psalm. 115.*
*Cyrill.*
*August.*

gustinus, sermone 14. de Natali Domini, ait, *Gaude Ioseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es ab vxoris concubitu, vt pater dicaris Saluatoris.* Atque hoc fortasse insinuatum est à Hieremia Propheta, cum dicebat voce Domini, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, &c. Suscitabo,* ait: quia pater illius, mortuus erat, atque adeo filius defuncto suscitatus est à Domino: suscitauit autem Dominus Dauid, & Ioseph defuncto, tanquam frater demortui fratris, in vtero Virginis Mariæ, filium iustum, sanctum, Regem, Saluatorem mundi, propter meritum virginitatis, & votum, quo ab omnibus mundi negotiis, & oblectamentis, mortuus est: vt exemplum mundo relinqueret inauditæ hactenus castitatis, & rarissimæ dignitatis.

*Hierem.* 23.

Ecce, quantum dignitatis & gloriæ consequutus est Beatissimus Ioseph, & merito castitatis, & voto, ac professione singularissimæ virtutis: mortuus quidem sæculo sed reuera non mortuus, qui talem filium reliquit post se. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Vbi secundum Septuaginta, legitur, *Melius est, filios non habere, cum virtute* Cyprianus, Tract. de singularitate Clericorum, numer. 23. ad virtutem castitatis, siue virginitatis refert. Et nostro Ioseph multo melius fuit, per meritum castitatis filios non habere cum hac clarissima virtute per quam immortalis est memoria illius, ac notissima apud Deum, & apud homines. In memoria enim æterna erit iustissimus, & castissimus Ioseph, filius Dauid, coniux Mariæ Virginis ac Matris Dei: & ipse, vt ita dixerim, pater secundum legem, Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Qui cum æterno Patre, & coæterno Spiritu sancto viuit, & regnat, &c. Amen.

*Sapien.* 4.

*Cyprian.*

## DE EODEM S. IOSEPH.

### CONCIO II.

***Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, &c.*** **MATTH. 1.**

Ecce, *somniator* diuinus nobis *adest* sanctissimus Ioseph : non ille, cui apud Ægyptios olim data est somniorum intelligentia, sed alter illo maior, & castior: cui concessum est, nosse mysterium redemptionis humanę, & consciū fieri cum Maria *sacramenti absconditi à sæculis in Deo, quod nemo principiū huius sæculi cognouit*. Nullidubiū est, somnia quædam sanctorum virorum esse, vt Diuus Thomas docuit, 2. 2. quæst. 95. artic 6. & ante illum Lactant. lib. de Opificio Dei, cap. 18. quæ à Deo illis imittuntur Angelorum ministerio : per quæ aliqua futura mysteria eis reuelantur Et, vt multa sacræ Scripturæ loca prætermittamus, quibus hoc aperte comprobatur, illud vnum à principio proferamus, nostro proposito satis aptum, ex Genesi vbi dicitur; *Immisit Dominus soporem in Adam, &c.* Non à natura, vel corporis affectione, somnus ille fuit, sed à Deo immissus est: qui cum statuit in profunda quadam oratione, & altissima diuini Sacramenti contēplatione: in qua Dei reuelatione, cognouit desponsationem suam cum Eua virgine, quàm de eius latere Deus ipse formauit: & sacramentum illud magnum, quod in Christo, & in Ecclesia futurum erat. Non aliter noster Ioseph, ait Chrysostomus, Homilia 1 Imperfect. in Matthæum, in hoc suo somno, cœlitus à Deo immisso, & altissima contemplatione, Angelo reuelante, cognouit, debere sese accipere Mariam Virginem, & coniugem suam, simulque mirabile Incarnationis arcanum, quod Spiritu sancto in eius virginali vtero formatum est ad salutem totius humani generis. Nam, quòd ille somnus, orationis, & contemplationis fuerit, ex ipso

*Genes. 37.* — *1. Cor. 2.* — *D. Thom.* — *Lactant.* — *Genes. 2.* — *Chrysost.*

Euangelio colligere possumus. Ait enim *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Si enim dormiebat, quomodo cogitabat desponsatam sibi Virginem non traducere, sed occulte dimittere: admiratus mysterium nouum super terram, quod prægnãtem videret, quam sciebat intactam esse, ac sanctissimã Virginem? Plane sicut olim Sponsa in Canticis dixit, *Ego dormio, & cor meum vigilat:* sic Sanctus Ioseph, spõsus Virginis: corpore quidem quiescebat somno suo, corde tamen vigilabat in oratione sua cum Deo, illi negotium mirabile, ac stupendum, commendans: & ab Angelo diuina reuelatione instructus, & recreatus, atque confirmatus, statim accepta Virgine, coniuge sua, accinxit se ad opus, & ministerium, ad quod assumptus est à Domino, & inter omnes mortales solus à Spiritu sancto electus.

Cantic. 5.

Consideremus, obsecro, quo pacto Sanct. Euang. Matt. in hoc cap. 1. posteà quàm recensuit totam illam seriem Patrũ, atque maiorum per gradus suos, ex quibus est Christus secundum carnẽ, statim in vltimo eius statuit Sanctum Ioseph dormientẽ, & in somnis: simulque cogitantẽ solicite, qualis esset hæc tã noua res, quæ acciderat Mariæ Virgini, & suæ sponsæ, quod & Virgo esset, & simul inuenta esset in vtero habens: qualiterque ab Angelo edoctus est, eã non de viro, sed de Spiritu sancto concepisse Dei Filium: sicque cum summa reuerentia eam accepit, atque custodiuit. Iam igitur recordemur necesse est, illius S. Patriarchę Iacob, de quo sacra Scriptura narrat, quod cum pergeret Aram, & *Venisset ad quendam locum, velletque in eo requiescere post solis occubitum, tulit lapidem, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis, scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei, ascendentes, & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ, &c.* Et infra, *Cum euigilasset Iacob de somno,* ait. *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque, quam terribilis,* inquit, *est locus iste? Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Vouit etiam votum, dicens, Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur, Domus Dei.*

Genes. 28.

Quid, obsecro, aliud est, hæc celeberrima scala, vt bene notauit Rupertus, libro 3. diuinorum Officiorum, cap. 18. & libro primo Commentarij in Matth. nisi series illa generationis Christi, & genealogiæ secundum carnem? Illa series, quę ab Euangelista recensetur Patriarcharum, Regum, & Principum: isti sunt gradus istius scalæ, isti, Angeli ascendentes, & descendentes in illa genealogia nobilissima de quorum stirpe descenderunt Maria, & Ioseph, & ipse Dominus Iesus, secundum carnem. Angelos enim vocat eos sacra Scriptura in Deuteronomio, iuxta Lectionem Septuaginta. *Constituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei. Angelos Dei* vocat, quos iuxta Vulgatam Editionem appellat *Filios Israel.* Quoniam illi Sancti Patres, Abraham, Isaac, Iacob, & plures alii ex maioribus genealogiæ Christi Domini, Angeli erant, sanctitate vitæ, & prudentia gubernandi populos, & custodia eorum, atque cura docendi eos veritatem Dei. Angelus erat Dauid: cui dixit sapiens mulier, *Sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex.* In vltimo gradu huius scalæ statuit Euangelista Christum Dominum innixum, quando subdit, *Christi autem generatio, sic erat, &c.* vt videamus illius scalæ mysteriũ, non esse aliud, quam Christi generationem temporalem, quam illic præuidit in somnis Iacob, & hic etiã in somnis cognouit Sanctus Ioseph. Et quemadmodum ille ab Angelo instructus est de mysterio scalæ, lapidis, & loci, ita etiam iste, mirabiliter edoctus est de mysterio Incarnationis Filij Dei, & Mariæ desponsatæ sibi vxoris prægnantis.

*Rupertus.* *Deuter. 32.* *2. Reg. 14.* *Matth. 1.*

Sed discurramus per singula huius sacramenti verba. *Cum vellet requiescere post solis occubitum.* Nam, vt docet Richardus de Sancto Victore, somnus iste orationis, & contẽplationis, perfectus, non conceditur à Domino, nisi iis, quibus iã huius mũdi sol occubuit, ac defecerũt omnia eius prospera, quę sub sole sunt: cuiusmodi erat S. Iob. cum dicebat, *Si vidi solem, cũ fulgeret:* & Hieremias Propheta, *Diem hominis non desideraui:* sicut optimè adnotauit Greg. lib. 22. Moral. cap. 3. Sic profecto *cũ sol occumberet, sopor irruit super Abraha* Post solis occubitũ dormiuit Iacob: & noster Ioseph, qui vniuersa mũ-

*Richard.* *Iob. 31.* *Hierẽ. 17.* *Greg.* *Genes. 15.*

didespexerat, & lucem eius iam non videbat, in sua quieta contemplatione dormiebat, somnia cœlestia somniabat, Angelum videbat, mysteria diuina, Deo reuelante, cognoscebat. Sic dormiunt Sancti in oratione: sic contemplantur diuina. Videant alij, quomodo dormiant somnium suum. Qui diem, & lucem huius mundi videre appetunt, & amant, prospera illius non despiciunt, sed ardenter concupiscunt, oculis, ac manibus exquirunt: qui gloriam mundi vident qui sibi sapientes videntur, ac cæteros aspernantur: qui delitias sectatur in diuitiis lætantur: quomodo isti diuinas visiones videbunt? Quomodo vera sonia somniabunt? Quomodo *audebunt contemplari, qui sibi videntur sapientes?* Vana eorum somnia timebo, visiones cassas, cogitationes inanes, vaticinia de corde suo, qui in luce huius mundi dormiunt, & contemplantur. Non sic Sanctus Iacob: sed post solis occubitum dormiens, & similiter S. Ioseph, meruerunt diuina contemplari, & angelica visitatione consolari, atque edoceri. Vnde sequitur.

Iob. 37.

*Cumque euigilasset Iacob de somno, ait, Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Sic Ioseph diuina reuelatione cognouit, Dominum esse in illo sancto loco vteri virginalis, quod antea nescierat. Admiratusque mysterij magnitudinem, & loci maiestatem, *pauens,* ait; *Quam terribilis est locus iste!* Terribilis plane locus, Maria: in qua Dei Filius, quem cœli, & terra non capiunt, sese clausit homo factus. Sic enim eam salutat S. Cyrillus Homil. 6. inquiens; *Salue locus eius, qui capi nequit.* Terribilis locus: in quo Deus habitauit, altiori, ac multo diuiniori modo, quam in cæteris creaturis cœli, & terræ. Terribilis locus iste, ad quem nullum potuit accedere malum: locus Dei, terra sancta, Angelis suauis, Dæmonibus omni ex parte terribilis, atque formidabilis; *Terribilis, vt castrorum acies ordinata?*

Cyril.

Cant. 6.

*Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Hæc purissima Virgo virginum, ait S. Ioseph, est præcipua domus Dei, quam ædificauit sibi, vt mirabili modo habitaret in ea. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Cæteras virgines vocat S. Dauid *domus eburneas Dei, filias Regum.* Vbi Augustinus dicit, domos Dei esse corda Sanctorum,

Prouerb. 9. Psal. 44. August.

ctorum, qui Apostolos imitantur in omni virtutũ genere, & sanctitatis: potissime vero sanctæ virgines, filiæ Regum, id est Apostolorum, qui puritate mentis, &corporis, Dominum delectant,&honorant,sunt domus spirituales, & templa Dei, in quibus per gratiam inhabitat,&sanctitatẽ. At Regina virginum Maria, inter omnes,&super omnes, domus Dei sancta est,tabernaculum sanctificatum, templũ Dei viui,in quo per Incarnationem Verbum Dei caro factum mirabili modo inhabitauit,atque inhabitando maiestatesua super omnes glorificauit:sicut per Esaiam promiserat,inquiens, *Domum maiestatis meæ glorificabo.* Neque domus Dei tãtum, sed & porta cœli est Virgo sanctissima, per quam cœli Dominus intrauit in mundum, factus homo. *Porta hæc, clausa erit Principi.* Princeps enim pacis, Christus Dominus, per hanc *portam, virginitate perpetua clausam, mundum ingressus est, & in mundum nascendo processit,* vt Cyprianus docet, in Expositione Symboli, numero 9. Ambros. de institutione virginis, cap. 7. & 8. *vt comederet panem sicut homo, & seipsum offerret sacrificium Domino, pro salute omnium hominum.* Porta cœli fœlicissima, per quam ad Deum intrant orationes nostrę, & ad nos exeunt beneficia de cœlo, quæ Deus ipse confert toti Ecclesiæ fidelium. *Sic enim est voluntas eius* (ait Bernar. ser. 1. de Natiuit. B. Mariæ) *qui totum nos habere voluit per Mariam.*

*Esai. 60.*
*Ezech. 44.*
*Cyprian.*
*Ambros.*
**Bernardus.**

Hoc igitur mysteriũ in Maria, agnouit in somnis S. Ioseph, reuelante Angelo:&sic edoctus, decernit iam nõ occulte dimittere eã, sed statim accipere,& venerari tanquã Dei Matrẽ: & Virginem spõsam custodire, atque in omnibus tam Filio,quàm Genitrici,fideliter inseruire. *Surgens* ergo *mane Iacob,tulit lapidem.* Et de S. Ioseph dicitur in Euan. *Surgẽs Ioseph à somno, accepit Mariã cõiugem suã.* Recte vero appellatur lapis, Beatissima Virgo: de qua scriptũ est, *Emitite agnum, Domino, dominatore terræ, de petra deserti.* Vbi, secundũ D. Thom. expositionẽ, petra deserti, illa Virgo perpetua vocatur: de qua virtute Spiritus sancti, absque viri manibus, pręcisus est lapis ille diuinus, qui totũ orbẽ redemit, Ecclesiã fundauit, cœlos reparauit. Petra illa Dauid, quã funda, cõtexta ex serie tãtorum Patrum, proiecit in caput hostis.

*Esai. 16.*
*D. Thom.*

totius Ecclesiæ, & humani generis, eumque in fronte percutiens, valde mirabiliter prostrauit, & victoriã insignem reportauit: de qua propterea multò antepraedictũ erat, *Ipsa conteret caput tuum:* sicut egregie Bernar-
Genes. 3. dus exponit, Homilia 2. super Missus est, & sermone
Bernardus. 9. de paruis Petra firmissima, ac solidissima, supra quã tota diuina lex, stabilita est, atq; fũdata: & in qua vniuersi, qui salutẽ consequuntur, nidum suum, atque tutissimum refugiũ inueniunt, vt de hac petra dictum esse credamus, *Petra refugium erinaciis.* Denique, petra, quæ
Psal. 130. semper nobis mel, & oleũ manare nõ cessat: vt nulla sit diuina cõsolatio, nulla Spiritus sancti gratia, nullũ donũ, quod fidelibus Ecclesię filiis ab hac petra nõ diffun-
Job. 29. datur. de qua S. Iob olim prędixerat, *Petra fũdebat mihi riuos olei* Quid vero mirũ est, quod mel, & oleũ gratiarũ spiritualiũ, hæc diuina petra nobis fundat, quę Dei Filiũ, carne purissima indutũ humana, toti mũdo ex castissimis visceribus, mel diuinũ, oleũ exultationis, lumen æternum effudit? Hunc *lapidem* viuum, hãc petrã solidam, S. Ioseph à somno surgens, accepit Mariam coniugem suã. Et recte dicitur, *Exurgens Joseph à somno*, quia ab illo somno, ad tantã dignitatis excellentiã, & gloriã exurgere meruit, vt congrue posset habere coniugem, Mariã Dei Matrem Sicut enim de ea dicitur post con-
Luca. 1. ceptionem Verbi Dei in vtero suo virgineo, *Exurgẽs Maria in illis diebus, abiit in montana:* quia ad summam dignitatẽ Matris Dei exurrexit: ita etiam modo de eius sponso dicitur, quod exurgens à somno, accepit Mariam coniugem, quia eam gratiam adeptus est, vt esset coniux Mariæ, Christi tutor, & pater: quod nemo ex hominibus obtinuit in vniuerso mundo. *Tulit* ergo *lapidem*, accepit Mariam coniugem.

*Et erexit in titulum* Nõ ille erexit Mariã: sed erectam à Domino cognouit, & significauit Et quãuis innumeros dignitatis, & gratiarũm titulos magnificentissimos habuit sacratissima Virgo Maria, vnicus tamen eius titulus, & in quo singularis est, nec similem habere potest, ille est, quòd sit vera Dei Mater, simul & Virgo perpetua: quo titulo sic à Deo donata est, & exaltata, vt
D. Thom. nullo maiori ab illo potuerit honorari, vt Diuus Thomas, docet 1. parte, quæstione 25. artic. 6. ad 4. Hũc

titulum agnouit Ioseph, ab Angelo edoctus, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, &c.*

Vnde sequitur, *Fundens oleum desuper.* Oleum enim super lapidem fudisse, non aliud est, quàm significasse, quod Maria de Spiritu sancto conceptura erat Filium Dei, sicut in Euangelio dicitur, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Venit enim super Mariam, & superuenit in eam Spiritus sanctus: non per gratiam solum, vt super cæteras virgines sanctas, sed singulari modo præ omnibus: vt eam sanctificaret, quantum necesse erat, vt posset concipere Verbū Dei: vt eam vngeret in Reginā Angelorum, in Dei Matrem. Aut certe, lapidem vnxit oleo, vt significaret, teste Origene, libro 2. Peri-Archon, cap. 6. quod humanitas Christi Domini, in vtero Virginis vngenda erat, non solum oleo gratiarum, sed etiā ipsa plenitudine diuinitatis, quæ in Christo habitauit corporaliter, & substantialiter, secundū quod Apostolus dicit ad Colossenses, *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Habet ergo vnctionē diuinitatis, quæ humanitati illi vnita est vnione substantiali in vnitate personæ. Habet etiam anima eius sanctissima, omnium gratiarum plenitudinem, absque vlla mensura, secundū quod Dauid dixit, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitia præ consortibus tuis.* Et Petrus in Actis Apostolorum, *Vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Habet enim vnctionem plenam omnium gratiarum, donorum Spiritus sancti, & omnium virtutum: de cuius plenitudine omnes Sancti in cœlo, & in terra, velut consortes accipiunt virtutes, & Spiritus sancti dona. Et quidem congrue satis Diuinitas, & speciali quadam appropriatione Spiritus sanctus, nomine olei appellatur, sicut Ambros. ait lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 8. Quoniam olei hæc est natura, vt nequaquam humido alterius naturæ misceatur: &, cùm leuior sit olei natura cæteris, residentibus aliis eleuatum secernitur. Similiter Diuinitas, quę Spiritus immortalis, & infinitus est, creaturis omnibus misceri non potest sed omnibus semper supereminet, ac superfertur. Vnde & in Genesi de Spiritu Dei dicitur, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: quia superiorr, altiorque erat omni-

*Lucæ.* 1.
*Origen.*
*Coloss.* 2.
*Psal.* 44.
*Actor.* 10.
*Ambros.*
*Genes.* 1.

fugeret in Ægyptum, aut inde reuerteretur in terram Iuda: aut denique omnibus aliis in rebus, & officiis, summa cum obedientia, & animi promptitudine inseruiret: ita, vt merito de ipso dixerit pater suus Dauid

Psalm.79. Domino; *Deducis velut ouem, Ioseph.* Deduxit enim illum in voluntate sua, quocunque voluit, tāquam ouem mansuetam, sine voce, sine murmure, absque vlla repugnantia carnis, & animæ, tanquam verum, sanctum,

3 Reg. 7. & electum vnum ex omnibus hominibus. Olim *Sanctificauerunt Eleazarum filium Aminadab, vt custodiret arcam Domini.* Quantò ergo potius sanctificaret Dominus, & sanctum faceret, Ioseph, filium Dauid, vt custodiret Christum Dominum nostrum, arcam totius diuinitatis, & in qua sunt omnes thesauri sapientię Dei absconditi: vt custodiret etiam Mariam, arcam sanctificationis diuinæ: in qua reconditus erat infinitus ille thesaurus Filij Dei, qui in eius sacratissimo vtero, & ex ea, carnem suscepit, vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum? Sed quoniam purissima eius sponsa Maria, sancta erat corpore, & spiritu: similiter sponsum eius *elegit Dominus ex omni carne:* vt & ipse, sanctus esset, non solum spiritu, sed etiam carne: vt virgo castissimus Reginam virginum, & Regis æterni Matrem, puro corde, ac corpore custodiret: sicut & fecit.

Vidimus primam excellentiam Sancti Ioseph: quomodo illum nobilitauit Dominus noster, quomodo mirificauit sanctum suum Ioseph, atque glorificauit custodem Filij sui, ac Matris eius purissimæ (scriptum

Prouerb. 27. est enim; *Custos Domini sui glorificabitur:*) videamus iam alteram eius excellentiam cum claritate, & nobilitate, ac sanctitate coniunctam. Ait illi Angelus; *Noli timere accipere Mariam.* Non enim commendatur sanctus Ioseph de nobilitate, sanctitateque solummodo, sed, quod rarissimum in hominibus est, de maxima quadam humilitate, ac timore quodam reuerentiali, & sancto. Non enim solum iustus erat, sed & humilis valde, & timoratus, mansuetus, & pius. Quare enim timebat accipere Mariam? Quare voluit occulte dimittere eam? Quare expelleret à se mulierem optimam, & benedi-

Prouerb. 18. ctam inter omnes mulieres, sciens scriptum esse, *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum?* Aut quare fu-

geret, ac desereret Virginem sapientissimam, simul ac purissimam, & omni auro pretiosiorem? Scriptum est enim; *Noli discedere à muliere sensata, & bona, quam sortitus es in timore Domini. Gratia enim verecundiæ illius super aurum* Eam sortitus erat in timore Domini S. Ioseph, verecundam nimis, gratia plenam, sanctam, & pudoratam mulierem. Quare ergo vellet ab illa discedere, & occulte dimittere innoxiam, nisi maximo aliquo mysterio? *Accipe, non meam, sed Patrum sententiam* (ait Bernardus, Homilia 2. super Missus est) *Quia indignum, & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali, & à tanta non debere vltra familiare sibi præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat, & horrebat diuinæ præsentiæ gestantem certissimum insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem, inquiens; Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Expauit Centurio præsentiæ maiestatem, inquiens: Domine, non sum dignus, vt sub tectum meum intres. Exhorruit & Ioseph huius tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem: & ideo voluit occulte dimittere eam.* Hæc ille. Accepit autem sententiam hanc ex Origene, Homil. 1. in diuersos. Itaque sicut sancta Elisabeth, admirans Domini Matrem ad se venientem, cum tremore, & reuerētia eam excepit in domum suam, reputās se indignam, & clamans; *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* & quemadmodum ipsa Virgo sanctissima ab Angelo salutata, quod gratia esset plena, quod Dominus esset cum illa, *turbata est in sermone eius*, & indignam se reputans tali, ac tanta dignitate, cœpit timere ex summa quadam prudentia, & profundissima humilitate, vt D. Thom. ostendit. 3. part. quæst. 30. art. 3. ad 3. ita & Sanct. Ioseph, cùm esset iustus, & timoratus, atque humilis in oculis suis, timuit accipere Mariàm, domique suæ retinere, indignum omnino se reputans eius sacratissimo consortio, & inaudito sacramento dignitatis eius. Quapropter à sancto Angelo admoneri meruit, & instrui: quamuis hanc Virginis dignitatem, & mysterij magnitudinem non plenê cognouit, vsque in diem, quo peperit Filium suum Iesum.

Eccles. 7.

Bernardus.

Luc. 5.

Matth. 8.

Origenes.

Luc. 1.

D. Thom.

Matth. 1.

*Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum* Id est, non cognoscebat plenè dignitatem eius, quod esset Dei Mater, maiestatem eius, & mysterij, quod gestabat in vtero, profunditatem, sicut Diuus Thom. exponit. 3. part. quæst. 28. artic. 3. ad 3. estque doctrina Epiphanij libro 3. contra hæreses, cap. 68. & Chrysostomi, Homil. 1. Imperfecti in Matth. Habes & in hac magna humilitate, ac timore sancto, & tremore Ioseph sanctum verè filium Dauid, atque imitatorem. Quemadmodum enim ille Rex, & Propheta sanctus, ex humilitate magna, & reuerentia ad arcam Domini, vt Scriptura, libro Reg. narrat, *Timuit introducere arcam Dei in domum suam* & dicebat; *Quomodo ingredietur ad me arca Dei?* ita etiam, & multò perfectius, noster Ioseph, ex quodam timore magno, reuerentia summa, & profundissima quadam humilitate, timuit retinere domi secum Virginem admirandam, Deo grauidam: arcam, in qua erat, non vrna aurea, habens manna, & virga Aaron, sed Christi caro, habens plenitudinem diuinitatis corporaliter, & virga virtutis Dei, quam misit in vterum eius Deus, vt dominaretur cœlo, & terræ, saluum faceret mundum, atque iudicaret in æquitate.

*D. Thom.* *Epiphan.* *Chrysost.* *1. Reg. 6.*

Tertiam adhuc Sancti Ioseph dignitatem, & maiorem excellentiam habemus in illis verbis; *Mariam, coniugem tuam* Putas nè parum fuit Sancto Ioseph, coniugem esse Mariæ Virginis Matris Dei? Sanctus Matthæus, sicut nihil altius potuit dicere de Maria, quam quod *ex ea natus est Iesus*, ita nihil maius inuenit, quo exaltaret Ioseph, quam appellando eum, *virum Mariæ*. Hinc enim singularem eius dignitatem excellentiamque nulli alteri viro concessam, facilè colligere vnusquisque poterit. Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum, docet ex sententia Hesiodi, & Simonidis, *Virum nullam habere posse meliorem possessionem coniuge bona.* Salomon verò multo certius dixit in Prouerbiis; *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* Et in Ecclesiastico; *Qui posidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundum illum est, & columna, vt requies.* Et iterum; *Mulieris bonæ beatus vir.* Fœlix igitur inter viros Sanct Ioseph, qui singulari Dei beneficio, inuenire meruit mulie-

*Matth. 1.* *Clemens Alexand.* *Hesiodus.* *Simonides.* *Prouerb. 18.* *Eccles. 36.* *Eccles. 26.*

rem vere bonam, omni bono, ac cœlesti iucunditate locupletatam. Fœlix, qui possidere dignus fuit Mariam Dei Matrem, Reginam Virginum, Angelorum Dominam, & habere eam adiutorium simile sibi, columnam requiei suæ firmissimam. Beatus planè Mariæ vir, qui in terra possidere meruit sociam, & coniugem, quam in cœlis adorant Angeli, Sanctam Dei Genitricem. Hinc enim colliges, quanta fuerit puritas castissimi Ioseph, quem amauit Maria castissima Virgo, tanquam sponsum, cui Dei Filius Matrem Virginem virgini commendauit. Quod si vir, & mulier, sicut Dominus in Euangelio dicit, *Iam non sunt duo, sed vna caro:* profectò Sanctus Ioseph, Virginis sponsus, non solum spiritu, sed & carne castissimus fuit, & venit ad corpus incoinquinatum, in quo nulla esset impuritas, sed communem cum Maria virginitatem possideret: vt, sicut ipsa Virgo virginum erat, etiam ille virgo esset per Mariam, vt Hieronymus dicit, libro contra Heluidium, cap. 9. *Vt ex virginali coniugio virgo Filius nasceretur.* Alioquin quomodo vna caro esset cum virginali, & purissima carne illa, ex qua carnem sumere dignatum est Verbum Dei, quod pro nostra salute caro factum est? Deinde colliges, quantam sit adeptus dignitatem Sanct. Ioseph, hanc possidens mulierem bonam, Mariam Virginem cuius caput esse meruit, & habere subditam sibi, non quidem seruili subiectione, sed libera, & generosa: qualem etiam in statu innocentiæ futuram fuisse, Diuus Thom. docet 1. p. quæst. 92. artic. 1. ad 2. Quod si, vt Beatus Petrus dicit, *Sara obediebat Abrahæ, Dominum suum, illum vocans:* multò perfectius purissima hæc Abrahæ filia obediret sancto Ioseph sponso suo virgini, Dominum, illum vocans, & vt domino suo in omnibus obtemperans, & seruiens: vt perspicias, ad quam dignitatis eminentiam peruenit Ioseph, cui non Ægyptus, sed Maria genuflecteret, & fortasse ipse Dei Filius, qui pariter *subditus erat ille.*

*Matth. 19.*

*Hieronym.*

D. *Thom.*

1 *Petr. 3.*

Sed, iam tandem, quartam huius sanctissimi viri consideremus dignitatem singularem: quæ ex ea, quã tertio loco diximus, consequitur, Existimat enim Augustinus, libro 2. de consensu Euangelistarum, cap. *August.*

1 & melius, ac latius, libro 1. de Nuptiis, cap. 11. satis fuisse, vt S. Ioseph dicatur pater Christi multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus. Vnde est, quod Sanct. Lucas Euangelista absolute eum vocat patrem Christi Domini;
Luca 2. *Erant pater eius, & mater, mirantes, &c.* Et iterum ex ore beatissimæ Matris; *Pater tuus & ego, dolentes, quærebamus te.* Hanc autem dignitatis excellentiam nullus Patriarcharum habere meruit, sed soli Sancto Ioseph seruauit Deus. Adam, vocatus est, *Pater orbis terrarum*: Abraham posuit Deus, *patrem multarum gentium*: Alterum Ioseph *fecit Deus quasi patrem Pharaonis* Regis Ægypti: Dauid Regem vocauit angelus Domini, patrem Christi, sicut habes in Euangelio; *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Hoc autem tantæ dignitatis encomium ideo quasi à longè ei datum est, quoniam ex eo duxerunt origine, Ioseph, & Maria: ex quibus ille, pater Christi fuit, quia verus Virginis cõiux esse meruit: illa autem, vera Mater, quæ virtute, & gratiâ Spiritus sancti, seruata virginali integritate, eum genuit, ac peperit. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex quibus sanè verbis colligemus aliam non incongruam rationem, ob quam S. Ioseph, potuit planè, etiam absque vllis ambagibus, Christi pater nuncupari.

*Sapient.* 10
*Genes.*17.
*Genes.*45.
*Luc.*1.

Lex erat in Deuterono. celeberrima, & in Euangelio recitata, quod si vir quispiam sine liberis mortuus esset, defuncti frater acciperet vxorem eius, & suscitaret semen fratri suo: sic adeo, vt, quemadmodum Damascenus inquit, lib. 4. de Fide, cap. 15. qui partu edebatur, secundum naturã filius esset secundi, qui genuit, secundum legem vero, primi, qui iam obierat diem: quemadmodum planè constat in ipso Virginis sponso Sancto Ioseph, qui secundum naturam filius erat Iacob, secundum vero legem filius Heli. Sanctus ergo Ioseph, sponsus, & vir Mariæ Virginis erat: sed, quia votum emiserat perpetuæ virginitatis, vt D. Tho. docet 3. part. q. 28. art. 3. ad 5. & art. 4. ad 3. mortuus est mũdo sine liberis. Quemadmodum enim teste eodem D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 11. ad 1. Religiosi, qui profitẽtur solemni voto Religionem, moriuntur mundo

*Deut* 25.
*Matth.*22.
*Damasc.*
*D. Thom.*
*Idem.*

morte quadam ciuili, ac legali, qua separantur ab omnibus, quæ mundi sunt, ac si iam diem obiissent: quibus conuenit, Quod Paulus ad Colossenses scribit, *Mortui estis ab elementis huius mundi*, id est, à negotiis, solicitudinibus, vanisque voluptatibus, quæ in mundo sunt: ita etiã, qui votũ emittit perpetuæ castitatis virginalis, eo ipso moritur matrimonio, morte quadam ciuili, & honesta, sicque pro Dei amore, & perfectioris status amplexu, iam sine liberis moritur. Vnde Dauid dicebat, *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Diuus Cyrillus, lib 16. de Adoratione in spiritu, exponit locum de morte, non carnali, sed spirituali, qua viri sancti moriuntur peccato, & mundo, vt viuant Deo in sanctitate, & pietate. Hæc enim mors, pretiosa est: non in conspectu hominum, qui mundo viuunt, sed in conspectu Domini qui vota eorum suscipit, qui se totos à mundo segregant, vt Christo tradant & moriuntur sæculo vt Deo separati, illi viuant in omnibus. Ecce, quomodo vouentes Domino castitatem perpetuã, & reddentes Domino vota sua, moriuntur Sanctorum morte, pretiosa in oculis Domini, quorum vita abscõdita est cum Christo in Deo Simili modo noster Ioseph, quia virginitatem suam Domino consecrauit voto castitatis perpetuæ, mortuus est mundo, ac pretiosa morte Sanctorum: obiitque sine liberis propter Deũ, primus virorum, qui virginitatis votũ emiserunt: sicut Maria sponsa eius, fuit prima omnium virginum quæ se Domino consecrauerunt. Ideo meruit vir castissimus, vt ipse Deus fieret eius frater, acciperetque sponsam sibi Mariam, quasi defuncti fratris vxorẽ, generaretq; ex ea filium: cuius pater, sanctus Ioseph diceretur in Euangelio, & esset secundũ legem, qui propter fidẽ, & amorem castitatis, mori voluit sine liberis. Hoc autem videtur esse, quod in Euangelio dicitur, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* Ac si diceret, Spiritus sãctus, generationis huius Filij in vtero Virginis author fuit: Pater æternus, secundum naturã Pater illius est: at secundum legem tu es pater illius, qui propter castitatis votum mori sine liberis elegisti Vnde sanctus Au-

*Coloss. 2.*

*Psalm. 115.*

*Cyrill.*

*August.*

gustinus, sermone 14. de Natali Domini, ait, *Gaude Ioseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es ab vxoris concubitu, vt pater dicaris Saluatoris.* Atque hoc fortasse insinuatum est à Hieremia Propheta, cum dice-
Hierem. 23. bat voce Domini, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, &c. Suscitabo*, ait: quia pater illius, mortuus erat, atque adeo filius defuncto suscitatus est à Domino: suscitauit autem Dominus Dauid, & Ioseph defuncto, tanquam frater demortui fratris, in vtero Virginis Mariæ, filium iustum, sanctum, Regem, Saluatorem mundi, propter meritum virginitatis, & votum, quo ab omnibus mundi negotiis, & oblectamentis, mortuus est: vt exemplum mundo relinqueret inauditæ hactenus castitatis, & rarissimæ dignitatis.

Ecce, quantum dignitatis & gloriæ consequutus est Beatissimus Ioseph, & merito castitatis, & voto, ac
Sapien. 4. professione singularissimæ virtutis: mortuus quidem sęculo sed reuera non mortuus, qui talem filium reliquit post se. *O quam pulchra est casta generatio cum clarita-*
Cyprian. *te!* Vbi secundum Septuaginta, legitur, *Melius est, filios non habere, cum virtute* Cyprianus, Tract. de singularitate Clericorum, numer. 23. ad virtutem castitatis, siue virginitatis refert. Et nostro Ioseph multo melius fuit, per meritum castitatis filios non habere cum hac clarissima virtute per quam immortalis est memoria illius, ac notissima apud Deum, & apud homines. In memoria enim æterna erit iustissimus, & castissimus Ioseph, filius Dauid, coniux Mariæ Virginis ac Matris Dei: & ipse, vt ita dixerim, pater secundum legem, Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Qui cum ęterno Patre, & coæterno Spiritu sancto viuit, & regnat, &c. Amen.

## DE EODEM S. IOSEPH.

### CONCIO II.

***Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, &c.*** **MATTH. I.**

ECce. *ſomniator* diuinus nobis *adeſt* ſanctiſſimus Ioſeph : non ille , cui apud *Geneſ. 37.* Ægyptios olim data eſt ſomniorum intelligentia, ſed alter illo maior , & caſtior : cui conceſſum eſt , noſſe myſterium redemptionis humanę , & conſciũ fiericum Maria *ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, quod nemo principũ huius ſæculi cognouit*. Nullidubiũ eſt, ſomnia *1. Cor. 2.* quædam ſanctorum virorum eſſe , vt Diuus Thomas docuit, 2. 2. quæſt. 95. artic 6. & ante illum Lactant. *D. Thom.* lib. de Opificio Dei, cap. 18. quæ à Deo illis imittuntur *Lactant.* Angelorum miniſterio : per quæ aliqua futura myſteria eis reuelantur Et, vt multa ſacræ Scripturæ loca prætermittamus , quibus hoc aperte comprobatur, illud vnum à principio proferamus , noſtro propoſito ſatis aptum, ex Geneſi vbi dicitur; *Immiſit Dominus ſoporem in Adam, &c.* Non à natura , vel corporis affe- *Geneſ. 2.* ctione , ſomnus ille fuit , ſed à Deo immiſſus eſt : qui cum ſtatuit in profunda quadam oratione , & altiſſima diuini Sacramenti contẽplatione: in qua Dei reuelatione, cognouit deſponſationem ſuam cum Eua virgine , quam de eius latere Deus ipſe formauit : & ſacramentum illud magnum , quod in Chriſto, & in Eccleſia futurum erat. Non aliter noſter Ioſeph, ait Chryſoſtomus, Homilia 1 Imperfect. in Matthæum , in hoc ſuo ſomno , cœlitus à Deo immiſſo , & altiſſima con- *Chryſoſt.* templatione , Angelo reuelante, cognouit, debere ſeſe accipere Mariam Virginem , & coniugem ſuam, ſimulque mirabile Incarnationis arcanum, quod Spiritu ſancto in eius virginali vtero formatum eſt ad ſalutem totius humani generis. Nam , quòd ille ſomnus, orationis , & contemplationis fuerit , ex ipſo

Euangelio colligere possumus. Ait enim *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Si enim dormiebat, quomodo cogitabat desponsatam sibi Virginem non traducere, sed occulte dimittere: admiratus mysterium nouum super terram, quod prægnātem videret, quam sciebat intactam esse, ac sanctissimā Virginem? Plane sicut olim Sponsa in Canticis dixit,
Cantic. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat:* sic Sanctus Ioseph, spōsus Virginis: corpore quidem quiescebat somno suo, corde tamen vigilabat in oratione sua cum Deo, illi negotium mirabile, ac stupendum, commendans: & ab Angelo diuina reuelatione instructus, & recreatus, atque confirmatus, statim accepta Virgine, coniuge sua, accinxit se ad opus, & ministerium, ad quod assumptus est à Domino, & inter omnes mortales solus à Spiritu sancto electus.

Consideremus, obsecro, quo pacto Sanct. Euang. Matt. in hoc cap. 1. posteà quàm recensuit totam illam seriem Patrū, atque maiorum per gradus suos, ex quibus est Christus secundum carnē, statim in vltimo eius statuit Sanctum Ioseph dormientē, & in somnis: simulque cogitantē solicite, qualis esset hæc tā noua res, quæ acciderat Mariæ Virgini, & suæ sponsæ, quod & Virgo esset, & simul inuenta esset in vtero habens: qualiterque ab Angelo edoctus est, eā non de viro, sed de Spiritu sancto concepisse Dei Filium: sicque cum summa reuerentia eam accepit, atque custodiuit. Iam igitur recordemur necesse est, illius S. Patriarchę Iacob, de quo sacra Scriptura narrat, quod cum pergeret Aram, &
Genes. 28. *Venisset ad quendam locum, velletque in eo requiescere post solis occubitum, tulit lapidem, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis, scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei, ascendentes, & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ, &c.* Et infra, *Cum euigilasset Iacob de somno,* ait. *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque, quam terribilis,* inquit, *est locus iste? Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Vouit etiam votum, dicens, Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur, Domus Dei.*

Quid, obsecro, aliud est, hæc celeberrima scala, vt bene notauit Rupertus, libro 3. diuinorum Officiorum, cap. 18. & libro primo Commentarij in Matth. nisi series illa generationis Christi, & genealogiæ secundum carnem? Illa series, quę ab Euangelista recensetur Patriarcharum, Regum, & Principum: isti sunt gradus istius scalæ, isti, Angeli ascendentes, & descendentes in illa genealogia nobilissima de quorum stirpe descenderunt Maria, & Ioseph, & ipse Dominus Iesus, secundum carnem. Angelos enim vocat eos sacra Scriptura in Deuteronomio, iuxta Lectionem Septuaginta. *Constituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei. Angelos Dei* vocat, quos iuxta Vulgatam Editionem appellat *Filios Israel.* Quoniam illi Sancti Patres, Abraham, Isaac, Iacob, & plures alii ex maioribus genealogiæ Christi Domini, Angeli erant, sanctitate vitæ, & prudentia gubernandi populos, & custodia eorum, atque cura docendi eos veritatem Dei. Angelus erat Dauid: cui dixit sapiens mulier, *Sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex.* In vltimo gradu huius scalæ statuit Euangelista Christum Dominum innixum, quando subdit, *Christi autem generatio, sic erat, &c.* vt videamus illius scalæ mysteriũ, non esse aliud, quam Christi generationem temporalem, quam illic præuidit in somnis Iacob, & hic etiã in somnis cognouit Sanctus Ioseph. Et quemadmodum ille ab Angelo instructus est de mysterio scalæ, lapidis, & loci, ita etiam iste, mirabiliter edoctus est de mysterio Incarnationis Filij Dei, & Mariæ desponsatæ sibi vxoris prægnantis.

*Rupertus.*

*Deuter. 32.*

*2. Reg. 14.*

*Matth. 1.*

Sed discurramus per singula huius sacramenti verba. *Cum vellet requiescere post solis occubitum.* Nam, vt docet Richardus de Sancto Victore, somnus iste orationis, & cōtēplationis, perfectus, non conceditur à Domino, nisi iis, quibus iã huius mũdi sol occubuit, ac defecerũt omnia eius prospera, quę sub sole sunt: cuiusmodi erat S. Iob. cum dicebat, *Si vidi solem, cũ fulgeret:* & Hieremias Propheta, *Diem hominis non desideraui:* sicut optimè adnotauit Greg. lib. 22. Moral. cap. 3. Sic profecto *cũ sol occumberet, sopor irruit super Abraha.* Post solis occubitũ dormiuit Iacob: & noster Ioseph, qui vniuersa mũ-

*Richard.*

*Iob. 31.*

*Hierẽ. 17.*

*Greg.*

*Genes. 15.*

didespexerat, & lucem eius iam non videbat, in sua quieta contemplatione dormiebat, somnia cœlestia somniabat, Angelum videbat, mysteria diuina, Deo reuelante, cognoscebat. Sic dormiunt Sancti in oratione: sic contemplantur diuina. Videant alij, quomodo dormiant somnium suum. Qui diem, & lucem huius mundi videre appetunt, & amant, prospera illius non despiciunt, sed ardenter concupiscunt, oculis, ac manibus exquirunt: qui gloriam mundi vident qui sibi sapientes videntur, ac cæteros aspernantur: qui delitias sectātur in diuitiis lætantur: quomodo isti
Iob. 37. diuinas visiones videbunt? Quomodo vera sōnia sōniabunt? Quomodo *audebunt contemplari, qui sibi videntur sapientes?* Vana eorum somnia timebo, visiones cassas, cogitationes inanes, vaticinia de corde suo, qui in luce huius mundi dormiunt, & contemplantur. Non sic Sanctus Iacob: sed post solis occubitum dormiens, & similiter S. Ioseph, meruerunt diuina contemplari, & angelica visitatione consolari, atque edoceri. Vnde sequitur.

*Cumque euigilasset Iacob de somno, ait, Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Sic Ioseph diuina reuelatione cognouit, Dominum esse in illo sancto loco vteri virginalis, quod antea nescierat. Admiratusque mysterij magnitudinem, & loci maiestatem, *pauens*, ait; *Quam terribilis est locus iste!* Terribilis plane locus, Maria: in qua Dei Filius, quem cœli, & terra non capiunt, sese clausit homo factus. Sic enim eam salutat
Cyril. S. Cyrillus Homil. 6. inquiens; *Salue locus eius, qui capi nequit.* Terribilis locus: in quo Deus habitauit, altiori, ac multo diuiniori modo, quam in cæteris creaturis cœli, & terræ. Terribilis locus iste, ad quem nullum potuit accedere malum: locus Dei, terra sancta, Angelis suauis, Dæmonibus omni ex parte terribilis, atque
Cant. 6. formidabilis; *Terribilis, vt castrorum acies ordinata?*

*Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Hæc purissima Virgo virginum, ait S. Ioseph, est præcipua domus Dei, quam ædificauit sibi, vt mirabili modo ha-
Prouerb. 9. bitaret in ea. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Cæteras
Psal. 44. virgines vocat S. Dauid *domus eburneas Dei, filias Re-*
August. *gum.* Vbi Augustinus dicit, domos Dei esse corda Sanctorum,

ctorum, qui Apostolos imitantur in omni virtutũ genere, & sanctitatis: potissime vero sanctæ virgines, filiæ Regum, id est Apostolorum, qui puritate mentis, &corporis, Dominum delectant,&honorant,sunt domus spirituales, & templa Dei, in quibus per gratiam inhabitat,&sanctitatē At Regina virginum Maria, inter omnes,&super omnes, domus Dei sancta est, tabernaculum sanctificatum, templũ Dei viui, in quo per Incarnationem Verbum Dei caro factum mirabili modo inhabitauit,atque inhabitando maiestatesua super omnes glorificauit: sicut per Esaiam promiserat, inquiens, *Domum maiestatis meæ glorificabo* Neque domus Dei tãtum, sed & porta cœli est Virgo sanctissima, per quam cœli Dominus intrauit in mundum, factus homo. *Porta hæc, clausa erit Principi.* Princeps enim pacis, Christus Dominus, per hanc *portam, virginitate perpetua clausam, mundum ingressus est, & in mundum nascendo processit*, vt Cyprianus docet, in Expositione Symboli, numero 9. Ambros. de institutione virginis, cap. 7. & 8. *vt comederet panem sicut homo, & seipsum offerret sacrificium Domino, pro salute omnium hominum* Porta cœli fœlicissima, per quam ad Deum intrant orationes nostrę, & ad nos exeunt beneficia de cœlo, quæ Deus ipse confert toti Ecclesiæ fidelium. *Sic enim est voluntas eius* ( ait Bernar. ser. 1. de Natiuit. B. Mariæ) *qui totum nos habere voluit per Mariam.*

*Esai. 60.*

*Ezech. 44.*

*Cyprian.*
*Ambros.*

*Bernardus.*

Hoc igitur mysteriũ in Maria, agnouit in somnis S. Ioseph, reuelante Angelo:&sic edoctus, decernit iam nõ occulte dimittere eã, sed statim accipere,& venerari tanquã Dei Matrē: & Virginem spõsam custodire, atque in omnibus tam Filio, quàm Genitrici, fideliter inseruire. *Surgens* ergo *mane Iacob, tulit lapidem.* Et de S. Ioseph dicitur in Euan. *Surgēs Ioseph à somno, accepit Mariã cõiugem suã* Recte vero appellatur lapis, Beatissima Virgo: dequa scriptũ est, *Emitte agnum, Domino, dominatore terræ, de petra deserti.* Vbi, secundũ D. Thom. expositionē, petra deserti, illa Virgo perpetua vocatur: dequa virtute Spiritus sancti, acsine viri manibus, pręcisus est lapis ille diuinus, qui totũ orbē redemit, Ecclesiã fundauit, cœlos reparauit. Petra illa Dauid, quã funda, cõtexta ex serie tãtorum Patrum, proiecit in caput hostis.

*Esai. 16.*
*D. Thom.*

titulum agnouit Ioseph, ab Angelo edoctus, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, &c.*

Vnde sequitur, *Fundens oleum desuper.* Oleum enim super lapidem fudisse, non aliud est, quàm significasse, quod Maria de Spiritu sancto conceptura erat Filium Dei, sicut in Euangelio dicitur, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Venit enim super Mariam, & superuenit in eam Spiritus sanctus: non per gratiam solum, vt super cæteras virgines sanctas, sed singulari modo præ omnibus: vt eam sanctificaret, quantum necesse erat, vt posset concipere Verbũ Dei: vt eam vngeret in Reginã Angelorum, in Dei Matrem. Aut certe, lapidem vnxit oleo, vt significaret, teste Origene, libro 2. Peri-Archon, cap. 6. quod humanitas Christi Domini, in vtero Virginis vngenda erat, non solum oleo gratiarum, sed etiã ipsa plenitudine diuinitatis, quæ in Christo habitauit corporaliter, & substantialiter, secundũ quod Apostolus dicit ad Colossenses, *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter* Habet ergo vnctionẽ diuinitatis, quæ humanitati illi vnita est vnione substantiali in vnitate personæ. Habet etiam anima eius sanctissima, omnium gratiarum plenitudinem, absque vlla mensura, secundũ quod Dauid dixit, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et Petrus in Actis Apostolorum, *Vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Habet enim vnctionem plenam omnium gratiarum, donorum Spiritus sancti, & omnium virtutum: de cuius plenitudine omnes Sancti in cœlo, & in terra, velut consortes accipiunt virtutes, & Spiritus sancti dona. Et quidem congrue satis Diuinitas, & speciali quadam appropriatione Spiritus sanctus, nomine olei appellatur, sicut Ambros. ait lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 8. Quoniam olei hæc est natura, vt nequaquam humido alterius naturæ misceatur: &, cùm leuior sit olei natura cæteris, residentibus aliis eleuatum secernitur. Similiter Diuinitas, quę Spiritus immortalis, & infinitus est, creaturis omnibus misceri non potest sed omnibus semper supereminet ac superfertur. Vnde & in Genesi de Spiritu Dei dicitur, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: quia superiorr, altiorque erat omni-

*Lucæ. 1.* *Origen.* *Coloss. 2.* *Psal. 44.* *Actor. 10.* *Ambros.* *Genes. 1.*

bus creaturis cœli, & terræ, & nullis earũ poterat admisceri. Et Paulus ad Romanos dicit, *Qui est super omnia*
*Rom. 9.* *nia Deus.* Si enim rebus creatis admisceri posset, iam Deus non esset, vt eleganter ostendit D. Thom. 1. p.
*D. Thom.* quæst. 3. artic. 8. & 7. Hanc ergo vnctionem diuinam Christi Domini, & Mariæ Matris eius, agnouit S. Ioseph: & propterea summa cum reuerentia accepit Mariam coniugem suam, & tanquàm Dei Genitricem custodiuit, atque veneratus est.

Denique *votum vouit Domino, dicens. Erit mihi Dominus in Deum: & lapis iste, quem erexi in titulum vocabitur*
*D. Thom.* *Domus Dei.* Doctrina est D. Thom. 3. p. q. 28 artic. 4. quod Beatissima Virgo Maria, accepto sponso Ioseph. secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. Quia igitur Ioseph voto seipsum virginitatis Domino consecrauit, ideo dicit: *Erit mihi Dominus in Deum.* Ac si diceret, Illi me per votum trado, illi me consecratum esse volo: vt ipse mihi Dominus sit, & nullus alius, animæ, ac corporis potestatem habeat, vt sim Domino separatus, & sanctificatus. *Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus* Dei. Acsi dicat, Et Mariam, quã suscipio sponsam, & coniugẽ, & titulo Genitricis Dei insignitam, atq; clarificatam esse confiteor, simul cũ perpetuo virginitatis honore, vocabitur ab omnibus, Domus Dei: nõ mea, nisi honorabili, & purissimo cõnubio, sed Dei, cui se consecrauit admirabili virginitatis voto domus Dei, qui in eius vtero habitare voluit carne sũpta, & virginitate conseruata. Hæc omnia S. Ioseph in somnis ab Angelo diuina reuelatione edoctus, agnouit in Maria Virgine, vt ipse eius sponsus testimoniũ perhiberet de iis, & verũ esset testimonium eius. Ad hoc enim, inter cętera, Virgo Maria desponsata fuit castissimo Ioseph, vt ipse, non solũ custos esset pudoris eius
*Bernard.* (sicut Bernardus, sermone 3. in vigilia Natalis Domini dicit, *Ioseph non minus testis, quàm custos virginitatis Mariæ*): sed etiã testis virginitatis eius, & summæ dignitatis, quia meruit de Spiritu sancto concipere Filium
*Psal. 80.* Dei. Vnde Dauid dicit, *Testimonium in Ioseph posuit illud.* In Ioseph sancto Mariæ Sponso posuit Dominus hoc testimonium puritatis, excellentiæque beatissimæ il-

lius: vt eam crederet, eã predicaret, de ea testimonium perhiberet, quando, & vbi opus esset. Deinde etiam, vt voto castitatis suæ virginitatem sponsæ honoraret, ac defenderet Ac denique, sicut Maria fuit prima virginum, quæ voto integritatem Domino consecrauit, & cæteras virgines hoc ipsum facere suo exemplo docuit Psal. 44. ( dicente Dauid, *Adducentur Regi virgines post eam*: *Nam ipsa sibi primatum vendicat*, ait Bernard. sermone, de verbis Apocalip. primatum vero intellige, non solum dignitate, sed etiam tempore, inter omnes virgines consecratas Domino ): ita etiam Ioseph Sanctus, primus virorum extitit, qui suam virginitatem Domino per votum consecrauit suoque exemplo omnes religiosos viros edocuit, castitatis voto seipsos Domino mancipare, ac separare, propter Dei cultum, & gloriam, & simul propter Regnum cœlorum: in quo viri incoinquinati, & virginitatis cultores *sequuntur agnum*, virginum ducem, Regem, atque amatorem, atque cum eo semper lætantur in gloria Dei Patris. Qui cum eodem Christo Domino, & Spiritu Sancto viuit, & regnat, &c. Amen. Bernard.

*& imagini salutem, & carni immortalitatem afferat. Secundam consortium nobiscum init, & quidem priori longe admirabilius. Tunc enim, id, quod præstantius erat nobis impertiit: at nunc eius, quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc, priori illo diuinius, & apud cordatos viros multo sublimius.* Hæc ille. Denique mysterium hoc est adeo sub sole nouum, sic rarum, vt singulare sit, & sine exemplo: & quod de Natiuitate Domini dicit Sanctus Leo, Sermone 10 dicam ego de eius Incarnatione, *Omnem intelligentiam superat, & cuncta exempla transcendit: nec potest vllis esse comparabilis, quæ est inter omnes singularis.* De hoc igitur tam nouo mysterio & incomparabili, explicemus verba proposita, ab Angelo dicta ad Mariam Virginem, quam summa cum reuerentia salutauit, inquiens, *Aue gratia plena.* Et merito Angelus à Deo missus, Mariæ supra angelicam in terris vitam, & opera habenti, dicit, *Aue*: quasi communem cum illa vitam, & opera etiam ipsa habeat: & quæ (vt Bernardus ait, sermone 4. Assumptionis) *Prima in terris angelicam proposuit ducere vitam. Qui enim dicit ei, Aue, communicat operibus eius.* sicut aliorsum dicit Sanctus Ioannes Euangelista. Nemo congruentius illi Virgini dicere potuit, *Aue*, quam Angelus missus à Deo. *Quidni visitet Angelus vitæ sociam? Quidni salutet ciuem Sanctorum, & domesticam Dei?* Ait Bernardus, sermone de Natiuitate Mariæ, &c. *Aue*, ait, *gratia plena. O vere gratia plena,* ait August. libro 50. Homil. Hom. 44. *Quis hanc gratiam explicet? Quis huic gratiæ gratias agendo sufficiat?* Sed inimici, & hostes Christi, & Ecclesiæ, qui de Incarnatione eius multa impia, & blasphema docere conati sunt, de ipsius etiam Matris, & semper Virginis Mariæ dignitate, atque excellentia, non minus peruersa, quam falsa, ore peruerso loquuntur; & qui male loquuti sunt de Deo, sinistre etiam de Dei Matre sentire, & loqui, non cessant. Inter quos nonnulli, sanctos Ecclesiæ Patres irrident: quod ex his angelicæ salutationis verbis colligant, Beatissimam Virginem, plenam esse gratia, & sanctitate, sicut vniuersa sancta Mater Eccle. per totum orbem credit, & prædicat. Ostendamus ergo nos, eam ab Angelo Gabriele à Deo mis-

Leo.

Bernard.

1. Ioann.

Bernard.

August.

ſo vere ſalutatam, & prædicatam eſſe, gratia plenam, ſupra omnes creaturas cœli, & terræ, ita vt de eius plenitudine cæteræ accipiant.

D. Thom. Docet D. Thomas 3. p. quæſtione 6. art. 6. & alij Sancti, ac Theologi, duas gratias inueniri in myſterio Incarnationis Filij Dei Vna eſt, quæ dicitur *Gratia vnionis* quæ nihil aliud eſt, quam ipſum eſſe perſonale Verbi Dei, vnitum perſonaliter naturæ humanæ in Chriſto Domino. Hæc gratia, ſubſtantia eſt, & radix prima, & præcipua, omnium gratiarum, atque fons earum indeficiens, propriaque, & ſingularis ſoli Chriſto: ſed dicitur gratia, quoniam gratuita Dei voluntate conceſſum eſt humanæ naturæ, vniri perſonaliter Filio Dei, & abſque merito illius, vt D. Thomas docet 3. p. quæſt 2. artic. 10. & 11. Altera gratia eſt, quæ oritur ex illa prima, quæ eſt gratia quædam creata, habitualis & infuſa per Spiritum ſanctum Angelo, & animæ rationali: qualitas quædam diuina, ſupernaturalis, per quam efficimur conſortes diuinæ naturæ, filij Dei per adoptionem, & hæredes Dei, cohæredeſque Chriſti Domini, dicente Apoſtolo, *Vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* In Chriſto autem Redemptore noſtro vtraque iſtarum gratiarum fuit ſummo modo, & gradu. Et quidem de gratia vnionis manifeſtiſſimum eſt: quæ ſoli ipſi propria eſt, atque ipſa ſumma, & infinita perfectio eſt: & plenitudo diuinitatis, quæ in Chriſto *habitat corporaliter*, vt Paulus ad Coloſſenſes ſcribit: id eſt, non vmbratice, ſed vnione reali, & perſonali Verbi diuini, ad animam & corpus Chriſti, ſicut Auguſtin. exponit, epiſtola 57. ad Dardanum, & Leo, ſermone 10. de Natali Domini. Gratia vero habitualis, quæ ex gratia vnionis cōſequuta eſt in anima Chriſti, fuit in ea infinita, & ſine menſura, tanquam in capite, & fonte, vnde ad omnes alios deriuatur. Vnde habes in Euangelio Ioannis *Verbum, caro factum eſt.* Ecce gratiā vnionis, quæ eſt Deum eſſe hominem. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Ecce gratiam habitualem ſummam, & ſapientiam animæ Chriſti infinitā, quæ in Chriſto, tanquam in capite, & fonte totius gratię, & ſapientię ſupernaturalis eſt. Vnde ſequitur *De plenitudine eius omnes accepimus gratiam, &c.* Quia enim

D. Thom. · Tit. 3. · Coloſſ. 2. · Auguſt. · Leo. · Ioann. 1.

Deus erat in Christo, sic vt ille esset Deus ideo, vt Aug. ait, Tract. 13. in Ioannem, omnes de plenitudine eius accipiunt tanquam à fonte. Quemadmodum enim sol est fons lucis, & caloris, à quo omnia participant lucem, ac vitalem calorem, ita Christus Dominus, Sol iustitiæ, fons est sapientiæ cœlestis, & caloris gratiæ, atque charitatis: à quo omnes alij & scientiam veritatis, & vitam gratiæ, & calorem diuini amoris participant, vt possint vitam æternam promereri, & consequi. Volo autem ego, adiuuante hac cœlesti gratia, & veritate, ostendere, quod etiam in Beatissima Virgine Maria, suo modo, fuit duplex hæc gratia, & plenitudo eius: sic adeo, vt in nulla alia creatura sic extiterit in cœlo, & in terra, sicut, diuina bonitate, concessa est Genitrici Dei sanctissimæ. *August.*

*Aue, gratia plena.* In primis, gratiam vocat hoc loco Angelus, ipsam gratiam vnionis, siue ipsum Deum hominem, Christum Iesum: quem Apostolus vocauit, *Gratiam*, in Epistola ad Hebræos, inquiens, *Vt Gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Vbi D. Ambros. dicit, ipsum Christum vocari gratiam Dei, qui pro salute hominum mortem gustauit Et Diuus Thomas idem sentit, Lect. 3. Christum eo loco vocari gratiam Dei: quia author est gratiæ, aut quia gratuita Dei voluntate datus est nobis. Hac gratia plena fuit Beatissima Virgo Maria Dei Mater, in cuius vtero Dei Filius carnem sumens, nouem mensibus corporaliter habitauit: & sicut in carne Christi realiter habitat omnis plenitudo diuinitatis, ita etiam, quodammodo, ipsamet diuinitatis plenitudo, ipsa infinita gratia, ipse Deus homo Christus Iesus, realiter, ac corporaliter, in visceribus Virginis, tanquam verus filius in vera matre habitauit: mansitque illa plena gratia, plena Deo in hoc cœlesti mysterio Cum enim Angelus eam salutasset, *Aue, gratia plena*: statim turbata est *in sermone eius.* Non in seipsa, sed in sermone turbata est, summæ humilitatis, & prudentiæ Virgo: *Dolum aliquem, nisi fallor suspicans* (vt Bernard. ait, sermone 33. in Cantica) aut quia de seipsa res tam magnificas non sentiebat, neque cogitabat, vt Diuus. Thomas dicit 3. prima quæst. 30. art. 3. ad 3. Sed mox respondit ei An- *Heb. 2.* *Ambros.* *D. Thom.* *Bernard.*

gelus: *Ne timeas, Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quæ, obsecro, gratia est ista, quæ erat apud Deum? Non gratia creata, non qualitas etiam supernaturalis, (hæc enim in Deo esse non poterat) sed gratia increata, & substantialis, & ipse Vnigenitus Dei Filius, qui erat in sinu Patris: *Verbum erat apud Deum.* Percurre diuinas Scripturas, & inuenies quidem, multos sanctos Patres inuenisse gratiam *Coram Deo, in oculis eius, In conspectu eius, & Ante eum*: de nullo autem legitur, quod inuenit gratiam *Apud Deum*, nisi de sola Beatissima Virgine Maria. *Noe inuenit gratiam coram Deo.* Iustus enim erat, & illi placuit. Abraham dicit ad Dominum, *Si inueni gratiam in oculis tuis* Amicus enim Dei erat, & illi gratissimus. Ad Moysem dixit Dominus, *Inuenisti gratiam coram me.* Dilectus enim erat Deo, & familiaris, ad quem loquebatur ipse Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Quid mirum ergo esset, quod inueniret gratiam ante oculos eius, & in conspectu illius? *David* etiam (vt in Actis Apostolorum Stephanus ait) *inuenit gratiam ante Deum* Fuit enim vir secundum cor Dei, qui hoc volebat, hoc petebat, vt faceret semper voluntatem Domini Dei sui. At gratiam, quæ erat apud Deum Patrem, & in sinu illius, nemo Sanctorum illorum inuenire potuit, aut meruit. Soli Mariæ hæc excellentia seruabatur, quæ omnibus Sanctis longe maior, ac sanctior erat: vt inueniret hanc gratiam apud Deum, & de sinu eius traheret ad virgineum vteri sui sacratissimum sinum, vt appareret nobis Dei Verbum indutum carne humana, quam ex visceribus eiusdem Virginis assumpsit. *Et vita æterna, quæ erat apud Patrem, apparuit nobis,* vt S. Ioannes dicit. Vnde & voce ipsius sacratissimæ Virginis Matris Dei dicitur in Canticis: *Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Nulli dubium est, quod hæc sacratissima Virgo pertransierit ac superauerit cæteros Sanctos in immensum, & quasi infinito quodam excessu sanctitatis, sapientiæ, & gratiarum omnium: quæ electa est à Domino inter mulieres, & benedicta, vt esset Genitrix Filij Dei secundum carnem. *Decuit* enim (vt Anselmus ait libro de Conceptu Virginali, capite 18.) *Virginem,*

Ioan. 1.
Genes. 6.
Genes. 18.
Exod. 33.
Actor. 7.
1. Ioan. 1.
Cantic. 3.
Anselm.

*ea puritate nitere, qua maior sub D'o nequit intelligi.* Sed illa paululum se eos pertransisse dicit: quia humiliter valde sentiens de seipsa, non exaltabat animam suam: quam tamen Deus exaltauerat super omnes Sanctos, qui sunt in cœlo, & in terra: &, excepto Deo, omnibus altiorem, puriorem, sanctiorem, ac pleniorem gratia fecerat. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Sic Beatissima Virgo, cæteris omnibus maior, puritate, & sanctitate, humilians se in omnibus, & paulum se eos pertransire existimans, & affirmans, inuenit magnam gratiam, non solum coram Deo, cui summe gratissima fuit, sed etiam apud Deum: quod illi soli datum est, quando inuenit Dei Filium, & vitam æternam, summamque, & infinitam gratiam, quæ erat apud Deum Patrem, vt in ea habitaret mirabiliter, carne sumpta; essetque illa vera Dei Mater, & ille Dei, & Virginis Filius, dicente Angelo; *Et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vbi notanda sunt duo. Primum est, cum Tertulliano, libro de Trinitate, cap. 19. (quamuis liber non Tertulliani, sed Nouatiani potius sit) quod consulto Sanctus Euangelista apposuit coniunctionem, *Et quod ex te nascetur, &c.* ad confutandos hæreticos Photinianos, qui dicunt, Christum ante Mariam non fuisse, nec habuisse aliam æternam natiuitatem ex Patre solo sine matre: propterea dicit; *Et quod nascetur ex te sanctum.* Quasi diceret; Illud sanctum, quod est Filius Dei per æternam natiuitatem, nascetur etiam ex te sanctum secundum carnem, Spiritu sancto superueniente in te: & vocabitur Filius hominis, sicut vocabitur Filius Dei. Secundum est, cum Diuo Ambrosio, libro de Incarnationis Dominicæ sacramento, capit. 6, & Athanasio, epistola ad Epictetum, quod dicit; *Nascetur ex te.* Non dixit; *Nascetur in te.* Præsciuit enim Deus, futuros esse homines impios, qui dicerent, Dei Verbum in vtero Mariæ Virginis fuisse, non tamen carnem suscepisse ex ipsa. Ideo dicit; *Ex te. Ex se enim generauit Maria: vt quod generatur ex ipsa, in eo, salua generationis Dominicæ prærogatiua, corporis esset vera natura. Ergo ex nobis accepit* (ait Ambrosius) *quod propriũ*

Eccle. 3.

Tertul.

Ambros.

Athanas.

Ambros.

*offerret pro nobis: vt nos redimeret ex nostro. Et quod nostrum non erat, ex sua nobis diuina largitate conferret. De nostro sacrificium, de suo præmium est.*

*Aue, gratia plena.* Quemadmodum in Christo, eo quod fuit gratia vnionis infinita, & substantialis, consequẽter quoq; dicimus esse plenitudinẽ gratiæ habitualis creatæ, tanquam in capite, & principio, ac fonte, vnde omnes alij participant gratiam, qua iusti sunt, atque saluãtur, ita etiã, suo modo, ex eo quod fuit Mater Dei, *habẽs in vtero suo Filiũ Dei Gratiã Dei* Sanctũ Sanctorum, consequenter habuit tantam gratiæ, & sanctitatis plenitudinem, vt de eius immensitate, & plenitudine omnes accipiant dona gratiarum, & virtutum, sicut à fonte bonorum supernaturalium, & sicut ab vnica mediatrice inter Deum Filium suum, & homines seruos suos: sicut Diuus Bernardus nos docuit in sermone 2. de Spiritu sancto, inquiens; *Ad ipsam, sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, Et qui in cælo sunt, Et qui in inferno, Et qui in terra. Qui in cælo, vt resarciantur: qui in inferno, vt eripiantur: qui in terra, vt glorificentur. In te Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt.*

*Bernardus.*

Meritò igitur sancta mater Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, & illustrata, Beatissimam hanc Mariam Virginem Genitricem Dei, vocat etiam, *Matrem gratiæ, Matrem misericordiæ*: eo quod omnis gratia, omnia miserationis Dei dona, ab ipsa, vt à matre, fidelibus proueniunt. Ipsa omnium bonorum spiritualium mater est: ipsa, *mater omnium viuentium*, non vita carnis, sed vita gratiæ, & virtutum: *quæ* (vt Augustinus ait, libr. de sancta virginitate, cap. 6.) *Mater est spiritu omnium fidelium, Et membrorum Christi: quia cooperata est charitate, vt illi in Ecclesia nascerentur.* Audiamus, quid ipsa per Salomonem de seipsa dicit; *Ego, mater pulchræ dilectionis, timoris, Et agnitionis, Et sanctæ spei.* Potissimas virtutes hic refert: fidem, qua Deum agnoscimus: spem, qua in eum speramus: & charitatem, qua illum toto corde diligimus, qui summe bonus, & pulcher est: & timorem sanctum, atque castum, qui ex charitate ipsa nascitur, per quem timemus Deum, ac reueremur. Has virtutes, cæterasque omnes habuit Maria, & habet, in

*Genes. 3.*
*August.*
*Eccles. 24.*

ſummo quodam gradu,& heroico, tãquam earum mater, quæ plena eſt gratia, & omni ſapientia cœleſti: ideo ſubdit; *In me omnis gratia vitæ, & veritatis*: ita ſane, quod ſicut per Chriſtum, qui caput eſt Eccleſiæ, & pater, datur nobis in anima vita gratiæ, per quam iuſtificati, & ſancti ſumus, & ſcientia veritatis cœleſtis, per quam cognoſcimus diuinas veritates, & ſupernaturalia myſteria, dicente Sancto Ioanne, *Gratia, et veritas, per Ieſum Chriſtum facta eſt* (Venit enim plenus gratia,& veritate, Chriſtus Dominus noſter, vt & animas per gratiam viuificaret, & mentes hominum illuminaret ſcientia veritatis, quæ manet in æternum. Venit plenus gratia,& veritate: vt per gratiam remitteret peccata, & plenitudinem charitatis ad ſeruandam legem donaret: & per veritatem Euangelij, vmbras legis antiquæ, figuraſque ceſſaſſe, ac Prophetias impletas eſſe,demonſtraret: ſicut exponit Auguſtinus, libro 17. contra Fauſtum cap. 6. & lib. 22. cap. 6. & Bernardus, ſermo. 28. de paruis:) eodem modo per Mariam ipſius Chriſti Genitricem, & omnium fidelium matrem, quæ plena eſt gratia & veritate, communicatur nobis gratia, per quam Deo ſimus grati, & mandata eius obſeruemus: & agnitio veritatis, ac ſcientia Dei, per quam cognoſcamus in terra vias Domini, & à via veritatis eius non aberremus vnquam. Hæc eſt vnica mater gratiæ: & non eſt alia præter ipſam. Hæc fons veritatis, & ſapientiæ: hæc verè *ſapiens mulier, & mater, & quæ reſpondet veritatem in Iſrael*. Ad hanc confugiunt omnes, qui gratiam, & veritatem deſiderant inuenire,& obtinere à Domino: ipſa eos vocat, & inuitat, cum ſubdit; *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Beatiſſima quidem Virgo Dei Genitrix, vnicam tantum generationem habuit, qua, Virgo intemerata permanens, de Spiritu ſancto genuit Deum & hominem, Ieſum Chriſtum, ſicut in Euangelio habes; *Chriſti autem generatio ſic erat, &c.* Sed vocat eam plurali numero *generationes*: quia vna illa, fons eſt, & cauſa omnium generationum ſpiritualium, quæ in animabus fiunt per fidem, & gratiam Chriſti. Quemadmodum enim primum peccatum primi hominis, & eius corruptio, quia radix, & cauſa

*Ioan. 1.* *Auguſt.* *Bernard.* *2. Reg. 20.* *Eccleſ. 24.* *Matth. 1.*

fuit omnium peccatorum, & corruptionum, quæ in
Psal 50. hominibus sunt, vocatur plurali numero *peccata & ini-*
D. Thom. *quitates*. Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, in &*
*peccatis*, &c. vt notauit D. Thom. 1. 2. quæst. 82. artic.
2. ad 1. ita etiam hæc Domini generatio in visceribus
Virginis, plures generationes vocatur; quia omnium
sanctarum generationum radix, & fons siue causa est Et
quemadmodum in illa prima corruptione mortis, *In*
1. Cor. 15. *Adam omnes moriuntur*, vt Apostolus dicit, *in quo om-*
Rom. 5. *nes peccauerunt*: erat enim ille caput, & pater totius po-
steritatis, & orbis terrarum: sed de muliere etiam dici-
tur in Ecclesiastico, *à muliere initium peccati, & per il-*
Eccl. 25. *lam omnes morimur* (Non dicit, *à muliere peccatum* quia il-
la non traducit peccatum originis in posteros, neq; in
illa peccauimus, neque in ea morimur, sicut in Adam
primo parente: sed, *initium peccati*: quoniam illa pri-
mo peccauit seducta, & virum incitauit ad peccatum,
persuasit, & traxit, atque adeo per eius suggestionem
morimur omnes): sic profecto & in generatione spi-
rituali, qua generamur, & nascimur per gratiã filij Dei,
in Christo quidem viuificamur, & sanctificamur (*Ita*
1. Cor. 15. *in Christo omnes viuificabuntur*): sed tamen à muliere ini-
tium nostræ salutis, & vitæ: & per illam omnes viuifi-
camur, quamuis non in illa. Ipsa incitat Christum Do-
minum, ipsa prouocat, ipsa obtinet omnibus gratiam
& veritatem generationis spiritualis in omnibus, qui
regenerantur & generãtur in Christo. Omnes ergo istæ
generationes, Christo debẽtur: illi referendæ sunt lau-
des qui tanta pietatis abũdantia, opera hęc operatur in
Psal. 144. nobis. *Generatio, & generatio, laudabit opera tua.* Ille,
vt caput, & causa potissima nostræ salutis, has ge-
nerationes spirituales animarum efficit, quibus peccata
remittit, gratiæ vitam donat, vt æternam salutem
consequantur in ipso: & propterea omnis ge-
neratio eiusmodi, opera hæc Christi laudare non
cessat.

Sed quoniam hæc omnia opera Domini, istæ genera-
tiones, fiunt intercessione, ac precibus Beatissimæ
Matris eius Mariæ, quæ genuit Regem Christum vir-
tute Spiritus Sancti superuenientis in eam, idcirco &

ipsam iure laudant omnes generationes, quibus vita gratiæ & homines viuificantur, & filij Dei efficiuntur. *Beatam me dicent omnes generationes*, ait illa. In omnibus enim animarum iustificationibus, gloriam, & laudem habent, Christus Dominus, & Maria Mater eius. Ille, vt Deus, vt redemptor omnium, vt caput, & pater gratiæ, illa verò vt mater gratiæ, vt plena gratiæ, vt inuentrix illius, vt mediatrix Dei, & hominum. Talis enim laus, talis gloria, atque gratiarum actio decet Christum, qui nostræ salutis autor est: talis etiam decet Beatissimam Virginem Mariam Genitricem eiusdem Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c. Amen. *Luca 1.*

---

## DE EADEM ANNVNTIATIONE Beatissimæ Virginis Mariæ.

### CONCIO II.

*Aue gratia plena: Dominus tecum.*
LVCÆ I.

SAcramentum Dominicæ Incarnationis, vt Bernardus serm. 2. dicit: *Abyssus imperscrutabilis est: puteus altus est, & in quo hauriam, non est mihi. Alta profunditas*, ait Salomon, *quis inueniet eam?* Quid enim altius, quid profundius, quam quod Dei Filius, nouo, & mirabili modo, & præter omnes naturæ leges, homo factus sit in sacratissimo Virginis Mariæ vtero? O altitudo incomprehensibilis, ô profunditas inuestigabilis! Sed quoniam, iuxta Pauli Apostoli doctrinam, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, tentabimus, auxiliante hoc Spiritu veritatis, quamuis crassa, & rudi, vt aiunt Minerua, mysterium absconditum manifestare, & expliquare, assumētes locum sacræ Scripturæ, qui mirabiliter olim illud præfigurauit. Est autem locus ex Genesi, in quo habetur, quod Abraham *iam senex, & plenus dierum*, ac diues valde mittit seruum seniorē do- *Bernard.* *Eccles. 6.* *1. Cor. 2.* *Genes. 24.*

mus suæ, vt accipiat vxorem filio suo: non de illis, inter quos habitat: sed *proficiscere*, ait, *ad terram meam, & cognationem meam*. Perrexit ille in vrbem Nachor. *Stetit que iuxta puteum aquæ, vespere, eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam. Et ecce, Rebecca egrediebatur, habens hydriam in scapula, puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro. Descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam aqua: occurritque ei seruus, & ait, Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit, Bibe, Domine mi: quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Sic intellexit, eam esse, quam præparauit Dominus filio Domini sui, & quæsito consensu puellæ, facta est sponsa eius, iuxta serm. Domini.

*August.* *Bernard.* Multi Sanctorum Patrum iuxta Allegoriam interpretantur locum istum de mysterio Annuntiationis Mariæ Virginis, & Incarnationis Filij Dei, qui in eius vtero desponsauit sibi humanam naturam. August. sermone 75. Bernardus, sermone 6. in Vigilia Natal. Domini, & 2. de paruis. Abram, qui interpretatur, *Pater altissimus*, ipse est Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: de quo ipse Angelus in Euangelio dicit: *Filius Altissimi vocabitur*. Ipse, antiquus, & plenus dierum est, ac sæculorum, qui in sua æternitate omnia tempora excedit, & sæcula: diues valde qui Dominus *Prouer. 3.* vniuersorum est, quæ in cœlo sunt, & in terra: & de quo Salomon ait: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria*. Speciali vero ratione in isto arcano Incarnationis Filij sui mysterio dici potest: *Senex, & multorum dierum*: quia postquam primus homo per peccatum lapsus est, & in eo totum genus humanum corruit, multiplicati sunt dies, & tempora, imo & sæcula, vsque ad tempus præfinitum à Deo, in quo *Galat. 4.* mitteret Filium suum, vt carne sumpta ex vtero Virginis, & humanum genus à peccato liberaret, & in pa- *August.* radisum restitueret. *Vbi venit plenitudo temporis*, ait, Pau. *misit Deus Filium suum, factum ex muliere, vt eos, qui sub lege erant, redimeret*. Ac propterea Augustinus, libro 1. de Genesi contra Manichæos, cap. 23. dicit, Christum in sexta ætate, tanquam in senectute venisse. Atque ad hoc fortasse alludit, quod in Euangelio dicitur,

citur, *In mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo &c.* Ecce seruum, quem mittit Deus, vt sponsam accipiat Filio suo: non de filiabus illius regionis, in qua habitabat, *Sed proficiscere*, ait, *ad terram meam, & ad cognationem meam*. Plena sunt mysterio verba ista. Olim, antiquis temporibus, in cœlo tantum videbatur Deus cum Angelis agere, quasi hominum oblitus, nec terram videre iam dignatus: & *Lux vultus eius non cadebat in terram. Cœlum cœli Domino*, dicebat S. Dauid, *terram autem dedit filiis hominum*. Quasi enim diuisio, ac dissensio erat inter Deum & homines, inter cœlum & terram, vt Deus esset in cœlis, terrarum immemor, hominibus iratus, atque infensus. At, vbi venit præfiniti temporis plenitudo, iam recordatur terræ ex misericordia sua: iam terram aspicit clementiæ oculis: iam suam vocat: terram: & ad eam mittit Angelum suum, vt eam visitet, & cœlestibus bonis eam ditet, ac repleat, *Visitasti terram*, ait Dauid *& inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam*. Deus enim per Angelum Gabrielem visitauit hodie terrã, quã ante nec respicere videbatur. Qua visitatione ex alto, aq; cœlesti inebriauit, & innumeris beneficiis locupletauit & exornauit. *Ad terram meã*, inquit. Noluit cœlum impassibile, noluit Angelos naturę spiritualis, incorporeæ, sine peccato, immortalis, atque supra humanam longe præstantioris: sed terram voluit, & elegit sibi cognationem Abrahæ, dicente Apostolo; *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. Ad domum Dauid: *Ad Virginem desponsatam, &c. de domo Dauid*. Hanc vocat terram suam, electam, benedictam, virgineam, quæ futura sit mater, & sponsa Filij sui, ex qua carnem sumat, & fructus terræ ipsius sit.

Job 29. Psal. 113. Psalm. 64. Hebr. 2.

Vocat autem eam, *terram suam*, Deus, iustissima ratione. Primò, quoniam sicut terra infimum est omnium elementorum; ita Beatissima Virgo, humillima fuit omnium creaturarum, &, sua æstimatione, infima omniũ, & minima. Vnde cùm Angelus eam diceret, gratia plenam, & benedictam inter mulieres, illa turbata est in sermone eius, Quasi diceret Angelo, Ad terram te mittit Deus, quare sic loqueris ad ancillam Domini? *Ecce ancilla Domini*: & quæ sicut sancta illa Ruth di-

Ruth. 2. cebat: *Non sum similis vnius puellarum suarum.* Hanc humilitatem respexit Dominus in Maria, potius quam virginitatem: &, cum posset eam vocare, Angelum, cœlum, paradisum Dei, noluit nisi *terram* appellare, vt summam eius humilitatem, in qua ei potissime placuit, commendaret. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. 1. *Magna humilitatis virtus*, ait Bernardus sermone 43. in Cantic. *cui etiam Deitatis maiestas tam facile se inclinat:* & sermon. 45. ait; *Decor animæ, humilitas est: ideo concupiuit Rex decorem Mariæ, quia humilitatem innocentiæ sociauit.* Bernard. Sine humilitate vero impossibile esset, hominem, aut Angelum, aut etiam ipsam Virginem Mariam placere Deo.

Secundò, vocat eam *terram meam*. Quia, sicut terra est mater fœcundissima omnium frugum, & fructuum, ita hæc beatissima, & humillima terra, mater est omnium gratiarum, virtutum, & donorum: & vt à Salom. Sapient. 7. dicitur, *Omnium bonorum mater est.* Sed quid mirum est hominibus, quod hos mirabiles fructus Maria germinet nobis, quæ de Spiritu sancto meruit germinare, ac producere Filium Dei? *Benedictus fructus ventris tui*, Luca 1. ait S. Elisabeth: & multo ante Esaias prædixerat hanc diem Annuntiationis Mariæ, & Incarnationis Verbi Esai. 4. Dei prænuntians, *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* D. Gregor. Gregor. Hom. 13. in Eze. refert locum ad mysterium Incarnationis Filij Dei per quam factus est nobis fructus terræ: sed sublimis factus est quia non solũ supra homines sed etiã supra Angelos factus est, & supra ipsos etiã regnat in cœlo, *tanto melior Angelis effectus*, ait Paulus, *quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Sed meo videri, Hebr. 1. duas Christi generationes hoc loco insinuauit Propheta. Vnam, qua germen Domini est, & ex substantia Patris ante sæcula genitus, plena omni magnificentia, & gloria, per quam Pater Filio omnem suam substantiam, & omnem gloriam dedit. Alteram, qua germen, & fructus terræ est, & ex substantia Matris in sæculo natus, iuxta quod per Esaiam dicitur, *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Terra enim virginea, Esai. 45. manens incorrupta, signata, & integra, soli Spiritui sancto aperta est, vt in ea, atque ex ea carnem sumeret

Dei Filius, & fieret fructus terræ, germen Dauid: iuxta quod per Hieremiam dicitur, *Germinare Dauid faciam germen iustū.* Quod germen adeò iustum fuit, & fructus terræ, ita sublimis valde: vt ipse sit redemptor, & Saluator mundi, Angelorum Rex, cœli, & terræ Dominus & nobis ex illo fructu terræ sublimi non solum lætitia, & exultatio, sed & omnium bonorum copia, & abundantia proueniat. *Visitasti terram*, ait Dauid de hoc annuntiationis mysterio Agens, *& inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.* Mariæ terram Dominus visitauit, quando missus est ad eā Angelus, Spiritus sanctus superuenit, & virtus Altissimi obumbrauit: tunc enim & illam mirabiliter, & nos misericorditer visitauit, ex alto diuinitatis suæ Nec solum visitauit, sed *inebriauit hanc terram, & infudit eam*: quam impleuit gratia, & Spiritu sancto, vt germinare eam faceret Filium Dei secundum carnem: quo germine sic eam locupletauit, vt non sit in cœlo, aut in terra, creatura aliqua, sic in cōspectu Dei, & Angelorum, & hominum, diues ac locuples, & quæ vniuersum mundum locupletauerit fructu ventris sui. Hinc *flumen Dei*, quod est sancta Ecclesia, *repletum est aquis*, Hinc *valles abundant frumento.* Parauit enim Maria *cibum illorum*, aut certe Dominus per eam. Sancta Rebecca, & aqua, & pane recreauit seruum Abrahæ: sed Maria multo abundantius, ac perfectius, nobis contulit aquas cœlestium gratiarū, atque donorum: & panem viuum de cœlo ipsa terra benedicta protulit hominem factum, dicente Dauid, *Vt educas panem de terra*: quo nutriamur, quo satiemur, in quo crescamus, & per quem ad inuisibilem cibum cum Angelis edendum perueniamus. Ecce, quam copiose, quam mirabiliter, terra nostra beatissima dedit fructum suum.

*Hieren. 33.* *Psalm. 64.* *Esai. 65.* *Psal. 103.*

*Vade ad terram meam, & ad cognationem meam.* In Euangelio dicitur, *In ciuitatem Galilaa, cui nomen Nazareth* Et sacra Historia dicit, quod nuntius Abrahæ *venit in ciuitatem Nachor. Nachor*, vt aliqui aiunt, interpretatur, *Raucus*, vel, *Aridus*: siue, vt Hieronym. in nominibus Hebraicis dicit, *Obsecratio nouissima* Et congrue significat populum Domini, qui tam anxie ex- *Hieronym.*

pectabat aduentum huius Angeli, & Domini eius in terram, vt saluaret eum. Raucus enim erat, clamans continuis vocibus ad Deum, & magnis, vt mitteret de cœlo Filium suum, aquam viuam, & salutarem: totius enim populi vice, ac voce, dicebat Sanct. Dauid; *Laboraui clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ, dum spero in Deum meum*. Neque solum raucus erat, clamoribus, & obsecrationibus assiduis vacans: sed & aridus in terra inaquosa, aut in lacu, in quo non erat aqua, in sicca, ac veteri cisterna, dicente similiter Sanct. Dauid; *Expandi manus meas ad te anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.* In tanta erant siccitate, expectantes aquam viuam de cœlo, in tam ardenti siti eius, clamantes ad fontem vitæ, qui erat apud Deum, vt iam penè deficeret spiritus totius populi, & lingua eorum siti aresceret. In hac terra sine aqua, & sitienti, erat B. Virgo Maria, clamans & ipsa in obsecratione sua ad Dominum, & sitiens aquam vitæ, aduentum Domini, salutem totius populi. Terram enim sitientem vocat eam Deus per Esaiam, cum de ortu Filij sui secundum carnem dicit; *Sicut radix de terra sitienti*. Non solum terra sitiens, quoniam inuia fuit, & intactata, atque virginea terra, de qua germinauit mirabilis ista radix Dauid: sed etiã, quoniam ardentissime sitiebat & ipsa cum patribus suis, aduentum Domini, & salutem humani generis. Sed non defecit spiritus eius, neque anima eius sine aqua cœlesti erat: quin potius ad fontem venerat, & hydriam suam impleuerat, vt inueniret eam Angelus Dei, nuntius summi Patris, aqua cœlestis sapientiæ, & gratiæ plenam Sic enim eam inuenit, ac salutauit, *Aue, gratia plena*, Spiritu sancto plena, Deo plena.

Psalm. 68. Psalm. 142. Esai. 53.

Sed nonnulla sunt animaduertenda in hac sacra historia, quam Allegorice explicare cœpimus. Primò, quod nuntius magni Abrahæ venit ad puteum, siue fontem, iam aduesperascente die. *Vespere, eo tempore, quo solent egredi mulieres ad hauriendam aquam*. Vt videamus, quam recte omnia consonant. Angelus enim missus à Deo ad Mariam Virginem, vespere etiam venisse credendus est, vt ex vsu Ecclesiæ colligi facile potest: apud quam vespere fit memoria huius sacri

mysterij, & omnes beatissimam Mariam Virginem angelico *Aue* salutant fideles, orantes etiam, & gratias Deo referentes pro tam ineffabili beneficio illis exhibito. Nec leuis, ista coniectura, iudicanda est, vt quidam existimant; quãuis certa, & indubitata non sit. Sicut enim ad vesperam, & post meridiem, diabolus Euam visitauit, vt tentaret, atq; deciperet: vnde & Dominus venit ad eam arguendam, vt Scriptura sacra docet, *post meridiem*: ita etiã Angelus Domini ad Mariam visitandam de cœlo venit vespere, declinante iam sole, vt eodem ordine, & modo veniret antidotum, quo intrauerat venenum, & peccatum, in mundum. Vnde & Cyrillus libro 12. de Adoratione in spiritu, &c. nos docet, quod in Scriptura sacra, vespera, typus est aduentus Christi, & Incarnationis Verbi. Quod vero subdit; *Quando solent mulieres, &c.* hoc planè significat, quod illa hora incipere solent animæ sanctæ, ac religiosæ, in quiete, ac silentio, sese ad lectionem, orationem, & contemplationem diuinorum conferre, & in abscondito conuersari cum Deo, ad eum, vt ad fontem aquæ viuæ & sitire, & properare, vt aquas de fonte Saluatoris in gaudio spirituali hauriant sapientiæ, & gratiæ, & omnium bonorum spiritualium, quibus reficiantur, & satientur. Aquas etiam lacrymarum copiosas in illa vespertina oratione haurire non cessant, dum peccata multorum lugent, dum mundi mala considerant: dum gaudia cœlestis patriæ sitientes, interim lacrymarum potum in mensura accipiunt. *Ad vesperum demorabitur fletus*, ait Sanct. Dauid. Animaduertit vero Diuus Gregorius, super 1. Regum libro 4. cap. 4. in illa verba ex cap. 9. *Inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam: puellas esse animas electorum, per innocẽtiam integras, per virtutum claritatem decoras: quæ, quia in secretiori vita pulchritudinem suam conseruant, videri nequeunt, nisi cùm ad hauriendam aquam egrediuntur. Sed tunc aquam hauriunt, quando ex profundo dolore præsentis exilij fluenta lacrymarum fundunt.* Bona puella, Sãcta Iudith, & decora nimis, simulque castissima, & sanctioris vitæ amantissima quæ ad salutem populi obtinẽdam à Domino, fortiter egressa domus suæ cubiculum, & in

*Genes. 3.*

*Cyrill.*

*Psalm. 129.*

*Gregor. 1. Reg. 9.*

ter inimicorum castra posita, *Exibat noctibus in vallem* Iudith. 12. *Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ*, orans cum lacrymis Dominum pro salute populi. Bona puella Sancta Rebecca, *quæ descenderat ad fontem, & impleuerat hydriam suam.* Sed longe melior Maria sacratissima, quę illa hora vespertina descenderat per altissimam orationem, ac meditationem, ad fontem diuinę sapientiæ, altissimum puteum mysteriorum, fide plena: ac deuotione mirabili, lacrymis etiam virgineis plena, orans pro salute totius humani generis, & aduentu Filij Dei fontis vitæ, qui erat apud Patrem, & non dum apparebat nobis, Sic enim eam inuenit Angelus, gratia plenam: lacrymis tota facie plenam: & ideo facies eius plena erat gratiarum.

Rebecca *puella* erat *decora nimis, virgo pulcherrima, & incognita viro.* Sed nihil ad nostram Mariam, quæ multò pulchrior erat in oculis Domini, & Angelorum, specie sua, & pulchritudine sua: de qua potissime dictum *Psalm.* 44. est, *Concupiuit Rex decorem tuum.* Illa erat incognita viro: sed singulari miraculo, & nouo, ista desponsata erat viro, & simul habens virginitatis votum cum viro suo dicit ad Angelum, *Quoniam virum non cognosco.* Quæ verba, iuxta Sanctorum Patrum intelligentiam, inuiolabile seruandæ virginitatis propositum, promissionemque firmam, satis indicant, vt virginitas Mariæ omni ex parte esset perfectissima. Nã, vt Diuus Tho- *D. Thom.* mas nos docet 22. quæst. 152. art. 3. ad 4. virginitas, vt sit vera virtus, & statũ perfectionis habeat, debet esse voto firmata perpetuæ castitatis: sic enim *virgo erit sancta corpore, & spiritu*, vt Paulus ait. Multæ enim virgi- *1. Cor.* 7. nes sunt carne, quæ non sunt spiritu: quia tot viros mẽte retinent, quot desideria habent, & cogitationes nuptiarum, & maritorum. *Mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt.* Innupta quidem est, quæ carne virgo *1. Cor.* 7. est, quia non est tradita viro: sed virgo prudens, & sancta spiritu non est, quæ nuptiarum propositum habet, & mente, ac spiritu, votũ virginitatis non concipit. Illa vero, innupta, & virgo est, illa corpore sancta, ac spiritu quę cum integritate carnis votum firmum habet perpetuę castitatis, & cum Maria dicere potest, *Quoniam virum non cognosco.*

Rebecca ſeruo Abrahæ, petenti aquam de hydria eius ad bibendum, reſpondit, *Bibe, Domine mi: quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant* Similiter, ac multò perfectius, beatiſſima Virgo Maria, omnibus in cœlo, & in terra, aquam ſalutarem de hydria ſua dedit, vt biberent, & ſitim extinguerent. Angelus ſitiebat conſenſum eius, vt fieret in ea Verbum caro, Deus homo: qua conſentiente, & dicente, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſtatim diſceſſit Angelus ab ea, aqua illa ſuauiſſima refectus, exhilaratus, & ſatiatus. Filius Dei ſitiebat carnem ſumere ex caſtiſſimis eius viſceribus vt homo factus noſtram ſalutem operaretur, quam auidiſſimè ſitiebat, & extinguere in cruce moriendo ſummoperè deſiderabat. Iuſti, qui in Limbo, & ſinu Abrahæ detinebantur, ſitientes aquam iſtam, in *lacu* illo *in quo non erat aqua*, eam ex hydria Virginis, quam Spiritus ſanctus gratia impleuerat, vocibus, & clamoribus poſtulabant. Peccatores, velut cameli, & iumenta inſipientia, ab hoc miſericordiæ fonte, ab hac Virginis hydria plena, aquam ſalutarem veniæ delictorum ſuorum habere debent, vt bibant, & non ſiti æterna pereant: ita vt cum Dauid dicere poſſimus: *Bibent omnes peccatores terræ.* Zachar. 9.

O verè gratia plena, beatiſſima Virgo, & aqua ſapientiæ, & vitæ æternæ, vt de eius plenitudine omnes accipiant, bibant ex illa omnes, in cœlo ſimul, & in terra: & ſicut Bernardus dicit, ſermone de verbis Apocalypſis. *De plenitudine eius omnes accipiant: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, Perſona Filij carnis ſubſtantiam.* Omnibus dat aquam cœleſtem bibere Virgo, charitate, & miſericordia, plena: fons, cuius non deficient aquæ vt bibant omnes, irrigentur, & ſatientur. Propterea à Spiritu ſancto in Canticis vocatur *Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Anima, virtutum floribus ornata, hortus eſt*, ait Ambroſius libro de Bono mortis, cap. 5. *vel in ſe paradiſum habet germinantem.* In eo ſunt varij, ac diuerſi fructus, quibus Deus paſcitur & delectatur: fructus obedientiæ, humilitatis, charitatis, honoris, & honeſtatis. Vocatur au- Bernardus. Cant. 4. Ambroſ.

tē hortus, ait Isidorus li. 17. Ethymol. c. 10. quia in eo
Isidor. sēper aliquid germinatur, & nascitur. Aut enim flores sūt
odoriferi, aut fructus ad vescendū suaues. Sic in anima,
quę Deo semper placere studet, & diligētius seipsam excolere
nō cessat, semper aut flores, aut fructus Deo gratissimi
reperiuntur: vt quotiescunq; Dilectus descenderit
in eam, velut in hortum suum, inueniat flores, quos
carpat: fructus, quos comedat, & quibus delectetur. Isti
horti plantationum spiritualium, vt flores emittant, ac
fructus afferant Deo gratos, ad Mariæ fontem confugiant,
in quem de cœlo aquarum copia descendit, vt illius
Eccl. 24. aqua irrigentur, & inebrientur, germinentque, &
floreant, & fructus faciant. *Dixi: Rigabo hortū meū plantationum*,
dixit beatissima Virgo; & semper adimplebit,
sicut dixit. Nec tantum fons hortorum est: sed etiā
puteus aquarum viuentium. Quoniam in Maria velut
in cœlesti quodam puteo reposuit Deus aquam viuam
suam, ac cœlestem, vt omnes hauriant, & bibant, & sitim
aquarum huius sæculi penitus extinguant. Fateor *puteus
altus est*: sed in quo hauriamus habemus, imo vero
ipsa plenam hydriam suam ad manum habet, paratam
Esai. 55. omnibus, vt bibere possint. *Omnes sitientes, venite ad aquas*
Veniant Angeli, veniant iusti, veniant peccatores,
veniat mulier Samaritana, hauriant aquam de fonte
aquæ viuæ, de puteo aquarum viuentium, & bibant &
satientur, & torrente voluptatis huius potati, ad fontem
vitæ æternæ festinent peruenire, qui est Christus
Dominus, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, &c.
Amen.

# DE IEIVNIO, ET TENTATIONE CHRISTI Domini.

## CONCIO I.

*Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.*

MATTH. 4.

BEne profectò, & conuenienter satis, post insigne opus humilitatis Christi, quaita se humiliare voluit, vt baptismum Ioannis susciperet, & omnem iustitiam impleret, subsequutum est alterum opus iustitiæ egregium, ieiunii eiusdem Christi, & tentationis in deserto. Nam (vt D. Clemens docet, lib. 7. de constitutionibus Apostolicis, cap. 23.) propterea Christus post baptismum in desertum ductus ieiunauit quadraginta diebus, cùm sibi ieiunio opus non esset, vt Ioanni veritatem comprobaret, & nobis regulam præscriberet. Erat enim baptismus Ioannis inducens homines ad pœnitentiam, quem volens Christus comprobare, atque honnorare, assumpsit hoc solemne ieiunium in deserto, tanquam opus pœnitentiæ, & iustitiæ, propter nostram satisfactionem, atque doctrinam & exẽplũ. Et fortasse hoc insinuatũ est ab Esaia Propheta, cũ dicit, *Et habitabit in solitudine iudiciũ: & iustitia in Carmel*

*Clemens.*

*Esai. 32.*

*sedebit. Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentiũ.* His enim quadraginta diebus Christus Domin⁹, qui singulari quodam modo iudicium, & iustitia Dei, nuncupatur, habitauit in solitudine deserti, ieiuniis, & orationibus, atque aliis iustitiæ & pœnitentiæ operibus occupatus pro nobis, & à turbis semotus, in summa pace, & quieto silentio vitam sanctissime transegit, vt ex ipso contextu S. Euangelij melius, ac manifestius nobis constabit.

Ait ergo sanctus Euangelista, *Ductus est Jesus in desertum à Spiritu.* Non dubitamus, quod Spiritus sanctus duxerit Christum in desertum, sicut vniuersi sancti affirmant, si quidem in omnibus, quæ Filius Dei

*Rom. 8.* operabatur, agebatur spiritu Dei, quo & alij, qui per adoptionem sunt filij, aguntur, vt Paulus inquit. Quicunque enim viri sancti sunt, ac filij Dei, iam propriũ spiritum non habent, à quo moueantur, sed à solo Spiritu sancto mouentur, ea ratione, qua filij Dei sunt Spiritu ambulant, spiritu ducuntur, & spiritu viuunt. Quanto ergo potius Christus Dominus ducendus erat à Spiritu sancto in desertum, qui non adoptione, sed natura verus Filius Dei est? A suo ergo Spiritu ductus est in terram illam desertam, quæ ieiunio & orationi, ac silentio, & diuinæ contemplationi aptissima erat. Non enim sine maximo consilio Spiritus sanctus duxit Christum in solitudinem, quemadmodum stulti quidam filii Prophetarũ dixerunt ad Elisæũ de Elia quẽ spiritus Domini rapuit, ac leuauit in cœlum, *Ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum mon-*

*4. Reg 2.* *tium, aut in vnam vallium.* Et propterea Christus Dominus non dicitur proiectus à Spiritu sancto, sed ductus in desertum: vbi, solius Dei iudicio, ieiunia, & cætera virtutum opera, exerceret, qui posteà docturus erat in Euangelio ieiunantes, & orantes, vt se-

*Matth. 4.* cretum locum eligerent, & absconditum, & in quo solum Deum haberent inspectorem, & adiutorem, vt S. Cyprianus dicit, serm. de ieiunio, & tentatione

*Cyprian.* Christi.

Est autem valde obseruandum, quod S. Euangelista dicit, *Ductus est in desertum a Spiritu, vt tentaretur à dia-*

*Gregorius.* *bolo*, vt sciamus quòd (quemadmodum D. Gregorius

docet, lib. 8. epistolarum, epist. 45.) *Antiquus hostis terrarum locis à tentatione non excluditur: quia si in paradiso hominem strauit, quis locus extra paradisum esse potest, in quo mentes hominum penetrare non valeat? Periculis in ciuitate, periculis in solitudine*, ait Paulus: & vt iterum D. Gregor. docet, lib. 23. Moral. capit. 15. *In hac vita adhuc homo positus in cuiuslibet ordinis loco, in cuiuslibet secreti secessu, viuere sine tentationibus nullatenus potest, &c.* Quod adeo verum est, vt S. Iob totam ipsam vitam hominis super terram vocare *Tentationem* non dubitauerit, siue, vt D. Ambros. legit, sermone 44. *Piratarum*, quia in hac vita, tanquam in loco piratarum sumus, quandiu in hac carne positi prædonum spiritualium tentationibus subiacemus, &c. Idcirco Salomon in Ecclesiastico admonet hominem, *Quoniam in medio laqueorum ingredieris, &c.* Et, vt recte notauit Chrysost. hom. 15. ad populum, non dixit, *Iuxta laqueos*, sed, *In medio laqueorum*, quia nullus locus est, nulla actio, nullus homo, in quibus non possint esse absconditi inimicorum laquei. Etiam in ipsis virtutum actionibus, insidiæ, & laquei hostis antiqui latitare solent, sicut diffuse, & optime prosequitur S. Leo, sermone 11. de Quadragesima. Ad hos sanctos Patres Lectorem remittimus, breuitati studentes.

*2. Cor. 11.*
*Gregor.*
*Iob. 7. secundum Septuaginta. Amb.*
*Eccle. 9.*
*Chrysost.*
*S. Leo.*

*Ductus est*, inquit, *à Spiritu, vt tentaretur*: quemadmodum recte notauit Chrysostomus, homilia. 13. in Matth. *Propterea non eum vltro ysse in eremum, sed à Spiritu sancto ductum esse Iesum commemorat, iuxta dispositionis profectæ rationem, vt nos videlicet apertissime signatum esse videamus, quia non sponte nos ipsos in tentationes oporteat insilire, sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare.* In quo loco, & homilia. 5. super Epistolam ad Hebræos, sic intelligit illud Matthæi, *Orate, ne intretis in tentationem*, & dicit. *Non prouoces tentationes, quando, tibi ea, quæ ad pietatem pertinent; pro voto procedunt: vt quid superflua tibi accerses pericula? Tu quidem esto preparatus, sicut miles fortis in armis perpetuo, sobrius, vigilans, semper hostem expectans. Bella sane non excites, hoc quippe militis non est, sed seditiosi. Si vero tuba pietatis vocauerit, confestim procede, & contemne animam, & ingredere cum multa alacritate in agonem, &c.* Hinc est quod

*Chrysost.*
*Matth. 26.*
*Idem Chrysost.*

in oratione Dominica quotidiè à Domino postulamus.
*Matth. 6.* *Ne nos inducas in tentationem*: hoc est, Non permittas, aut patiaris, nos intrare in tentationem. Super quæ
*Cyprian.* verba Diuus Cyprianus dicit, quod *Admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat: ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut passionis, aut confessionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens, dixerit: Orate, ne veniatis in tentationem, &c.* Denique in Epistola 77. ad Nemesianum & cæteros martyres, præcipit, ne quis vltro se gentibus offerat, sed apprehensus, & traditus, loquatur, quia Dominus nos confiteri magis voluit, quam profiteri. Vocat autem *profiteri*, quando quis non requisitus, aut vocatus, sed vltro sua sponte se offert Tyranno ad profitendam fidem. Quod si ad profitendam fidem temere se quisquam Tyranno offerret, non requisitus, quanto magis temerarium & superbum esset, si quis se ipsum in tentationem induceret? Expectanda ergo viriliter tentatio est, non temere prouocanda.

Aut *ductus est à Spiritu, vt tentaretur*, sicut notauit
*Hilarius.* D. Hilarius, Canone. 3. in Matth. *Vt significaretur libertas Spiritus sancti, hominem suum diabolo offerentis, & permittentis tentandi, & assumendi occasionem, quam non nisi datam tentator habuisset.* Nihil enim contra Christum, aut aduersus eius sanctos diabolus potest, nisi quantum illi permittitur à Spiritu sancto: quemad-
*Gregor.* modum D. Gregor. ostendit, libro 32. Moral. capite
*Iob. 40.* 19. explicans locum Iob: *Qui fecit eum, applicauit gladium illius.* Ductus autem dicitur in desertum, ad manifestandam virtutem humanitatis Christi aduersus diabolum, cui se tentandum præbuit in loco solitudinis, & hominibus inuio, vt solus ipse absque alicuius auxilio cum tentatore decertaret. Non enim alterius auxilio indigere potuit, aut voluit, in opere nostræ redemptionis, qui erat hominum auxiliator, & omnem
*Hebr. 2.* habens in se ipso virtutem, & qui, sicut Paulus inquit, *In eo, in quo ipse tentatus est, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Solent viri nobiles, aut strenui milites, si quando ad singulare certamen se prouocant, eligere locum desertum, & ab hominum frequentia remotum;

ne quis eorum alterius auxilio, & defensione, in illo certamine vsus fuisse iudicetur, sed proprijs cuiusque viribus totum duelli negotium peragatur. Non aliter Christus, nostri causa se habere voluit in hoc tentationis singulari certamine, in quo à Sathana lacessitus, & tentatus est. Solus enim cum solo certamẽ agere voluit atque in deserto loco, vbi nullius adiutorio vti poterat vt ostenderet, quanta esset virtus infirmitatis eius aduersus potentiam diadoli: quem non potestate diuinitatis, sed patientia, & iustitia assumptę carnis superauit Propterà per os Dauid Christus dixit? *Factus sum sicut homo sine adiutorio:* & per Esaiam apertius? *Circonspexi, & non erat auxiliator? quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum.* Christus enim neque in tentatione, neque in passione opus habuit adiutore, cuius infirmitas potentior erat omni virtute Sathanæ, quam si malignus spiritus cognouisset, nunquam Dominum gloriæ tentare ausus esset: *sed malitia nocendi auidus,* (vt S. Leo dicit, sermone 9. de Passione) *dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum persequitur mortalem, incidit in saluatorem.*

Ps. 87.
Esai. 63.
Leo.

*Ductus* igitur, *est in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Plures causas colligere possumus ex lectione sanctorum Patrum, propter quas conueniens fuit, Christum in deserto tentari, ex quibus nonnullas colligit Diuus Thomas 3. par. quæst. 41. art. 1. Ex quibus vna est D. Gregorij, homil. 10. Euangeliorum: vt suis tentationibus omnes nostras tentationes vinceret, quemadmodum mortem nostram sua morte superauit. Tentatus enim Christus omnes Sathanæ vires fregit, & nobis contra illius tentationes maiores vires & auxilia præstitit. Prius enim quam Christus tentaretur, difficile erat nobis cum hoste congredi, sed post eius tentationem, & victoriam, sanctis non solum facile est, sed etiam multis suaue. Postea quam fortissimus Samson leonem prostrauit, & occidit, fauum mellis reperit in ore illius, qui omnibus antea formidabilis erat. Sic & Sathanas, qui tanquam leo rugiens insidiatur, vt homines rapiat, ac deuoret, antequam nostrum Samsonem in via deserti aggrederetur, ac tentaret, omnibus hominibus terrori & formidini erat, ita vt Di-

D. Thom.
Gregor.
Judicum 14.

uid diceret Domino: *Salua me ex ore leonis.* Sed post-
quam tentatus Dominus apprehendit leonem hunc, &
Psal. 21. dilacerauit, sicuti dicit Scriptura, *Nihil omnino habens in*
Iudicum. 14. *manu* (non enim gladio, aut hasta, sed manu virtutis suæ
eũ deiecit & vires eius cõfregit) iã viris sanctis non for-
midini est sed contẽptui: quia sciunt, quã infirmus sit vi-
ribus, & quã facile ab eis vinci possit, atque fugari, qui
eius conatibus viriliter resistunt. Vnde S. Iacobus dicit,
Iacobi. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Et de B. Antonio re-
fert D. Athanas. in vita illius, quod dæmones constan-
Athanas. ter spernebat, & conuicijs ac maledictis eos proseque-
batur, exprobrans illis imbecilitatem in eos, quos di-
uina gratia non destituisset. Lib. 1. Regum legimus,
quod cum venisset arca fœderis Domini in castra Is-
1. Reg 4. raël, timuerunt Philistæi, & ingemuerunt, dicentes.
*Væ nobis. Non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius ter-
tius.* Sic etiam antequam Christus (qui vera diuinitatis
arca est) veniret in campum, & castra deserti, vt præ-
liaretur cum diabolo, dæmones terribiles erant, etiam,
hominibus iustis: sed postquam venit Christus, & ten-
tatus est à Sathana, vicitque illum, & vires eius confre-
git, cœperunt dœmones ingemiscere, atque timere vi-
ros sanctos: quibus iam lætum est, atque suaue, cum
ipsis certamen inire, & Dei gratia eos superando glo-
riose triumphare, sicut & Paulus dicebat, gratias a-
1. Cor. 15. gens? *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per
Dominum nostrum Iesum Christum.*

*Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadragin-
ta noctibus, postea esuriit* Bene profecto à Spiritu S.
ductus dicitur in desertum Christus qui venit, vt
ieiunaret, & suo ieiunio diabolum vinceret, eius-
que tentationes debilitaret, nobisque ieiunandi
exemplum præberet, ac virtutem ieiunij cõmenda-
ret. Vnde recte S. Leo, sermone 2. de Penthecoste,
docet, quod *Hoc inter maxima Spiritus sancti dona
numerandum est, quod nobis aduersus illecebras carnis, &
insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia, quibus
omnes tentationes, Deo adiuuante, vincamus* Et deinde,
sermone 1. de ieiunio Penthecostes, ait? *Non ambigi-
mus, inter cætera cælestis sacramenta doctrinæ hanc spiri-
tualis continentiæ disciplinam de Paracleti magisterio pri-*

*mitus fuisse conceptam, vt sanctificata ieiunio mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores.* Quia ergo sanctum, & solemne ieiunium authore Spiritu sancto institutum est, merito Christus Dominus, qui à Spiritu sancto agebatur in desertum, ad ieiunandum illud singulare ieiunium duci conuenientissimum fuit. Quare autem quadraginta dierum ieiuniũ obseruauerit Christus rationem adhibet Rupertus, lib. 3. sup. Matthæum, & lib. 1. super Deuter cap. 34. quod in lege decretum erat à Deo, vt constat in Deuteronomio, vt quando quis plagis cædendus esset pro aliquo peccato, non excederent numerum quadraginta plagarum. Idcirco Moyses ieiunauit quadraginta diebus pro peccato Filiorum Israël de adoratione vituli, & exauditus est à Domino, sicut ipse Moyses narrat in eodẽ Deuteronomio, cum orasset, atque ieiunasset illis diebus. Ita etiã Christus Dominus huic legi subiacere voluit. Et quia pro gula, & peccato primi hominis plagas ieiuniorum sustinebat, idcirco quadraginta dierum ieiunium assumpsit, panem non comedens, & aquam non bibens. *Rupertus.* *Deuter. 25.* *Deut. 9.*

Aut certe illud ieiunium, & esuriem, quæ postea subsequuta est, assumpsit, vt occultaret dæmoni diuinitatem suam, & summam animæ gloriam, atque virtutem, vt illo ieiunio, & esurie deceptus purum hominem, & quasi vnum de cæteris, Christum existimaret, atque inde occasionem sumeret tentandi ipsum, quem tentare non fuisset ausus, sicut D. Hilarius dicit, Cano. 3. Itaque sicut Dauid dicebat: *Operui in ieiunio animam meam: et factum est in opprobrium mihi*: quia per ieiunium operiebat, & occultabat dona animæ suæ, & propterea despiciebatur ab alijs, quasi homo peccator, & opprobrio dignus: ita etiam Christus hoc ieiunio & esurie operuit diuinitatem, & animam suam, & hoc opprobrium sustinuit vt purus homo sicut & cæteri reputaretur, & quasi minus potens ad resistendum, & vincendum, à diabolo tentaretur. *Hilar. in Psal. 68.*

Vnde sequitur, *Et accedens tentator, dixit ei.* Diabolũ ipsum ab officio nuncupauit *Tentatorem*: hanc enim artem & officium exercet. Vnde & Paulus eodem nomine eum vocat ad Thessalonicenses scribens: *Ne forte (inquit) tentauerit vos, is, qui tentat.* Quamuis enim in *1. Thes. 3.*

ordine ad bonum nostrum Deus nos aliquando tentet vt ex sacra Scriptura constat, tentare nos, vt decipiat & perdat, proprium munus, & officium diaboli est: & vt Rupertus dicit, libro 12. de Victoria Verbi cap. 4. ille est qui semper hac intentione tentat, vt corrumpat & similem sibi, atque conformem faciat hominem, quẽ tentat.

Rupertus.

*Esurijt: & accedens tentator, &c.* Obserua, quod vbi Christum esurientem vidit, tunc accessit ad tentandum de vitio gulæ. *Solet diabolus* (vt Cyrillus ait, lib. 9. super Ioannem, cap. 16.) *corda piorum prauis tentare cogitationibus, & voluptatum ardore, ad delinquendum detrudere: sed illac magis impellit, quo per se ipsos inclinari perspicit: ita infirmitatem nostram ad arma sua nequitiæ conuertit, & ingenij nostri morbo aduersus nos vtitur. Voluptate carnis alius laborat, per hanc aggreditur: alius auaritia superatur, hunc habendi cupiditate magis accendit. Ita nostris affectibus quasi armis vsus nos expugnat, & sicut optimus dux exercitus turres & vineas ibi peragit, vnde capi obsessa vrbs facilius potest, eodem Sathanas modo per imbecilliorem animi partem nos euertit.* Hæc Cyrillus. Propterea & S. Iob dicit, *Diuiditur æstus super terram.* De æstu tentationum sermo est: & has dicit, super terram diuidi, quia, vt D. Gregorius docet, lib. 29. Moral. cap. 12. *Non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis & iuxta positis vitijs fatigantur. Prius enim conspersionem vniuscuiusque antiquus aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo occultus aduersarius facile capiat, vicinas conspersionis deceptiones parat. Quia etenim voluptas lætitiæ iuxta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit. Quia timidi supplicia formidant pauentibus terrorem intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus insidiatur. Neque enim facile captiuaret, si aut luxuriosis præmia aut auaris scorta proponeret, si aut voraces de abstinentiæ gloria, aut abstinentes de gulæ imbecillitate pulsaret, si mites per studium certaminis, aut iracundos capere per fauorem formidinis quæreret. Quia ergo in tentationis ardore callide singulis*

Cyrillus.

Iob. 38.

Gregor.

*singulis insidians, vicinos moribus laqueos abscondit, recte dicitur: Per quam viam diuiditur æstus super terram?* Hæc Greg. Certe diabolus non eadem via omnibus insidiatur, & laqueos tentationum ponit, sed vnicuique in via illa, per quam ambulare solitus est: quemadmodum & piratæ in mari, aut latrones, siue grassatores in terra, non vna via omnibus insidiantur, sed singulis iuxta iter, per quod solent incedere. Similiter dæmones facere solent, iuxta id quod S. Dauid dicit. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Vnicuique ergo iuxta viam, per quam ambulare propensus est, absconduntur tentationum laquei. Quia ergo dæmon cognouit, Christum post longum ieiunium esurire, & indigere pane: idcirco tentauit eum de gula, dicens. *Psal. 141.*

*Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti, panes fiant.* Diabolus, spiritus inconuertibilis, cuius cor impœnitens est voluptatumque amator, magis quam Dei his tentationibus, quibus Christum tentare conatus est, & omnes homines tentat, satis aperte nobis ostendit, quantum illi displiceat vera hominum pœnitentia, & austeritas vitæ, quantumque conetur eam dissuadere hominibus ac persuadere illis voluptuosam vitam, & huius mundi illecebris, rebusque caducis occupatam. Nam in hac prima tentatione cupiebat, & postulabat à Christo, vt asperitatem lapidis in pannis dulcedinem conuerteret: quasi callide eum inducens, vt ieiunij & pœnitentię rigorem remitteret, & delicatam, ac delitiosam vitã eligeret. Cuius spiritum iam olim, & his etiam nostris temporibus, sequuti sunt multi hæreticorum, qui seueram vitam, & austeram condemnant, voluptuosam vero, suauemque prædicant, & laudant. Quos profecto & hic Christus verbo, & exemplo damnat, & Apostolus ad Philipp. scribens, tanquam desperatos deflet, inquiens, *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Quis enim magis Sathanas, quam qui inimicus est abstinentiæ, & crucis Christi? Quis magis Sathanas, quam qui Christo Domino non seruit, sed suo ventri, & per dulces sermones seducere nititur corda innocentum? quis magis Sathanas, quam *Philipp. 3.*

qui terrena sapit, & non quæ Christi sunt? Sed profecto & Sathanam, & ministros eius non solum suo ieiunio condemnat, sed etiam sacræ Scripturæ testimonio confutat inquiens: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni*
Ambros. *verbo, quod procedit de ore Dei.* Quia, vt Amb. dicit, ser. 35. *Quisquis verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Neque enim potest panem sæculi cupere, qui pane reficitur Saluatoris, de quo pane dicit* Propheta: *Et panis cor*
Ps. 103. *hominis confirmet. Quo ergo mihi panem, quem offert diabolus, cum habeam panem, quem Christus impartit? Quam bene autem ieiuniorum tempore verbum Dei dixit, eo quod reficit vt ostenderet, ieiunia nostra non debere sæculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri. Negligit enim famē corporis nec ventris curam habere potest, qui alimentum verbi cælestis acquirit. Ipsa est enim refectio, quæ animam impinguat, ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, & insidias à nobis diabolicæ tentationis excludit.* Hactenus. D. Amb.

*Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, &c.* vsque, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum, &c.* In hac etiam secunda tentatiome, Sathanas, qui tanquam fulgur de cœlo cecidit, & vehementer inuidet ijs, qui fide, & charitate, ac cæteris virtutibus stant in Christo, casum illis, & ruinam persuadere conatur, sicut & Christum Dominum de pinnaculo templi deijcere tentando conatus est. Contraria sunt studia Christi, & Sathanæ:
Ps. 145. Christus enim eos, qui ceciderunt, erigit, sicut scriptū
Ps. 144. est; *Dominus erigit elisos*: Et iterum, *alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Sathanas vero eos, qui stant, atque erecti sunt, deijcere conatur, sicut de ipso
Daniel. 8. apud Daniel dicitur, *Deiecit de fortitudine, & de stellis,*
Apoc. 12. *& conculcauit eas.* Non solum quia cadens de cœlo *traxit secum tertiam partem stellarum* sicut in Apocalypsi dicitur, hoc est, multitudinem Angelorum, quos ad pec-
D. Thomas. candum ipse induxit prauo suo exemplo, vt Diuus Th. docuit. 1. p. q. 63. art. 8. sed etiam, quia viros iustos, qui quasi stellæ sunt in firmamento Ecclesiæ, à statu iustitiæ & virtutis in statum peccati & mortis deijcere conatur. Vnde D. Amb. ser. 26. sic dicit, *Semper reli-*
Ambros. *giosos de superioribus deijcere ad inferiora conatur, & de sanctis, ac venerandis actibus deducere ad terrena & cœnosa festinat, vt qui stat puritate mentis in summitate templi, pro-*

*iciat se in profundum inferum contagione peccati.* Sed hanc diabolicæ fraudis astutiam Christus testimonio sacræ Scripturæ mirabiliter confutauit, inquiens, *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.* Deum enim tentabat Sathanas, quando Christum tentabat, quem existimauit tanquam purum hominem ad inferioria depellendum, & non cognouit, tanquam Deum & hominem esse adorandum. Deum etiam tentat diabolus, quando viros iustos & sanctos deijcere conatur à statu sanctitatis in statum culpæ, & perditionis. Si enim illi tentabant Dominum, qui vt dicitur in Actibus Apostolorum, conabantur imponere graue iugum antiquę legis super ceruices discipulorum: quanto magis tentabit illum, qui sanctos eius conatur, de cœlo deijcere in terram, & à statu iustitiæ in miserum statum iniquitatis? Quod certe impijssimum est. *Actor. 15.*

*Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* In hac postrema tentatione similiter casum persuadere nititur fraudulenter vsus astutia Sathanas. Ait enim Euangelium, ostendisse illi *omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Non enim ostendit ei labores, tribulationes, calamitates, & mala, atque pericula, quæ in mundo sunt plura: sed tantum ostendit ei gloriam eius. Hanc enim prauam consuetudinem habet Sathanas, cum ad peccata homines incitat, & tentat, vt ostendat eis, quod in peccato voluptuosum est, & suaue, aut honorificum, abscondat autem quod malum est, & mortiferũ animæ. quare de eo dicitur in Ps. *Sub lingua eius labor & dolor.* Et Iob c. 20. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua. Qui enim non aperte mala, quæ cogitat, ostendit*, ait Gregor. lib. 15. Moral. c. 5. *laborem ac dolorem eorum, quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit.* Hinc etiam est, quod quando serpens Euam tentare conatus est, sicut Scriptura Genesis narrat, *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendũ, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Constat autẽ ex eadem Scriptura, quod lignum illud erat arbor scientiæ, boni, & mali. Hæc ergo fuit serpentis astutia, qua mulierem decepit: vt *Psal. 9. Iob. 20. Gregor. Genes.*

ostenderet oculis eius arboris pulchritudinem, & fructus suauitatem, absconderet vero malum inobedientiæ, & perditionem mortis æternæ, quam per peccatū incurrit. Atq; eodem modo cum omnes homines tentat, vt per peccatum deijciat ( sicut egregie prosequitur Gregor Nyssenus, lib. de hominis opificio, cap. *Nyssenus.* 20.) semper malum abscondit sub specie, atque colore boni,& perniciem, ac mortem,sub fuco voluptatis, vel alterius commodi occultat:perindeac si quis venenum melle conditum offerat, quod sensui propter dulcedinem gratum sit: mortem autem propter reconditam nocendi vim afferat. Hac igitur fraude vsus dæmon in hac tentatione Christi, regna mundi, & eorum gloriā ostendebat, vt casus peruersi ignominiam, & impiæ adorationis fœditatem, quasi superposito fuco, absconderet. Sed hanc Dei Patris iniuriam Dei Filius æquo animo ferre non potuit. Vnde & primo *Sathanam*, eum vocauit, quasi aduersarium: ac deinde testimonio sacræ Scripturæ os obstruxit inquiens: *Scriptū est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: Vt (quemadmodum Chrysostomus, homil. 5. Imperfecti, *Chrysost.* dicit) ***Nos illius discamus exemplo, nostras quidem iniurias, ab impiis illatas magnanimiter sustinere: Dei autem iniurias, & contemptum, nec vsque ad auditum sufferre. Nam iniurias Dei dissimulare, nimis est impium.***

*Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Merito superatis tentationibus & tentatore fugato, Angeli accesserunt & ministrabant Christo, tum in signum victoriæ aduersus Sathanam, tum etiam vt ieiunium, quando ipse voluit, solueret: qui ( vt Augusṫ. dicit, serm. 41. de Verbis Domini ) *Noluit de lapidibus* *August.* *panes facere, vt voluntatem contemneret tentatoris: quem cum vicisset, venerunt Angeli, & ministrabant ei.* Tum deniq; vt nos discamus resistere tentationibus diaboli, & fugere consolationes sæculi, si volumus habere ministerium Angelorum, vt Bernardus docet, ser. 4. supra *Bernard.* Ps. 90, Ministri enim Christi sunt, & simul *administratorij spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis,* vt Paulus dicit. Hæc autem salus, nulla alia nobis est, *Hebr. 1.* quam Christus Iesus. Qui cum Patre, & Spiritu sancto. &c. Amen.

## DE IEIVNIO, ET TENTATIONE Christi Domini.

### CONCIO II.

*Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* MATTH. 4.

BAptizatus in Iordane Dominus,& paterna voce, ac Spiritus sancti significatione commendatus, antequam seipsum manifestaret mundo, & pœnitentiam, atque Euangelium prædicaret, à Spiritu sancto ductus est in desertum: vt ieiunio quadraginta dierum pro nobis pœnitentiam ageret, & tentatus à Sathana, tentationes nostras suis tentationibus & experiretur, & vinceret, ac denique perfectissimam formam nobis relinqueret præliandi aduersus Sathanæ impugnationes, & insidias omnes. Qua ratione tempus hoc quadragesimale, in quo mirabile illud opus ieiunij, & tentationis Christi recolitur, semper ab Ecclesia iudicatũ est magis sanctum, & speciali modo consecratum ad opera religionis, & pœnitentiæ, & ad pugnam exercendam aduersus hostes animarum nostrarum, aduersus carnem, & sanguinem, & contra spiritualia nequitiæ, quę virtute,& exemplo Christi facile superabimus. Quapropter, sicut S. Leo dixit, sermone 1. de Quadragesima, *Parum religiosus alio tempore demonstraretur, qui his diebus religiosior non esset, de quibus dixit Apostolus, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Quid enim acceptius hoc tempore, quid salubrius his diebus: in quibus vitijs bellum indicitur, & omnium virtutum profectus augetur?* Deberent (meo iudicio) his diebus Christiani, ac religiosi viri, vti illa meditatione Vriæ Ethæi, qui militabat in castris Dauid, *Arca Dei, & Israel, & Iuda, habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei, super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam? Non faciam rem hanc.* Arca Dei, Christus est, in qua sunt omnes thesauri scientiæ Dei, & tota plenitudo diuinitatis eius. Serui autem Regis, hi sunt viri sancti, qui

Leo.
2. Cor. 6.
2. Reg. 11.

bella gerunt assidua aduersus huius mundi principem. Vrias vero (qui interpretatur *ignis Domini*, vel, *lux Domini*) ipse est quicunque fidelis, ac religiosus homo: in quo esse debet, & lux fidei, & ignis feruoris, ac dilectionis erga Christum. Hæc igitur debet esse meditatio cuiuscunque pij, ac religiosi, hoc tempore tam acceptabili, & sacro. Arca Domini his diebus, nempè Christus Dominus, in deserto est, & in campo, ieiuniis, & orationibus vacans, & ad prælium se accingens aduersus impugnationes Sathanæ. Præterea, viri sancti, & serui Domini, ac Regis æterni, his diebus non super lectum, sed super faciem terræ manent, accincti armis spiritualibus pœnitentiæ, ieiuniorum, & orationum, quibus militant contra hostes Christi, & suos, & ego in delitiis ero, vt comedam, & bibam, & dormiam? Non faciam rem hanc. Quod profecto iustissimis causis dicere debet religiosus Christianus. Primo, quia Christus, qui est arca Dei, & illius fœderis Domini, per quod, Verbum caro factum est in vna persona Saluatoris, his diebus in acie est, tentatur, & impugnatur à Sathana, & armis ieiunij, ac verbi diuini pugnat, & expugnat, atque prosternit Sathanam. Iustum ergo est, vt Christiani milites, quibus etiam cum eodem hoste continuum bellum est, non sint delitiis

Ioan. 10. occupati, sed Christum ducem imitentur. *Mementote sermonis mei*, ait Christus, *quem ego dixi vobis. Non est seruus maior Domino suo. Si me persequuti sunt, vos persequentur.* Indignum esset, atque iniustum, quod Rege, aut duce pugnante aduersus hostes, milites eius, & serui, otio, ac delitiis vacarent. Absurdum esset, quod caput periculo, & gladiis obiiceretur; & membra vellent in pace, ac securitate quiescere. Sicut ergo ieiunauit Christus, & orauit, & nos debemus ieiuniis, & orationibus, atque vigiliis operam dare: sicut ille pugnauit aduersus Sathanam, & vicit, & nos tenemur hoc tempore contra vniuersos hostes nostros his armis iustitiæ viriliter pugnare, vt in omnibus Christum imitemur, & exhibeamus nos sicut eius ministros. Secundo, quia hoc proprium est sanctis, & seruis Domini nostri Iesu Christi; pugnam exercere cum hostibus eius. Propterea enim Christus post baptismum, & ieiunium, impugnatur, & tentatur à dæmone; quia Sathanas san-

ctos viros quærit, seruos, & amicos Dei, quos tentationibus impugnet. Eius est vox illa Holofernis apud Iudith. *Ego nunquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor.* Sathanas tunc egressus, est tentare Iob, quando expertus est eum virum simplicem, & rectum, ac timentem Dominum. Tunc etiam stimulauit Paulum, quando eum cognouit raptum vsque ad tertium cœlum, & magnitudine diuinarum reuelationum illustratum. Piratæ nunquam aggredi consueuerunt naues vacuas, sed eas, quas sciunt auro, & pretiosis mercibus onustas esse: ita & dæmones, qui in mari magno huius mundi velut piratæ insidiantur, nunquam, viros improbos, & virtutibus vacuos, tentationibus impetunt, sed viros religiosos, & sanctos, qui fide & virtutibus vere diuites sunt. Vnde & in Apocalypsi Sanctus Ioannes dicit; quod *Datum est illi, bellum facere cum Sanctis.* Mundus etiam non improbos homines odio habet, & persequitur. *Non potest*, ait Christus, *mundus odisse vos.* Iustos autem, & Dei seruos, qui ipsius mundi contemptores sunt, incredibili odio detestatur, sicut & ipse Christus dixit; *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego vos elegi de mundo, propterea odit vos mundus.* Similiter & caro plerumque viris improbis, atque carnalibus molesta non est, iustis vero, & spiritualibus molestissima esse solet, sicut Paulus ad Galatas scribit; *Caro concupiscit aduersus spiritum* Quæ verba tractans Augustinus. Homilia 43. de verbis Domini, inquit. *In bonis concupiscit caro aduersus spiritum: nam in malis non habet, contra quem concupiscat. Ibi enim concupiscit aduersus spiritum, vbi est spiritus, &c.* In malis autem, & voluptuosis hominibus, non esse spiritum, Dominus dixit in Genesi; *Non permanebit spiritus meus, in homine, quia caro est.* Vnde S. Iudas in epistola sua Canonica vocat eos; *Animales spiritum non habentes.* Denique viris sanctis, qui omni virtutum genere ditati sunt, vniuersa vitia aduersari non desistunt; sic adeo, vt quemadmodum Sanctus Leo dicit, sermone 9. de Quadragesima, *Nunquam deest tribulatio persequutionis, si nunquam deest obseruantia pietatis. Nam in bono proposito constitutis, inimicitiæ dissimilium, diabolo instigante, non desunt: & facile*

*Iudith. 11.* *Iob. 1.* *2. Cor. 12.* *Apoc. 13.* *Ioan. 15.* *Galat. 5.* *August.* *Genes. 6.* *Iuda. 1.* *Leo.*

*in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione bonorum. Iniquitas cum iustitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia: non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, auaritia largitatem: vt verum sit, quòd omnis hæc vita tentatio est.*

Sed in hac spirituali pugna iustorum contra vniuersos hostes, atque eorum impugnationes, plura sunt, quæ Dei seruos consolari, & animare possunt. Primum, quod Christus, cum tentatus est à Sathana, suis tentationibus omnes nostras debilitauit, atque superauit; ita vt facile sit viris iustis, cum Dei adiutorio omnes mundi pressuras, & Sathanæ impugnationes vincere; *Ioan. 16.* sicut & Christus nos admonuit, inquiens; *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Nam, *August.* vt rectè ibi notauit Augustinus. *Non vicisset ille mundum, si eius membra vinceret mundus.* Sicut historia Io- *Iosue 3.* sue narrat, *Arca Domini transiuit Iordanem, & post eam omnis populus per arentem alueum transiuit:* Quoniam Christus prius expertus est aquas tribulationum, & tentationum, vt nobis facilem viam, & planum iter faceret per easdem: ita vt quasi pede sicco possimus trã- *Psalm. 76.* sire, *Viderunt te aquæ, Deus* (ait Dauid) *viderunt te aquæ, & timuerunt.* Sicut enim aquæ Iordanis timuerunt arcam Domini, & retrorsum conuersæ sunt, sic etiam aquæ tentationum in deserto formidauerunt à facie Christi in die tentationis eius, atque ab ipso ita sunt debilitatæ, & in fugam conuersæ, vt quasi nullas vires habeant aduersus sanctos eius, sed sicco pede, & inoffenso pertransire possint torrentem omnium tribula- *Esa. 1.* tionum: quoniam, quod Esaias prædixit, impletum est à Christo, *Percutiet Dominus flumen a septem riuis, ita vt transeant per illud calceati. Credite mihi experto* (dicebat *Athanas.* Sanctus Antonius Abbas, vt Athanasius refert in vita illius) *pertimescit Sathanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, &c.*

Secundum, quod sanctos consolari, & animare in tẽtationibus, ac tribulationibus potest, illud est, quod istæ tentationum aquæ, nunquam ita abundantes sunt, vt viri iusti, cũ quibus Deus est, cum transeunt per istas aquas, non possint eas facile superare atque in fugam

conuertere. Sẽper enim Deus moderatur tribulationes iustorum, iuxta eorum virtutem, & facultatem; sicut & Paul. ad Corint. scribit; *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Et Origen. lib. 3, de Principiis, c. 2. referẽs verba Pauli, inquit. *Sicut hi, qui agonibus præsunt, eos, qui ad certamen veniunt, non vt cumque, neque fortuito, inter se sinunt inire certamina sed diligenti examinatione, prout corpora viderint, vel ætates,, æquissima cõparatione iungentes illum cũ illo, verbi gratia, pueros cum pueris, viros cum viris, qui sibi vel æui, vel roboris propinquitate conueniant: ita intelligendum est etiam de diuina prouidentia, quod omnes, qui in hos humanæ vitæ descendunt agones, iustissima moderatione dispenset secundum rationem vniuscuiusque virtutis, quam ipse solus, qui solus corda hominum intuetur, agnoscit, &c.* Propterea Dauid dicebat ad Dominũ; *Proba me, Domine, & tẽta me.* Quasi diceret, ait Greg. lib. 2. Mora. cap. 7 *Prius vires inspice, & tunc, vt ferre valeam, tentari permitte.* Et S. Iob dicit; *Per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram?* Per eãdem viam, ait Greg. lib. 29. Moral. cap. 12. *per quam lux spargitur, etiam diuidi æstus iudicatur. Alta quippe, atque incomprehensibilis Spiritus sancti gratia, cum luce sua mentes nostras irradiat, etiam tentationes aduersarij dispensando modificat: vt simul multæ non veniant, aut ipsa tantummodo, quæ ferri possunt, illustratam iam à Deo animam tangant, vt cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurãt.* Neque vero diuina prouidentia has hominum tentationes, & tribulationes, quas permittit, solum moderatur: sed etiam in bonum eorum, qui tentantur, dirigit, atque conuertit; videlicet, vt infirmitatem propriam experimento cognoscant, aut beneficiis à Deo acceptis non superbiãt, aut certè ad hoc, vt probati, puriores, & sanctiores euadant. Propterea Paul. de se scribit ad Corin. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c.* Greg. 19. Moral. cap. 5. inquit. *Custos virtutum est infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquãdo vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque, quos viros nouimus esse virtutum, tentationes, atque certamina non defuere vitiorum, &c.* Et paulo inferius. *Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spiritus: & ad alta sustollit Spiritus, ne prosternat caro. Spiritus leuat, ne iaceamus in in-*

1. Cor. 10.
Origenes.
Psalm. 25.
Gregor.
Iob 38.
Gregor.
2. Cor. 12.
Gregor.

*fimis, caro aggrauat, ne extollamur ex summis, &c.* Propterea S. Iob de Deo dicit: *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* Quia sancti viri, qui Spiritu sancto subleuante ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur. Ad quem sensum fortasse potest etiam intelligi, quod Salomon dicit in Prouerbiis. *Spirituum ponderator est Dominus.* Quia spiritualibus viris quædam tentationum pondera apponi permittit, quibus aggrauentur, & reprimãtur, ne volando, plusquam oportet, in superbiam extollantur, & peius corruant. D. Ambros. lib. 3. de Virginibus, de hac re differens, duo egregia adducit exempla. Alterum est de naui, quæ, ne circumferatur ventis, & fluctibus maris, oneratur ab inferiori parte saburra (quæ Hispane dicitur *Lastre,*) vt illo pondere, & grauitate, fortior, ac tenacior sit contra impetus vẽtorum, & fluctuum, tantaque stabilitate cõsistat, vt nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuũ, nec inquietudine hominum, qui intus sunt, aut inclinari possit, aut mergi. Alterum est de api, Apes enim sapiens, cum aëris motus suspectos habet, lapillis à terra subleuatis per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flatus ventorum. Eodem pacto Deus viris spiritualibus, qui inter huius mundi fluctus, flatusque versantur, tentationum pondera permittit apponi, & tribulationum onera, quibus aggrauentur, ac reprimantur, ne aut alta sapiant, plusquam oportet sapere, aut aliquo vanitatis, siue elationis vento leuiter circumferantur.

*Iob 28.* *Prouerb. 16.* *Ambros.*

Tertium denique, quod præ omnibus consolari, & animare viros iustos in tentationibus potest illud est, quod Deus maxima cura, ac singulari prouidentia *Custodit* (queadmodum Dauid dicit) *animas sanctorum suarum*, vt de manu tentatoris liberet, ne forte eius tentationibus lædantur. Non enim derelinquit sanctos suos Dominus: sed protegit, ac munit, atque omni ex parte circundat, & quasi muro inexpugnabili circumcingit aduersus omnes inimicorum insultus. Olim dicebat Dominus ad Sathan: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, &c.* Cui mox respondit Sathan: *Nonne tu vallasti eum, ac domum*

*Psalm. 96.* *Iob 1.*

*eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum?* Vbi Gregor. lib. 2. Moral. cap. 16. dicit. *Eum, ac domum eius vallatam dicit: quia tentando, eius conscientiam penetrare non potuit. Ita enim custodit Dominus per circuitum domum iusti, vt aduersariis irruentibus in eam, nulla ex parte introitus patere possit.* Qua ratione & Salomon dicit: *Domus iusti, plurima fortitudo.* Quia Dei, & Angelorum custodia vndique circumuallata est, & munita Meminisse oportet, quod Historia sacra Genesis narrat, iustum Loth suscepisse hospitio duos Angelos, *Prius autem quàm irent cubitum viri ciuitatis vallauerunt domum illius, omnis populus simul: & dixerunt, Vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? &c.* Et infra dicitur de Angelis. *Introduxerunt ad se Loth, clauserunt que ostium, & eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate.* Non aliter contingit in viris iustis, quando aduersariorum tentationibus impugnantur. *Immittit* enim *Angelus Domini* (vt Dauid dicit) *in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, atque custodit. Ostium domus iusti, vt Augustinus dicit, super Psalmum 141. duas fores habet, videlicet amorem, & timorem: quas aperiunt Christo duo illi sancti Angeli, & claudunt diabolo, atque eius suggestionibus. Vnde & in Ecclesiastico dicitur, quod *Timor Domini expellit peccatum:* & Paulus ad Corinthios dicit, quod *Charitas non agit perperam.* Vbi ergo istæ duæ fores à sanctis Angelis claudnntur hostibus viri iusti, non intrat peccatum, non intrat diabolus, neque eius impugnationes, sed foris manent, sed excæcantur, & pereunt: iustus autem saluus & incolumis manet, quia *Confortauit Dominus seras portarum suarum*, vt Dauid dicit.

Gregor.
Prou. 15.
Genes. 19.
Psal. 33.
August.
Eccl. 1.
1. Cor. 13.
Psal. 147.

Genesis. 7. habetur, quod immissurus Dominus diluuium super terram, dixit ad Noe, *Ingredere tu, & omnis domus tua, in arcam, &c.* Et infra dicitur, *Et inclusit eum Dominus de foris*, siue, vt Septuaginta habent, *Et clausit Dominus Deus de foris eius arcam* Hoc diluuium quadraginta dierum, significat aquas illas tentationum quæ ab inimicis, & aduersariis seruorum Domini abundantius, quàm aliis temporibus, immitti solent, ita vt videantur operire terram. Arca vero ipsa, est interior domus & conscientia viri iusti, bituminata intrinsecus atque extrinsecus bitumine charitatis Dei, atque pro-

Genes. 7.

*Origenes.* ximorum, aut sicut Origenes dicit homilia 2. in Genesim, *Corpore sancta extrinsecus, & corde intrinsecus, pura: corde fidem gerens, & ore confessionem proferens, intus scientiam foris vero opera habens.* Tota ergo clausa, ac bituminata esse debet anima iusti: ne per aliquos aditus, aut rimulas, aquæ tentationum, aut vitiorum, quæ vehementes in mundo innundare solent, in eam intrare possint, ac mergere, quemadmodum Propheta Oseas

*Osea. 4.* dicit, *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum & adulterium, inundauerunt.* Oportet ergo, iusti, animam clausam esse de foris à Domino, & inclusam esse intus, atque omni ex parte bituminatam, ne, aut ipsa foras exire ad aquas possit vel aquæ ad ipsam intrare, quemadmodum de viro iusto S. Dauid di-

*Psal. 31.* cebat, *Veruntamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt* Quod si per arcam intelligamus ipsum Christum, sicut posse intelligi docet Augustinus,

*August.* tract. 9. super Ioannem, manifestum est, aquas multas diluuij tentationum, quas Sathanas immisit, ad eum non approximasse. Erat enim mirabiliter à Verbo diuino circumuallatus, atque circumclusus, ita vt nihil mali posset ad eum accedere, sed, quemadmodum Gre-

*Gregorius.* gorius dicit, homil. 16. Euangeliorum, *Omnis illa tentatio foris, non intus fuit.* Si vero per arcam intelligamus virum iustum, & sanctum, quem Dominus custodit, & protegit, etiam aquæ tentationum, quæ huius mundi amatores: & sectatores obruere solent, ad eum non approximabunt, vt mergant, & obruant, quamuis nō nihil contingant, & exerceant: quoniam Dominus, qui in illo est, animæ illius ostium custodit, & claudit. Ho-

*Psal. 123.* rum iustorum est illa vox Dauid, *Nisi quia Dominus erat in nobis, forsitan aqua absorbuisset nos.* Sciunt enim, ex auxilio Dei, qui in ipsis habitat, prouenire, quod aquæ tentationum non eos absorbeant, & demergant, sicut Ægyptios demerserunt, non verò Israelitas aquæ Ru-

*Basil.* bri maris. Quoniam sicut egregie dicit Basilius, epistola 166. ad Iulianum, *Neque facultatum dispendia, neque morbi corporis neque reliquæ vitæ molestiæ, cautum, ac studiosum pietatis lædent, donec animo ita comparatus est, vt cum Deo ambulet, & de futuris cogitet, eosque fluctus, qui inferne excitantur, alacriter, & expedite superet.* Propte-

reà enim promittit Dominus viro iusto per Esaiam, *Esai. 43.*
*Cum transieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te.* Non dicit, *Non tangent te?* sed, *Non operient te:* quia viris iustis numquam desunt tentationum aquæ à quibus tangantur, sed quia Deus in illis est, nõ operiuntur aquis, sed probantur, sed purificantur, & superiores, atque perfectiores euadunt, & (vt ita dicam) eleuatiores. Proptereà enim dictum est, quod *Aquæ* *Genes. 7.*
*eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Aquæ enim, quæ terrenos homines, & voluptuosos, operuerunt, ipsæmet arcam viri iusti eleuarunt in sublime, quoniam, vt iam diximus tentationes, & tribulationes, quę homines terrenos, & voluptatibus deditos, obruere solent, quia sine Deo sunt in hoc mundo, ipsæmet, viros iustos cum quibus Deus ambulat, & ipsi cum Deo, quamuis adoriantur, & tangant, non solum non demergunt, sed ècõtra potius magno profectu eleuant, & exaltant. *Multæ* profectò solent esse tentationes, *& tribulationes iustorum, sed de omnibus his liberat eos Dominus,* sicut Dauid *Psal. 33.*
dicit. Qui proptereà dicit in Psalmo, *Mirabiles elationes maris? mirabilis in altis Dominus.* Quasi dicat, Multæ sũt *Psal. 92.*
& mirabiles elationes tentationum, & fluctus tribulationum multi, quibus à Sathana iusti tentantur, & impetuntur, vt eos obruat, sed Deus, qui mirabilis est in sanctis suis, mirabilis est in iis altis, & excelsis viris, quos in tentationibus non solum custodit, & liberat, sed etiam eleuat, atque altiores, & excelsiores efficit & in sublime (quasi arcam) extollit. Iosue, postquam intrauit Iordanem, & pertransiuit, exaltatus est, di- *Iosue. 3.*
cente Domino ad ipsum, *Hodie incipiam te exaltare coram omni Israel.* Elias postquam transiuit Iordanem, eleuatus est, & raptus in curru. Christus postquã suarum tentationum aquas propria virtute diuisit, & sicco pede *4. Reg. 2.*
calcauit ab Angelo adoratus est: &, sicut in Euangelio dicitur, *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Sic tandem viri iusti, & amici Dei, per aquas tentationum, (Deo ipsis auxiliante) incolumes exeunt, & sanctiores, quousque, consummatis omnibus tentationum aquis educantur in refrigerium ęternum ab ipso Christo Domino. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, &c. Amen.

## DE IEIVNIO, ET TENTATIONE Christi Domini.

### CONCIO III.

*Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* MATTH. IIII.

INter alias plurimas causas, atque rationes, quas Sancti Patres adinuenerũt, propter quas conueniens fuit, Christum Dominum, postquàm in Iordane baptizatus est, in desertum secedere, ibique tentari à Sathana post ieiunium, vna est, & egregia, propter nostram doctrinam, & institutionem: vt nemo, quantumcumque purus, & sanctus sit, se existimet immunem, & securum à tentationibus: quoniam, sicut D. Hilarius docuit, Canon 3. super Matth. *In sanctificatis hominibus maxime diaboli tentamenta grassantur, quoniam victoria magis est ei exoptata de sanctis.* Sed vt magis hoc explicemus, adducamus exẽpla ex literis sacris, & doctrina sanctorum desumpta. D. Augustinus, sermone 93. de tempore notat id quod gestum narratur in Exodo, quod postquam Filij Israel biberunt aquam de petra Oreb, statim Amalech pugnauit contra eos. *Videte*, inquit, *fratres, quia postquam quisque de petra biberit, id est, Christi sacramentum susceperit, necesse est illi ad pugnam accedere. Tandiu enim quisque diabolum contra se pugnantem non sentit, quandiu opera illius exercere voluerit. Qui vero illum reliquerit & de petra bibens Christum sequi elegerit, necesse est, vt illum patiatur infestum, cui iusto iudicio voluit præponere Christum. Quisquis ergo Christo coniungitur, non ad delitias, non ad voluptates, sed ad prælium præparetur: quia omnes, qui volunt pie viuere in Christo, persequutionem patientur, vt Paulus dicit.* Similem doctrinam habet D. Greg. hom. 22. in Ezechielem, & lib. 29. Moralium, cap. 12. Vbi inquit, *Hostis callidus, quos iustitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit: vt*

*Hilarius.* *August.* *Exod. 17.* *2. Timot. 3.* *Gregorius.*

plerunque plus se vrgeri tentationibus sentiant, quam tunc, cum lucis internæ radios non videbant. Vnde & Israelitæ, post quam vocati sunt, contra Moysem & Aaron de excrescẽte labore conqueruntur, dicentes, Videat Dominus, & iudicet: quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & prębuistis ei gladium, vt interficeret nos. Volentibus quippe ex Ægypto discedere Pharao paleas subtraxerat, & tamen eiusdem mensuræ opera requirebat. Quasi ergo contra legem mens submurmurat, post cuius cognitionem tentationum stimulos acriores portat. & cum sibi labores crescere conspicit in eo quod aduersario displicet, quasi fœtere se in oculis Pharaonis doleat. Post lucem ergo æstus sequitur: quia post illuminationem diuini muneris tentationis certamen augetur. Hactenus Gregorius. Origenes etiam homilia 11. super Iosue, animaduertit optime, hoc ipsum significatum esse Iosue 10. vbi habetur, quod Gabaonitas, qui à Filiis Israel fœdus pacis acceperant, Iebusæus Rex Hierusalem, inuitatis secum aliis quatuor Regibus, statim aggressus est expugnare: & qui prius amici erant, post amicitias, & familiaritatem Filiorum Israel, inimici, & hostes facti sunt. Sic etiam cum anima humana Verbo Dei se sociauerit, dubitare non debet statim se inimicos habituram, & eos quos habuerat ante amicos, in aduersarios esse conuertendos: idque non solum pati se ab hominibus speret, verum etiam de contrariis virtutibus, & spiritualibus nequitiis, id sibi imminere pro certo sciat. Et ita fit, vt qui amicitias expetit Iesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. Vnde & Salomon nos admonet in Ecclesiastico, inquiens, Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore: & præpara animam tuam ad tentationem. Cum primum enim vnusquisque filius Dei esse cœperit per fidem, & gratiam, atque charitatem, & excusso diabolicæ seruitutis, & peccati iugo, ad seruitutem Christi accesserit, quæ omni regno pretiosior est, & generosior oportet illum stare in iustitia, & timore. Primo dicit, In iustitia: siue iustitiam intelligat omnia opera virtutum, quæ viri iusti operari solent, & nomine iustitiæ intelliguntur, sicut Paulus ad Titum inquit, Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, &c. siue iustitiam vocet specialiter opera pœnitentiæ, vt ieiunia, orationes, eleemosynas, quæ

Exod. 5. Origen. Iosue. 10. Eccl. 2. Tit. 3.

ſpeciali nomine vocantur iuſtitia, aut opera iuſtitiæ: quia per ea caſtigamus, atque mortificamus carnem noſtram, & Deo ſatis facimus pro his, quæ peccãdo aduerſus eum cõmittimus. Deinde dicit, *In timore*: quia dum hæc opera iuſtitiæ exercemus, ſummopere cauenda nobis eſt ſuperbia, & vana ſecuritas, atque incauta fiducia, ſed in ſpiritu humilitatis & cũ metu, ac tremore hæc noſtræ ſalutis opera proſequamur. In hac autẽ iuſtitia, & timore, ſtare nos pręcipit: quia non leuiter, & curſim, hęc opera virtutis, & humilitatis, attingẽda nobis ſunt, ſed magna fortitudine, atque conſtantia eis incũbendum eſt, & firma ſtabilitate in ipſis per totã vitã perſeuerandũ. Tum tertio dicit, *Et præpara animã tuã ad tetationem*. Quod duplici ſenſu intelligi poteſt. Primo, iuxta ea quæ dicebamus: quod cum quis receſſerit à ſeruitute peccati, & ad Chriſti ſeruitutem acceſſerit, ſtatim præparare ſe debet ad futuras tentationes, atque aduerſariorum inſidias: qui vehementius, ac frequentius illum impugnare tentabunt, vt à ſtatu iuſtitiæ miſerabiliter deijciant, & perdant. Propterea & Diuus

2. Tim. 3. Paulus nos admonuit, ſcribens ad Timoth. quod *Omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſequutionem patientur*. Vbi illud eſt animaduertendum, quod non dicit Apoſtolus: *Omnes qui pie viuunt in Chriſto Ieſu, perſequutionem patientur*, ſed, *Qui pie volunt viuere*. Neque Salom. dixit *Stans in ſeruitute Dei, præpara animam tuam ad tentationem*: Sed, *Accedens ad ſeruitutem Dei*. Quia in ipſo primordio receſſus noſtri à peccato, & acceſſus ad ſeruitutem Dei, in ipſa voluntate, ac propoſito piè & religiosè viuendi in Chriſto, quaſi in ipſo veſtibulo grauiſſimas inimicorum noſtrorum tentationes, ac perſequutiones inſurgentes, & occurrentes experimur. Aut alio ſenſu intelligi poteſt, quod dicit: *Et præpara animam tuam ad tentationem*. Quia filius Dei per gratiam adoptionis, & ſeruus Chriſti per opera virtutis, ac pietatis, qui firmo animo, ac perſeueranti ſtat in operibus iuſtitiæ, & humilitatis, hoc pacto præparat ſe, hoc eſt, diſponit, ac roborat, multo melius, quam ſcuto, & armis, ad hoc, vt magna conſtantia ſtare poſſit aduerſus omnes inimici tentationes, & inſidias hoſtium omnium: ita ſanè, vt non tantum eis fortiter reſiſtat,

ſed

ſed etiam ipſos hoſtes viriliter proſternat, atque in fugam conuertat.

Ecce ergo quàm recte Salomon admonitum eſſe voluit hominem, vt accedens ad ſeruitutem Dei, ſtet in iuſtitia, & timore, & præparet animã ſuam, non ad requiẽ ſed ad tentationem: quia hoſtis noſter, vt Gregorius docet, lib. 24. Moral. cap. 7. *Adhuc in hac vita poſitos, quanto magis ſibi nos rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulſare negligit, quos quieto animo poſſidere ſentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde noſtro, quaſi ex iure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim & in ſeipſo Dominus ſub quadam diſpenſatione figurauit: qui diabolum nõ niſi poſt baptiſma, & ieiuniũ ſe tentare permiſit: vt ſignum nobis quoddam futuræ conuerſionis innueret, quod membra eius, poſtquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum inſidias tolerarent.* Hæc Grego. Sed multo melius hæc, quæ, dicta ſunt, colligemus ex ipſa litera ſancti Euangelii. Gregorius.

*Ductus eſt Jeſus* (ait S. Euangeliſta) *in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo, &c.* D. Amb. li. 1. de Cain & Abel c. 5. & alii S. Patres, animaduertunt, tres laqueos propoſitos eſſe à Sathana in hac tentatione Chriſto Domino, quos etiã ex ipſa Euãgelii hiſtoria colligũt. Primus fuit quãdo poſt ieiuniũ, & eſuriẽ Chriſti, *Accedens tentator dixit ei, ſi filius Dei es, dic, vt lapides iſti, panes fiãt.* Quod Am. & alii Patres referunt ad tentationem gulæ: propterea quod conabatur Chriſtum inducere ad inordinatũ quẽdam & immoderatũ appetitũ cibi. Nam, vt D. Thom. docet 3. part. quæſt. 41. art. 4. ad 1. ad vitiũ gulæ pertinet, quod ex appetitu cibi homo aliquid inordinatũ faciat. Eſt autẽ inordinatum, quod aliquis, vbi poteſt recurſus haberi ad humana ſubſidia, pro vitæ ſuſtentatione miraculoſe ſibi cibũ à Deo requirat. Quod aliis multis exẽplis oſtendit. D. Aug. li. 22. cõtra Fauſt. c. 36. Exiſtimabat enim Sathanas, quod ſi Chriſtus eſſet purus homo, grauiter delinqueret, ſi ad ſubueniendum neceſſitati ciborum aliquod miraculũ facere attentaret. Sed Chriſtus Dominus nec miraculũ edere voluit, neque alio, quàm ſacræ Scripturæ teſtimonio tentatorem refellere inquiẽs, *Scriptum eſt, Nõ in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quibus verbis (ſicut Ambroſ. D. Thom. Auguſt. Deuter. 8.

Irenæus. notauit Diuus Iren. li. 5. contra Valentinũ) *Christus Dominus Sathanã repulit: & ad illud quidẽ, quod ait, Si Filius Dei es tacuit. Excæcauit autẽ eum hominis cõfessione, & per paternã ditionẽ primũ impetũ euacuauit* Et hæc quidẽ quantũad literalẽ sensum. In sensu verò spirituali, & ad mores accõmodato, & vt Sathanæ lapides aduersus illũ in panes animarũ conuertamus, sciẽdum est quod aliquãdo solẽt mali prænũtiare aliquod bonum, quãuis non intelligãt quæ loquuntur, nec de quibus affirmant: quemadmodum Caiphas Pontifex prædixit, quod Iesus moriturus

Ioann. 11. esset pro gẽte, &c. Quod tamen *à semetipso non dixit.* Et

D. Thom. D. Thomas. 2. 2. quæstione 172. artic. 6. ad. 1. concedit quod aliquando Prophetæ dęmonum vera prænuntiãt reuelatione bonorum spirituum, vt Augustinus docet, libro 12. super Genes. capite 19. Tunc autem illud verum, quod dæmones enuntiant, à Spiritu sancto est. Ad

August. hunc modũ interpretari possumus hęc verba, *Si filius Dei es, dic vt lapides isti, panes fiant*, quasi Sathanas nesciẽs quid diceret, aut quid peteret, prænũtiando postulauerit à Christo, vt lapides cõuerteret in panẽ ad cibũ, atq; alimẽtum animarũ. Doctrina sacræ Scripturę, & Euangelii verba, lapides sunt, quibus & dæmones, & alios Ecclesiæ hostes ferire, atque perimere possumus: & sicut Christus Dominus solis verbis sacræ Scripturæ contriuit caput Sathanæ, ipsũque prostrauit, sic etiam docuit nos verbis sacræ Scripturæ, & Euangelii, destruẽda esse vitia, & errores, atque omnia, quæ aduersantur fidei, & bonis moribus Gregor. Nyssen hom. 7. super Eccles.

Nyssen. in illa verba, *Tempus colligendi lapides, & tẽpus spargendi,*

Eccl. 3. dicit, quod isti lapides sunt verba sacræ Scripturæ diuinitus inspiratæ, quæ ad nos descẽdunt, & quæ oportet colligere in sinu animæ, vt in tẽpore iis vtamur aduersus eos, qui sunt hostes nostri quorũ lapidum tãpulcher est iactus, vt & hostẽ perimant, & à iaciẽtis manu non separentur. V. g. Doctrina fidei, lapis est contra Hæreticos, sicut apud Matt. cũ D. Petr. dixisset, *Tu es Chri-*

Matth. 16. *stus Filius Dei viui*, respondit Iesus, *Super hãc petrã ædificabo, &c.* Vbi ipsa cõfessio fidei vocatur petra, qua Catholici perimunt hæreses, & errores, qui aduersus sanctam Ecclesiã insurgunt. Doctrina moralis tẽperantiæ lapis est contra impudicas voluptates, & eas prosternit

Doctrina iustitiæ, lapis est aduersus omnem ini ustitiā. Similiter & doctrinæ aliarum virtutum, lapides sunt in Scriptura sacra, ex qua à viris probis colliguntur, ad profliganda vniuersa vitia, destruendos aduersarios, quando opportunū tēpus fuerit in eos iaciēdi, quos ad hunc finē collegerint spirituales lapides. Obseruandū valde est, quod legitur in Nū. quod homo, qui inuētus est *Num.* 15.
colligēs ligna in Sabbatho, lapidibus occisus est. Ligna hæc siue sarmenta, nihil aliud (spirituali sensu) sunt quā peccata, & inania huius vitæ studia, & vanitates, quę sunt materia ignis. Sabbathū vero, cessationem à peccatis significat, & quietē ab operibus vanis, & à Deo prohibitis, iuxta id quod dicitur ab Esa. *Si auerteris à Sabba-* *Esai.* 58.
*tho pedem tuū, facere quod non oportet, &c.* Siquis ergo aduersus Dei legem peccata cōmittat, vanitates sectetur, & vitiorū ligna, siue sarmenta colligat, lapidibus percutiēdus est, hoc est, verbis sacræ Scripturæ, & sanæ doctrinæ, quibus prosternuntur vitia, & homines moriuntur peccato, & mūdo. Hi enim sunt lapides, qui à maioribus Ecclesiæ funda prædicationis, seu correctionis, iaciēdi sunt contra vitia vniuersa, vt homines conuertāt ad Christū, & ipsa vitia omnino perimant, quēadmodū *Zachar.* 9.
Zacharias prædixerat, *Deuorabunt, & subiciet lapidibus fundā.* Funda hæc, nihil aliud est, quā prædicatio veritatū sancti Euangelij. quæ, si bene rotatur, & reuoluitur virtute spiritus, & manu sanctę ędificationis, mirabiles lapides proiicit aduersus peccata, & peccatores, ita vt vitia ipsa perimat, & homines peccatores subiiciat Christo, & legi ipsius. His Scripturæ sacræ verbis, tanquam lapidibus, prostrauit Christus Sathanā in deserto: & quemadmodū Dauid, sicut narrat Historia Regum, *1. Reg.* 17.
accipiens lapides de torrente, & funda iaciens percussit, & prostrauit Philisthæum, & fecit victoriam in Israel: ita & Christus per seipsum nūc in deserto, postea vero per Apostolos, & sanctos viros colligēndo lapides ex sacra Scriptura, & funda prædicationis, seu correctionis iaciendo, percussit, & strauit Sathanam & errores ac vitia profligauit de Ecclesia.

*Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore* Dei. Panis mendacij, & vanitatis, ac voluptatis

qui suauis est hominibus voluptatum amatoribus, magis quàm Dei, solus panis est: & propterea interius animam non nutrit, neque vitam spiritualem ei confert sed ei potius nocet, & gustatus affert mortem: panis vero verbi diuini, qui simul lapis pretiosus est ex sacra Scriptura collectus, ex ore Dei procedit, atque animæ salutem, & vitam confert, simulque virtutem, & robur, aduersus omnia vitia, & tentationes inimici. Dicit autem, *Omne verbum:* vel quia vnum tantum Euangelium est, vna sacra Scriptura, vna Fides, vel quia sacra Scriptura, & Euangelium, continet omnes veritates fidei, & morum, necessarias aduersus omnia vitia, contra omnes tentationes, ad omnes status hominum instruendos, ad acquirenda omnium virtutum genera, & obtinendam omnem perfectionem: & quemadmodum dixit Apostolus, ad Timotheum scribens, *Vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

2. *Timot.* 3.

Secundum laqueum, siue tentationem, abscondit Sathanas Christo illis verbis, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Quod Ambrosius, & cæteri Patres ad vitium inanis gloriæ referunt. Nitebatur enim diabolus Christum ad hoc inducere, vt de pinnaculo templi coram multitudine hominum se præcipitem daret, vt nihil læsus, ab omnibus tanquam Filius Dei, aut eximiæ sanctitatis homo haberetur, & veneraretur. Sed cùm posset absque vllo periculò mitere se Dominus Iesus, cui suppeterent spirituales volatus: tamen, vt doceret nos & iactantiam fugere, & in nullo facere voluntatem diaboli, respondit illi; *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum:* atque hoc iactu lapidis, ex sacra Scriptura collecti, tentatorem diabolum prostraret.

*Ambros.*

*Deuter.* 6.

Vbi obseruandum est primo, quo pacto Sathanas, qui tanquam fulgur de cœlo cecidit, semper hominibus casum persuadere conatur, sicut Bernardus dicit, serm. 1 de Resurrectione & quidem cū ad vitia nos trahere conatur, hoc intendit, vt voluntarie nos mittamus deorsum, ac præcipitemur. Et quāuis, teste Gregorio, lib. 5. Moral. cap. 7. vitia cunctos ad imapertra hant, sicut è contra virtutes ad superna subleuant: specialiter tamen vitium superbiæ, siue inanis gloriæ, hominem deiicit, ac deorsum trahit, quemadmodum Da-

*Bernardus.*

*Gregorius.*

uid dicit, *Deiecisti eos, dum alleuarentur*, siue, *Dum extollerentur*, vt August. legit, libr. 14. de Ciuitat. cap. 13. Vbi & sic dicit, *Elatio, quæ in vitio est, eo ipso, quod respuit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquam superbius, & ex hoc erit inferius: & fit quod scriptum est, deiecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait, Cum elati fuissent vt prius extollerentur, & posteà deiicerentur: sed, Cum extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deiici est.* Quam doctrinam eisdem fere verbis habet Diuus Gregorius lib. 32. Moral. capite 7. Psalm. 72. August. Gregor.

Obseruandum est secundo id, quod ab omnibus sanctis Patribus in hoc loco animaduersum est, quo pacto diabolus in hac secunda tentatione ad decipiendũ Christum allegauit verba sacræ Scripturæ ex Psam. 90. Psal. 90. inquiens, *Scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te, &c.* Ipse enim, qui mendax est, primus fuit, qui per verba sacræ Scripturæ praue intellecta conatus est decipere homines. Cuius Sathanicum spiritum imitantur omnes Hæretici, in citandis, & exponendis sacræ Scripturæ testimoniis: quemadmodum in secunda 2. Petr. 3. sua Canonica dixit Diuus Petrus, quod *Indocti, & instabiles, deprauant Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Omnes enim Hæretici, vt D. Cyril. docet, epist. 28. Cyrillus. *De Scriptura diuinitus inspirata sui colligunt euasionem erroris, ea quæ à Spiritu sancto recte dicta sunt, sua malitia corrumpentes.* Et Origenes, homilia 9. super Numeros docet, quod Hæretici, more Filiorum Chore, ignem alienum imponunt altari, hoc est, sensum & intelligentiam alienã à Deo, & veritati sacræ Scripturæ contrariam introducunt. Exponunt enim Scripturas sacras de corde suo, non de corde Spiritus sancti: neque sensum Christi habent, sed sensum proprium, & fallacem sequuntur, sicut idem Origenes dicit, homilia 2 super Ezechielem Et propterea Chrysostomus, Tom. 5. homilia quadam contra Hęreticos, dixit, quod isti in citãdis Scripturis sacris imitantur diabolũ, qui cùm accederet ad Christũ, & tẽtaret eum, per Scripturas loquutus est cũ eo dicens, *Si Filius Dei es mitte te deorsũ. Scriptũ est enim. Quoniam Angelis suis mandauit de te, &c.* Vbi Sathanas & mendaciũ, & stultitiam satis aperte manifestat. Ait enim Irenæus, lib. 5. contra Valentinum, *Me-* Origenes. Chrysost. Irenæus.

*darium absondit per Scripturam, quod faciunt omnes Haeretici. Illud enim, quod Angelis suis mandauit de eo, scriptum erat, sed, Mitte te deorsum, de eo nulla dicebat Scriptura, sed à semetipso hanc suasionem diabolus offerebat.* Quod etiam Chrysostomus adnotauit, homilia 13. super Matth. Quod vero stulte, & inepte, diabolus eo testimonio vsus sit, ex eo constat, quod si Christum existimabat purum hominem, non poterat illis verbis ei persuadere, vt sua voluntate, ac temere, mitteret se deorsum. Esset enim hoc tentare Deum. Si vero existimabat, illum esse Filium Dei, certum illi erat, non indigere Angelis, à quibus portaretur, cum potius ipse portet omnia verbo virtutis suæ, vt Apostolus dicit

*Heb. 1.* ad Hebræos, scribens. Sed hanc diaboli fallaciam, & stultitiam, Christus Dominus legitimis verbis eiusdem Scripturæ sacræ confutauit, & ipsum diabolum suis armis, quibus ipse male vtebatur, fœliciter prostrauit. Et quemadmodum Dauid Goliam suo proprio gladio iugulauit: ita etiam Christus, Scripturæ sacræ gladio, cuius verbis diabolus male vsus fuerat, ipsum percussit, atque prostrauit. Quod etiam Catholici facere so-

*Gregor.* lent, vt Diuus Gregorius docet, libro 18. Moralium, capite 11. *Nam cum superbientes Hæreticos*, ait Gregor. *& sacræ Scripturæ sententias deferentes, eisdem verbis, atque sententiis, quas proferunt, vincimus, quasi elatum Goliam suo gladio detruncamus.*

Tertium laqueum, siue tentationem, obiecit Christo diabolus, quando, sicut Euangelista dicit, *Assumpsit eum in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia Regna mundi, & gloriam eorum: & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Quod aliqui ex sanctis Patribus referunt ad vitium ambitionis, siue appetitus inordinati dominandi, alij vero ad auaritiam, siue inordinatum appetitum bonorum temporalium. Sed recte potest hæc tentatio ad auaritiam referri. Nam, teste Diuo Augustino, libro 11. super Genesim, capite

*August.* 15. & super Psalmum 118. Concione 11. auaritia non solum est pecuniarum, sed etiam honoris, & potestatis. Plura autem sunt nobis obseruanda in hac fallaci, & stultissima diaboli tentatione. In primis quod dicit: *Ostendit ei omnia Regna mundi.* Non enim dicit, quod

dedit ei, aut contulit omnia Regna, sed quod ostendit, & quasi in tabula quadam Geographiæ depicta monstrauit: vt videas, quod diabolus nulla vera bona hominibus conferre potest, sed fictitia, & imaginata, aut depicta, quæ cito delentur, & quemadmodum *In momento temporis ostensa sunt*, vt Lucas dicit, ita etiam in momento transeunt, & finiuntur, sicut Dauid dixit: *In ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges, velut somnium surgentium.* Quemadmodum enim dormiens, & somnians, videt in visu thesauros plurimos, & se in summa dignitate constitutum imaginatur, surgens vero à somno nihil horum inuenit, sed omnia perdit, ita etiam & filij huius sæculi, diuitias, & honores, & cætera mundi bona, quæ quasi in imagine, & pictura, ostensa habuerant, in cœlesti ciuitate ad nihilum redacta inuenient. Vnde & Salomon in Ecclesiaste de diuite auaro dicit. *Et quid prodest ei, nisi quod diuitias cernit oculis suis?* Quasi dicat nullum alium fructum ex eis capere, quam quod oculos delectat, & pascit diuitiarũ suarum aspectu, quas veluti depictas, & in imagine tantum positas habet. Propterea ergo nos admonet Paulus huius rei ad Corinthios scribens, quando dicit: *Præterit figura huius mundi.* Quasi dicat, vniuersa huius mundi temporalia bona, vana esse, atque caduca, & velut in imagine depicta, & vt ita dicam figurata: quorum figura in momẽto transit cum ipso mundo, & amatores suos deserunt vacuos, & inanes. Ezechiel Propheta Domini vidit vniuersa Idola domus Israel depicta, & plures seniores stabant ante picturas, quasi adorantes, & venerantes eas. Sic profecto filij huius sæculi hæc bona temporalia, delitias, honores, ac diuitias, quasi Idola depicta, & simulacra vana, venerantur, & cadentes adorant. Voluptuosis enim *Deus venter est*, vt Apostolus dicit ad Philippenses: & *Auaritia est Idolorum seruitus*, vt ad Ephesios scribit. Sed profecto quemadmodum Sanctus Hieremias dicit, Idola hæc hominum, & sculptilia, *Vana sunt opera, & risu digna, in tempore visitationis suæ peribunt.*

Luca. 4. Psal. 72. Eccle. 5. 1. Cor. 7. Ezech. 8. Philipp. 3. Eph. 5. Hierem. 51.

Deinde obseruandum est, quod dicit, *Hæc omnia tibi dabo.* Promittit enim multa mendaciter Sathanas, vt homines decipiat, & nulla eorum opere complet: &

quemadmodum tempore ſiccitatis magnæ apparere ſolent nubes in cœlo, quæ ingentem aquarum copiam promittunt, & quaſi ſubito, ac flante Aquilone vento, diſſipantur, ita etiam dæmones, vt miſeros homines decipiant, plurima huius mundi bona pollicentur. Sunt enim promiſſionibus maxime diuites, & abundantes pollicitationibus, ſed tempore neceſſitatis omnia mentiuntur, & omnes eorum promiſſiones nihil aliud ſunt, quã nubes ſine aqua quę à vento circumferuntur, & diſſipantur. Propterea de his Sathanæ vanis pollicitationibus conuenientiſſime dici poteſt id, quod Salomon dicit in Prouerbijs *Nubes, & ventus, & pluuia non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens.* Quis enim alius eſt vir iſte glorioſus, niſi Sathanas, qui oſtendit Chriſto omnia regna mundi, & gloriam eorum: & qui mendaciter gloriatus eſt, ſibi traditam eſſe poteſtatem vt cui voluerit det illa? Sed omnes eius promiſſiones nubes, & ventus ſunt, & pluuiæ non ſequentes, quia, quamuis multa promittat, vniuerſa mentitur, & promiſſa non complet, neque complere poſſet, quamuis vellet. Non enim ei tradita ſunt, ſed ſoli Chriſto, qui dixit, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.*

*Prouer. 25.* *Matth. 11.*

Tandem illud eſt obſeruandum, quod Sathanas dixit, *Si cadens adoraueris me, &c.* Quo pacto in hac tentatione auaritiæ diabolus caſum perſuadere nititur, ſicut in ſecunda tentatione, quæ fuit ſuperbiæ, aut inanis gloriæ: quoniam his duobus vitijs potiſſimum conuenit, homines ad præcipitium, & caſum trahere, & quaſi de cœlo in terram deijcere. Propterea enim orabat Dauid Dominum, inquiens: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* Pedem ſuperbiæ voluit Sathanas Chriſtum habere, quando ei dixit: *Mitte te deorſum*: & manus peccatoris voluit eum habere, quando diabolus, & peccator, obtulit ei omnia regna mundi, quaſi larga manu, & dixit: *Hæc omnia tibi dabo.* Sed quamuis Chriſtus Dominus cadere non potuit, quin potius ipſum tentatorem deiecit, atque proſtrauit, tamen ibi ceciderunt, qui operati ſunt iniquitatem. Diabolus enim pede ſuperbiæ decidit de cœlo in abyſſum, & primus

*Pſalm. 53.*

homo manu diaboli, peccatoris motus de statu iustitiæ in miserum statum peccati decidit: & propterea vnus de cœlo, & alter de paradiso, expulsi sunt. Oremus igitur & nos Deum cum Dauid, vt non veniat nobis pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat nos, sed in spiritu humilitatis fortiter figamus pedem, & manum Domini, quæ omnibus bonis plena est, inuocemus, & expectemus. Nam vt Salomon in Prouerbijs inquit: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria.* quam nobis præstet ipse Christus. Qui cum Patre & Spiritu &c. Amen. Prouer. 3.

## DE IEIVNIO, ET TENTATIONE Christi Domini.

### CONCIO IIII.

***Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.*** MAT. 4.

OMnia Tempus habent, (ait sapientissimus Ecclesiastes) *& suis spacijs transeunt vniuersa sub cælo*: cumque plures, ac varias rerum, ac temporum vicissitudines commemorasset, tandem concludit, inquiens: *Tempus belli, & tempus pacis.* Et quidem imperfectis hominibus, parumque spiritualibus, bona pars temporis totius anni, tempus solet esse pacis, & amicitiæ cum vitijs, & concupiscentijs, cum luxu, ac delitijs, cum quibus iocunde conuersari solent, & proijcientes arma bellica cum his hostibus animarum, quasi cum amicis, & socijs, in pace vitam agere. Quam miserandam pacem, atque concordiam S. Dauid considerans dicebat. *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Quę enim pax miserabilior esse potest, quam ea quæ cum peccatis, & huiusmodi oblectationibus habetur, in qua nulla est mortis recordatio, aut respectus, nulla malorum, aut calamitatum, memoria, in qua miseri homines in laboribus iustorum, ac flagellis non Eccle. 3. Psalm. 72.

sunt, quia nullis pœnitentiæ operibus vacant, sed otio ac delitijs, ita vt omnino extra disciplinam Christianæ militiæ sint, tanquam qui adulteri & non filij, atque milites Christi sunt: & propterea tenet eos superbia, occupat libido, accendit auaritia, atque omne genus vitiorum captiuos detinet, atque vt ita dicam cum Dauid, *Operti sunt iniquitate, & impietate sua?* His autem
Psalm. 72. sanctæ Quadragesimæ diebus tempus belli est cum vitijs, & concupiscentijs: in quo quasi ad quendam agonem introimus, & ad pugnas tentationum animos præparamus: & in quo Christus Dominus, Christianæ militiæ dux, & Princeps, in desertum processit armatus spiritualibus armis ieiunij, & orationis, pugnaturus aduersus hostem humani generis, vt illũ his armis vinceret, & manus nostras doceret ad hoc spirituale bellum eisdem armis exercendum, & miseram pacem quem cum mundo, ac vitijs, prius contraximus, omnino exterminandã, ac de medio tollendã. *Pacem* enim *cum hoc mundo* (ait S. Leo, ser. 19. de Passione) *nisi amatores mundi habere non possunt: & nulla vnquam iniquitaticum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est*
Leo. *tenebris cum luce consensus.* Propterea dixit Christus Dominus apud Matth. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Non enim venit Dominus pacem nobis dare cum mun-
Matth. 10. do, & concupiscentijs eius, sed potius gladium, & arma aduersus illum, & ceteros animæ hostes. Ieiunium enim, & oratio, atque eleemosynæ, & alia pœnitentiæ ac virtutum opera, tela sunt spiritualia, quibus & nos ipsos castigamus, atque emendamus, & simul nequissimos hostes animarum nostrarum torquemus, vulneramus, atque prostramus. Vnde & Salomon ad Deum
Sapien. 12. dicit: *Cum das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas.* Quia pœnitentiæ opera, quæ sunt disciplina, & correctio nostra, simul sunt durissima flagella, quibus inimici nostri multis modis flagellantur, & sauciantur: & sicut egregie dixit S. Leo, serm. 1. de Quadrages. *Si nos corripimur, illi corruunt: si nos conualescimus, illi infirmantur. Remedia nostra plagæ illorũ sunt, quia*
Leo. *curatione nostrorum vulnerum vulnerantur.* Et quamuis perfectioribus viris omne tẽpus totius anni sit tẽpus huius belli, & militiæ spiritualis, tamen hoc acceptabili tem-

dore auidius, ac feruentius ad pugnam accinguntur, assumptis his spiritualib⁹ armis, quibus inuictus humanę militiæ magister, & Dux, Christus Dominus, verbo, & exemplo, eos armauit. Vnde Hieronymus epistola 22. ad Eustoch. cap. 15. loquens de exercitiis spiritualibus sanctorum Monachorum, inquit; *Ieiunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtius viuere* Et propterea fortassis ea causa est huius districtionis maioris, & apparatus bellici, quia (sicut S. Leo dicit, sermone 3. de ieiunio decimi mensis) *Inimici nostri, qui nostra sanctificatione torquentur, in his diebus, quos ad maiorem obseruantiam nobis dispositos esse nouerunt, vehementius sæuiunt, & subtiliore insidiantur astutia.* Et sermone 11 de Quadragesima, inquit; *Notum est vobis, hoc esse tempus, quo per totum mundum, sæuiente diabolo, acies debet Christiana confligere: & si quos, aut desidia tepidos, aut solicitudo habuit occupatos, nunc oportet armis spiritualibus instrui, & cælesti tuba ad ineundum certamen accendi: quoniam ille, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, modo præcipuo liuore vtitur, modo maximo dolore cruciatur.* Vnde & Sanctus Ioannes Cassianus, Collatione 21. cap. 28. eandem causam adhibens, inquit; *Nec hoc quidem prætereundum puto, quod frequentissimè seniores nostri, idcirco illis diebus Quadragesimæ maximè impugnari omne Monachorum genus antiqua inimicæ gentis consuetudine, testabantur, & ad transmigrandum de suis sedibus acrius perurgeri: eo quod secundum illam similitudinem, qua tunc Ægyptij Filios Israel violentis afflictionibus opprimebant, nunc quoque verum Israel, id est, Monachorum plebem, intellectuales Ægyptij durissimis, ac lutulentis operibus incuruare conentur, ne per amicam Deo quietem, terram Ægyptiam deserentes, ad eremum virtutis salubriter transeamus.* Rectè ergo S. Bernardus, serm. 1. de ieiunio Quadragesimæ, dicit, hoc tempus esse militiæ spiritualis, & Christi ieiunium commune esse omnibus Christianis, vt caput suum membra sequantur. De quo sanctum Euangelium dicit: *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit: & accedens tentator, &c.*

Hieronym. | Leo. | Cassianus. | Bernardus.

Sed rogabit fortasse aliquis, pia curiositate, nec sine magna vtilitate: qua ratione Christus Dominus, qui

ieiunio quadraginta dierum non esuriuit, post tantum ieiunium cœpit esurire. Nam S. Euangelista dicit, quod *cum ieiunasset quadraginta diebus, postea esuriit*, & S. Lucas dicit; *Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis, postea esuriit.* Ex quibus verbis plane constat, quod non antea cœpit esurire, quam consummasset illud quadraginta dierum ieiunium. Vnde & Chrysostomus, homilia 5. Imperfecti dicit, quod quemadmodum quadraginta diebus non esurire, non erat hominis, sic aliquando esurire non erat Dei. Et infra, quod Moyses, & Helias, ieiunantes esuriebant, & sustinebant, iste autem quadraginta diebus non esuriit. Hoc est enim quod dicit. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, postea esuriit.*

Luca 4. Chrysost.

Ad interrogationem responderi posset primo; Christum Dominum post illud ieiunium cœpisse esurire, vt demonstraret, quod illa esuries non fuit illi coacta, & necessaria, sed voluntaria omnino, & in eius potestate, & voluntate posita. Sic docet Chrysostomus, homilia 5. Imperfecti, inquiens. *Qui ergo quadraginta diebus non esuriuit, postea esuriens demonstrauit, quod esuritio eius voluntaria fuit, non necessaria.* Et Ioannes Damascenus lib. 3. de fide, cap. 20. docet, quod *Nihil in Christo coactum conspicitur, sed omnia spontanea. Volens enim esuriuit, volens timuit, & volens mortuus est.* Et Diuus Thomas 3. part. quæst. 15. art. 4. & 6. docet, eiusmodi passiones aliter fuisse in Christo, quam in nobis, quoniam in nobis passiones frequenter præueniunt iudicium rationis, sed in Christo omnes motus sensitiui appetitus oriebātur secundum dispositionem rationis. Vnde D. Augustinus dicit, lib. 14 de Ciuitat. cap. 9. quod istos motus certæ dispensationis gratia ita cum voluit suscepit animo humano, sicut, cum voluit, factus est homo. Itaque quemadmodum S. Matthæus dicit de Christo, quod *cœpit contristari, & mæstus esse*, ita nos dicere possumus, quod cœpit esurire, & sitire, & lassari, &c. quia secundum dispositionem suæ voluntatis, ipse eiusmodi passiones in se ipso excitabat, non vero passiones ipsæ incitari incipiebant, sicut in nobis contingit, eo quod anima Christi, secundum quod erat vnita Verbo Dei in persona, sicut docet D. Tho. 3. part. quæst. 13. art. 3.

Chrysost. Damas. D. Thom. August. Matth. 26. D. Thom.

hoc habuit singulare, quod eius potestati subdebatur totaliter omnis dispositio proprij corporis.

Aut secundo, responderi posset, propterea post ieiunium cœpisse esurire, vt per eam esuriem daret occasionem diabolo cognoscendi ipsum esse verum hominem: & consequenter inimicus ipse occasionem sumeret, & audaciam ipsum aggrediendi. Nam, vt D. Hilarius dicit, Canone 3. in Matth. *Diabolus non fuisset ausus Christum tentare, nisi in eo per esuriei infirmitatem, quæ sunt hominis cognosceret.* Recte dixit Ambrosius libr. 3, in Luc. quod Christus, qui quadraginta diebus esurire non potuit, postea esuriit: vt aduersarium lacesseret iam timentem, qui quadraginta dierum fuerat ieiunio vulneratus. *Et ideo fames Domini, pia fraus est: vt in quo diabolus maiora metuens iam cauebat, famis specie lactatus tentaret, vt hominem, ne impediretur triumphus.* Itaque hac esurie Christi excæcatus inimicus, atque deceptus, quasi piscis hamo, & quasi auis laqueo, captus est diuina virtute, atque fortitudine, quæ sub illa carnis esurie abscondita erat: & sicut lepide, & optime dixit Sanctus Leo serm. 9. de Passione; *Malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit: dum capit, captus est: dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem.* Profecto insipiens iste Christi tentator, eisdem lapidibus, quibus aggressus est Dominum, cui nocere non potuit, se ipsum misere vulnerauit, atque in suum caput telum retorsit. Vnde & Salomon in Ecclesiaste inquit; *Qui fodit foueam, incidet in eam: et qui transfert lapides, affligetur in eis.* Item in Prouerbiis; *Qui fodit foueam, incidet in eam: et qui voluit lapidem, reuertetur in eam.* Et in Ecclesiastico. *Qui in altum mittit lapidē, super caput eius cadet.* Quid enim aliud Sathanas egit, offerēs Christo lapides, & eum tentās: quā lapidem mittere in altum, hoc est in Christum, qui Altissimus est, & Altissimi Filius, & qui *altissimū posuit refugium suum*, vt Dauid inquit? Sed super caput ipsius lapis cecidit, à quo & percussum, atque confractum est, & vt verbis vtar Sancti Dauid, *incidit in foueam, quam fecit: conuertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipsius iniquitas eius descēdet.* Christus autem Dominus victor, & triumphator euadet sua iustitia, ac virtute: ita vt iustus quisque dicere possit cum eodem Dauid: *Confitebor*

Hilarius. Ambros. Leo. Ecclesi. 10. Prouerb. 26 Ecclesi. 2. Psalm. 90. Psalm. 7. Psal. 7.

*Domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini Altissimi.* Iustitia enim hominis, magis quam potestate diuinitatis Christus diabolum superauit, & vicit.

Potest tertio responderi, idcirco Christum Dominum nostrum, cum cœpisset esurire, tunc voluisse tentari à Sathana: vt ostenderet in eum virtutem suam maximam, qui tempore famis, & infirmitatis, ac debilitatis naturæ, aduersarium superauit, imo vero ipsam eandem esuriem, atque infirmitatem, tanquam arma sua elegit, & assumpsit, quibus hostem vinceret, atque prosterneret. Vnde & epistola 1. ad Corinthios,

1. Cor. 1. de ipso dicit Apostolus; *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia* Nihil sub cœlo fortius est diabolo,

Iob 41. de quo sanctus Iob dicit; *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* Sed in hoc ostendit Dominus, quanto maior sit eius virtus, & fortitudo, quod ad illum superandum, & prosternendum, infirmiora mundi arma voluit assumere. Quæ enim debiliora possunt esse arma, quam esuries, & ieiunium, & vigiliæ, ac solitudo deserti, & alia huiusmodi: quæ potius possent dici defectus armorum, quam arma? Sed hæc, quæ tam infirma sunt, vel potius nihil sunt (cum sint quædam priuationes, aut negationes) propterea quod Christus eis vsus est tanquam armis aduersus Sathanam, habent in seipsis occultam quandam diuinam virtutem ad exterminandos vniuersos hostes Christi: & propterea subdit Paulus; *Et ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret.* Fames, & ieiunium, & mors, sunt ea, quæ non sunt. Sed hæc Christus assumpsit, vt suos hostes destrueret. Et propterea subdit Diuus Paulus: *Quod infirmum est Dei, fortius est omnibus hominibus*: & potuisset etiam dicere: fortius est omnibus dæmonibus. Nam, vt iam diximus, noluit Christus diabolum vincere omnipotentia sua, sed iis, quæ infirmiora erant in ipso: quæ, quia erant in ipso, fortiora erant, non solum omnibus hominibus, sed etiam omnibus dæmonibus. Sic in deserto esurie, & ieiunio Sathanam superauit, & tandem in cruce morte sua illum destruxit, quéadmodum Paulus ad

Hebr. 2. Hebræos scribit, inquiens: *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum.* Vbi D Am-

Ambros. brosius sic dicit; *Hic admirabile quiddam demonstrat:*

*quia per quod potestatem habuit diabolus, per hoc victus est: & arma quæ fuerant illi fortia aduersus mundum, hoc est, mors, per eam Christus illum percussit. Hic magnitudinem virtutis eius, qui vicit, insinuat, ostendendo, quantum bonum operaretur mors.* Quæ omnia habet etiam Chrysostomus, homilia 4. in eandem epistolam. Chrysostom.

Tandem quarto, voluit Christus post ieiunium, esuriens tentari, vt esuriei nostræ, & ieiunio virtutem, & robur daret, aduersus diabolum, & aduersus omnes tentationes: & hæc, quæ sua natura adeo sunt infirma, atque debilia, efficeret arma spiritualia, & arma iustitiæ, aduersus omnes inimicos nostros, qui tribulant nos. Vnde Chrysostomus, homilia 1 in Genes. inquit; Chrysost. *Dominus noster Iesus Christus & ipse quadraginta dierum ieiunio declarato, sic certamen contra diabolum aggressus est, omnibus nobis exẽplum dans, vt per illud armemur, & ex illo robur sumamus, ac si aciem in prælio cõtra illum instruamus.* Iam ergo fames, & ieiunium, arma sunt spiritualia, & arma iustitiæ, aduersus hostes animæ nostræ: & propterea Paulus admonet in 2. epistola ad Corinthios, vt 2. Cor. 6. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros*: & subdit; *In ieiuniis, in virtute Dei, per arma iustitiæ.* Ieiunia enim Christiana, pro Christo suscepta, arma sunt iustitiæ, & virtutis Dei aduersus diabolum, & tentationes eius: quia Christus Dominus, qui virtus, & iustitia Dei est, ea in deserto assumpsit, vt pugnaret aduersus Sathanam: & tantam illis virtutem, & fortitudinem contulit, vt quæ antea infirma, & imbecilla, & prorsus inepta erãt ad præliandum, postea propter diuinam quandam, occultamque virtutem, quam Christus eis contulit, facta sint arma virtutis, & iustitiæ Dei ad expugnanda omnia vitia, & vniuersos animæ hostes. Armis enim ieiuniorum Christus tentatorem percussit, inimicum destruxit, diabolum strauit, & verbo virtutis suæ, lapides offerentem, lapis angularis, pretiosus, ac diuinus, sine manibus, comminuit statuam Babylonicam, bestiam deserti, in hypocrisi loquentem mendacium. Christianum ieiunium scutum est admirabile, quo anima operitur, & protegitur, ne à vitiis, aut hostibus vulnerari possit, sicut S. Dauid dicebat; *Operui in ieiunio animam meam*: quia ieiunio quasi scuto quodã operiebat, Psalm. 68.

& protegebat animam suam, contra impetum omnium tentationum. Vnde D. Basilius, Oration. 2. de ieiunio, inquit; *Leuius periculum est, si quis in acie clypeum abiecerit. quam si magnam illam armaturam, ieiunium, videatur proiecisse.* Neque vero ieiunium, solummodo scutum dixerim ad resistendum inimicis, sed & gladium, & lanceam ad confodiendum illos. Et de ieiunio etiam dicere possumus id, quod Salomon in Ecclesiastico de eleemosyna inquit: *Super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.* *Per ieiunium enim, & abstinentiam* (vt S. Leo dicit. serm. 8. de ieiunio decimi mensis) *vniuersa vitia destruuntur, & quidquid auaritia sitit, quidquid superbia ambit, quidquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superatur.* Et ser. 2. antea dixerat, *Quid potest efficacius esse ieiunio, cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo vitia blāda superamus semper virtuti cibus ieiuniū fuit. De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur. virtutibus spiritus innouatur* Denique Diuus Cyprianus, tractatu de ieiunio, & tentatione Christi, sic dicit. *Quotquot viros virtutis vidimus sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset.*

Basilius.

Ecclesi. 29.

Leo.

Cyprian.

Consideremus S. Dauid Regem, impugnatum tentationibus, & tribulationibus hostium, tam internorū, quam externorum, & armantem se scuto, & armis iustitiæ, ciliciis, ieiuniis, & orationibus. Sic enim ipse dicit: *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animam meam & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Vbi S. Hieron. dicit, *Hæc sunt arma sanctorum.* Et merito profecto id dicit. Nam quemadmodum vitia, voluptates, & luxus, arma sunt impiorum & arma iniustitiæ, propterea quod sunt arma Sathanæ qui merito vocari potest iniquitas, & iniustitia: quibus nos impugnare, & ad mortem vsque animæ vulnerare contendit, ita etiam, vice versa, ieiunium, & oratio, & pœnitentia, arma sunt Sanctorum, & arma iustitiæ: quia sunt arma Christi, qui *Factus est nobis a Deo iustitia* (vt Paul. inquit) & his armis in deserto vsus est aduersus Sathanam, quem separauit. Dicuntur etiam arma

Psalm. 34.

Hieronym.

1. Cor. 1.

arma iustitiæ, quia sunt propria arma pœnitentiæ, quæ est, quædam iustitia vindicatiua ad castigandam carnem, & extirpanda vitia, & ad satisfaciẽdum Deo. Possunt præterea dici arma iustitiæ, quia debent esse iusta, & proportionata viribus ipsorum pœnitẽtium, quemadmodum in bello scutum, & arma, debent esse proportionata viribus ipsorum militum. Quoniam Dauid, sicut. 1. lib. Regum dicitur, non poterat ad pugnã procedere, imo neque incedere, armatus galea, & lorica Saul, & accinctus gladio illius. Hæc arma iustitiæ sumere nos admonet Apostolus, ad Rom. scribens. *Neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, sed exhibete membra vestra, arma iustitiæ Deo.* Tunc enim in carne nostra exhibemus arma iniquitatis, & iniustitiæ, peccato, quando vitiis, & concupiscentiis, & passionibus, seruimus diabolo, & peccato, & obedientes sumus desideriis eius: tunc vero exhibemus in nobis arma iustitiæ Deo, quando ieiuniis, vigiliis, orationibus, atque aliis pœnitentiæ operibus, passiones peccatorum castigamus, & mortificamus, tentationes vincimus, & dæmonum suggestiones superamus, atque fugamus, & diuinæ voluntati in omnibus conformes, atque obediẽtes sumus, pacemque cum illo habemus. Sic enim nullæ aduersariorum insidiæ, nullæ tentationum machinationes nocere nobis poterunt: & sicut dicit Sanctus Leo, sermone 6. de Natali Christi Domini: *Pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri toto corde dicentibus, Fiat voluntas tua, nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus.*

1. Reg. 17.

Rom. 6.

Leo.

Multos videmus, qui se miseros dicunt, atque infœlices, propterea quod tentationibus, tam domesticis, quam aliorum hostium, importune molestari solent, atque vexari, & interdum superari: sicut & Paulus ad Romanos scribens, gemebundus dicebat, infœlicẽ hominẽ se vocans: *Video aliam legẽ in mẽbris meis, repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Sed isti non vident, quod si tentationes peccatorum molestæ illis sunt, & militant in membris eorum, atque habitãt, & viuunt, ideo est, quia nec membra sua, quæ sunt super terram, mortificant, nec carnem castigant, neque ieiuniis, & orationibus, & eleemosynis, quæ sunt arma

Rom. 7.

iustitiæ, proprias concupiscentias expugnant, & vincunt. Propterea dicit Esaias; *Iustitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.* Qui sunt habitatores terræ nostræ, nisi passiones peccatorum, quæ habitant in carne nostra, sicut & Paulus dicebat, *Non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum?* Quare ergo non cadunt isti inimici, habitatores terræ nostræ? Proculdubio, quia non insurgimus contra illos armis iustitiæ, quia non occidimus eos, quia non facimus iustitiam in hac terra carnis nostræ. Oportet ergo flagello iustitiæ, armis ieiunij, & orationis, gladio pœnitentiæ, habitatores huius terræ nostræ expugnare, atque interimere: & sic cadent in conspectu nostro, & vt S. Dauid dicit; *Deficient peccatores a terra, & iniqui, ita vt non sint*, Sic enim nos docuit ipse Dauid in alio loco, inquiens; *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et ego debeo* (ait Origen homil. 26. super Numeros) *de me ipso, & de terra carnis meæ perdere peccatores, & interficere fornicationem, passionem, concupiscentiam malam, & auaritiam. Isti enim sunt peccatores terræ meæ, quos tum demum exterminare potero, & interficere, si non dissentiam à mandatis Domini.* Atque huius rei egregia figura habetur in lib. Iudicum, quod Madianitæ, & cæteri Orientales populi pugnantes contra Israel, iacebant in terra, vt locustarum multitudo. Cumque venisset ad eos Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: & in hunc modum referebat, quæ viderat. Vidi somnium: *& videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum percussit illud, atque subuertit & terræ funditus coæquauit.* Respondit is, cui loquebatur; Non est hoc aliud, nisi *gladius Gedeonis* filij Ioas viri Israelitæ. Tradidit enim Dominus in manu eius Madian, & omnia castra eius. Cumque audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit: & reuersus ad castra, venit cum trecentis viris in castra Madianitarum: cumque personassent buccinis, & hydrias confregissent, clamauerunt. *Gladius Domini, & Gedeonis.* Quo facto omnia castra Madianitarum turbata sunt, & in fugam versa, atque dissipata, &c.

Esai. 26. Rom. 7. Psalm. 103. Psalm. 100. Origenes. Iudic. 7.

Madianitæ sicut Hieronymus dicit, super Psalmum 28. interpretantur, *Relinquentes iudicium*, vel sicut Origenes dicit, homil. 4. super lib. Iudicum, interpretantur, *fluxus*, vel *effusio*, vel vt alij dicunt, interpretantur *litigantes* Et hi profecto nihil aliud sunt, quam passiones peccatorum, & eorum concupiscentiæ, quæ, vt Paulus dicit ad Romanos, *Cum essemus in carne, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*. Istæ sunt illi Madianitæ iacentes in terra carnis nostræ, & effusi sicut locustæ, litigantes, & bellantes aduersus animas nostras, vt eas deuastent, ac dissipent. Vnde S. Iacobus dicit; *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Sed propterea terram nostram deuastant, quia declinantes, vel relinquẽtes iudicium sumus: quia non facimus iustitiam in hac terra quia non facimus in eis iudicium conscriptum gladio pœnitentiæ, & flagello disciplinæ. Panis vero ille hordeaceus, & subcineritius, opera pœnitentiæ significat, quæ disciplinæ asperitatem habet, & cineris humilitatem cum calore charitatis, sine quo non potest esse vera pœnitentia. Denique, sicut Origenes dicit, homil. 12. in Genes. panis iste cibus seruorum est, & qui imperitioribus, & animalibus, paratur, non autem perfectioribus, & spiritualibus, & quibus iam non ita conuenit panis doloris, & panis tribulationis & angustiæ, sicut panis vitæ & intellectus, quo cibare solet Deus perfectos viros, qui iam non indigent pœnitentia peccatorum. Hic ergo subcineritius, & hordeaceus panis operum pœnitentiæ, ieiunij, & orationis, *Hic est gladius Domini, & Gedeonis*. Gladius Domini, quia Christus Dominus in deserto eo gladio vsus est, dum præliaretur cum diabolo, esuriens, & ieiunans, & orans: atque hoc spirituali gladio caput antiqui serpentis contriuit, & amputauit. Gladius etiam Gedeonis est. Gedeon, vt aliqui ex Hebræis dicunt interpretatur, *Conterens*, & significat pœnitentem, qui corde conteritur, carnem macerat, voluntatem propriam mortificat, & humiliat valde spiritum suum. Hic est ergo, qui assumit gladium Christi Domini, quo Sathanam transfigit in deserto: gladium ieiunij, & pœnitentiæ subcinericium panem, asperum humilem,

*Hieronym.* *Origenes.* *Rom. 7.* *Iacobi 4.* *Origenes.*

& calore charitatis,& orationis feruore ſuccenſum: vt Madianitas habitatores terræ ſuæ & domeſticos inimicos,qui militant in carne ſua,& omnia bona animæ, tanquam locuſtæ, deuaſtare conantur, hoc ſpirituali gladio percutiat, & ne vnum quidem viuum relinquat. Hunc gladium mirabiliter exacutum, & limatum à ſe in deſerto (gladium, inquam, ieiunij) reliquit nobis Chriſtus Dominus, quo poſſimus omnia vitiorum arma confringere, & omnes hoſtes animæ noſtræ iugulare,ac denique ſalutem æternam ab ipſo Chriſto Domino obtinere: cuius ſacratiſſimum ieiunium reuera

2.Macha. 15 ſcutum noſtrum eſt contra omnia tela inimici, & *Sanctus gladius, in quo deiicimus hoſtes noſtros.* Imo vero potius ipſemet Chriſtus Dominus ſcutum noſtrum eſt,& protector vitæ noſtræ ſimul & ſanctiſſimus gladius, quo ab omni malo defendimur, & proſtratis, calcatiſque hoſtibus,ſalutem conſequimur, & glorioſum triũphum. Beatus ergo Chriſtianus populus, qui hac eſurie,& ieiunio Chriſti,tot virtutes,tam mira potentiſſimi arma, tantam denique gloriam adeptus eſt. Libet profecto de populo Chriſtiano dicere illud, quod de populo Iſrael,inter alias benedictiones eius, Sanct.

Deuter.33. Moyſes in Deuteron.dicit: *Beatus es tu, Iſrael: quis ſimilis tui, popule, qui ſaluaris in Domino? Scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Ipſi Chriſto ſit gloria Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat,&c. Amen.

# DE TRANSFIGVRATIONE CHRISTI DOMINI.

## CONCIO PRIMA.

*Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos.* MATTH. 17.

POST sacrum Christi ieiunium, post tentationem, post pugnam eius in deserto, recte, & consequenter subsequitur claritas, & gloria Transfigurationis eius in monte: vt fidelis inueniatur sapientissimus Salomon in Prouerbiis, quando dixit; *Gloriam praecedit humilitas.* Et iterum; *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Vnde similiter recte, & consequenter, obtinuit vsus Romanae Ecclesiae, vt prima Dominica Quadragesimae legatur in Ecclesiis Euangelium de ieiunio, & tentatione Christi: & statim, sequenti Dominica 2. legatur Euangelium de gloriosa Transfiguratione eiusdem. Quod Euangelium singulari quadam ratione, & conuenienti appropriatione posset à nobis appellari *Euangelium gloriae beati Dei*, vt vtamur verbis D. Pauli, epistola. 1. ad Timotheum. 1. Prouerb. 15. & 29.

Ait ergo sanctum Euangelium. *Post dies sex, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.* Conuenienter satis post dies sex ascendit in montem Dominus: in quo gloriosus apparere voluit, & decorem diuinae claritatis assumere: nam, vt Moyses (vt ex libro 1. Timot. 1.

Exod. 24. Exodi constat) post sex dies ascendit in verticem mōtis Sinai, *Vbi erat species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis* Nec nos conturbet, quod S. Lucas dixit, *Post dies octo.* Hanc enim apparentem discordiam, ad concordiam reducunt sancti Patres: August. lib. 3. de doct. Christia. cap. 35. & Epiphan. lib. 2. cōtra hæreses cap. 69. circa finem. Qui dicunt, Mattheū non numerasse diem, in quo sermonem ad discipulos dixit, neque diem, in quo opus perfecerit, sed intermedios sex plenos dies, Lucas vero numerauit etiam ipsos duos extremos dies, non quidem plenos, sed partem nouissimam diei, in quo Christus prædixit futurū, & partem primam diei, in quo id ostendit impletum. Accepit enim partem pro tota die. Et propterea S. Lucas non absolute dixit, *Post dies octo,* sed ait, *Factum est autem post hæc verba fere dies octo*: vt significaret, dies intermedios, & plenos, tantum fuisse sex, vt Matthæus, & Marcus affirmant. Quod si spiritualem sensum desideramus huius numeri senarij ante ascensum in montem, & Transfigurationem: hoc significare voluit Spiritus sanctus, non esse nobis quærendam altitudinem perfectionis, aut requiem diuinæ contemplationis, claritatis gloriam, nisi post multos exhaustos labores, post varias perpessas tribulationes, post multa virtutum opera perpetrata Hæc namque omnia senario isto numero significantur, quasi dispositiones præuiæ ad ascensum montis, & transfigurationem. Seruus Hebræus, sicut habes in Exod. sex annis seruiebat, & posteà egrediebatur liber. Quod referēs Greg. hō. 3. super Ezech. docet, prius per opera vitæ actiuæ, Deo & hominibus seruiendum esse, vt posteà ad libertatem filiorū Dei possit perueniri. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbathum Domini est,* sicut in Exod Deus dixit: vt intelligamus, per multarum virtutum opera ad Sabbathum requietionis nos posse pertingere, non vero anteà Mirabile profecto est, quod Spiritus sanctus per Ezech. Prophetam nos docuit. Ait enim *Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit, die autem Sabbathi aperietur.* Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, ingressum significat ad altam

Margin notes: Luc. 9. August. Epiphan. Marc. 9. Exod. 21. Gregor. Exod. 20. Ezech. 46.

quandã contemplationem diuinæ claritatis Dei: qui tãquã verus sol iustitiæ in interioribus animæ oriri solet, iuxta quod Dauid dicit, *Lux orta est iusto, & rectis corde letitia*: & Malachias Propheta *Orietur vobis, timentibus nomen meum, sol iustitiæ.* Sed hanc orientalem portam, clausam nobis voluit esse Dominus illis sex diebus, quibus laboriosa opera virtutum exercere oportet, vt ad optatum Sabbathum quietæ contemplationis rite perueniamus, in quo hęc orientalis porta fœliciter nobis aperiatur. Denique quod post multas tribulationes ad quietem huius gloriosi montis conscendendum nobis sit, Sanctus Iob insinuauit, quando dicit, *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum: & scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, &c.* Deus enim non solum bonis virtutum operibus, sed etiam multis præsentis vitæ laboribus, & tribulationibus, nos exercet, antequam ad illius Sabbathi quietem perueniamus, in qua iam nos malum non tangat, & desideratam diuinę contemplationis pacem habeamus cum Deo.

*Psal. 98.* *Malach. 4.* *Iob. 5.*

*Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.* Sicut colligere possumus, ex doctrina Chrysost. homilia 57. super Matthæum, & Diui Thomæ 3 parte, quæstione 45. artic. 3. ad 4. propterea hos Apostolos Christus assumpsit quia erant maiores collegii & pauci Huiusmodi enim viris sunt alta mysteria manifestãda, vt ipsi postea aliis inferioribus tradere possint, & fiat quod scriptum est, *Suscipiant montes pacem populo*: & quemadmodum in cœlesti Hierarchia Deus sua mysteria superioribus spiritibus reuelat, vt ipsi postmodum illuminent, ac doceant inferiores: ita etiam & Christus in hac manifestatione suæ gloriæ istos tres supremos Apostolos secum assumpsit: quibus eam reuelaret: vt ipsi posteà, non solum cæteros Apostolos, sed etiam vniuersos fideles illuminarent, ac docerent. Vnde Diuus Petrus postea vniuersos fideles docuit mysterium istud, inquiens, *Non indoctas fabulas sequuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præscientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, &c.* Et D. Ioa. *Vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre.* Atq; hæc modo sicut S. Dauid nos docuit, gloriosum il-

*Chrysost.* *D. Thom.* *Psal. 71.* *2. Petr. 1.* *Ioann. 1.*

lud vnguentum, quod fuit in Christo capite, *descendit* non solum *in barbam Aaron*, sed etiam *in oram vestimenti eius*, hoc est, non solum in hos Apostolos, quos eminentiores, & fortiores, in barba intelligimus (vt Augustinus dicit, lib. 2. contra literas Petiliani, capite 104.) sed etiam in cæteros fideles, qui eis adhæserunt, atque eorum doctrinam Euangelicam, & Apostolicam susceperunt.

Psal. 132.

August.

*Et adduxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos.* Bene profecto de Christo prædixerat sapientissimus Salomon in Ecclesiastico, *Mirabilia opera Altissimi, gloriosa, & absconsa, & inuisa opera illius.* Obseruandum est enim maxime, quanta attentione, quam solerti cura, Christus Dominus elegit locum, in quo manifestaret gloriam suam, & simul testes, quibus manifestaret. Assumpsit enim secum tres tantum Apostolos, ipsosque præcipuos, & electos ex omnibus, & quos sciebat cæteris præstantiores in fide & dilectione futuros esse, & secretorum suorum, magis obseruatores. Hos autem assumpsit, & adduxit in montem excelsum seorsum: & vt alius Euangelista dicit *seorsum solo*, vt ab hominum conspectu, & consortio remotissimi essent, sicque gloriosum istud opus Transfigurationis eius absconditum, & inuisum esset oculis omnium aliorum viuentium. Propterea de Christo Domino prædixerat Esaias, *Erit homo occultans sermones suos.* Sic enim legunt Septuaginta: siue vt alia lectio habet, *occultans spiritum suum:* quia futurum erat, vt Christus Dominus occultaret turbis hominum miraculosa opera, & gloriam, ac diuinitaté suam, dum adhuc mortalem vitã ageret: nè qua via impediri posset opus nostræ redéptionis, & magnũ pietatis sacramentũ. Et propterea hoc loco testibus suæ Transfigurationis secretissimum indixit silentiũ quemadmodum, & præcedẽti capite, cũ D. Petrus agnouisset eius diuinitatem, atque eam confiteretur, dicens, *Tu es Christus Filius Dei viui*, subdit Euangelista, *Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus.* Simul etiam saluberrimum documentum nobis præbens suo exẽplo vt spiritualia bona nostra, & virtutũ opera, solicite abscõdamus ab oculis hominũ: nè forte inanis gloriæ, aut

Eccli. 11.

Marci. 9.

Esai. 32. secundum Septuag.

Matth 16.

vanæ laudis vento ex sufflata euanescant, & pereant. Vnde Editio vulgata sic habet, *Et erit sicut vir, qui absconditur à vento: & celat se à tempestate.* Fauores enim populares, adulationes, & applausus hominum, aura quædam sunt, & ventus, imo & tempestas? quæ sicut vẽtus bona nostra opera, & virtutes, & alia Dei beneficia in altũ sustollunt, & quasi puluerem, aut fumũ, dispergunt, & euanescere faciunt, & perire, ita vt possimus vnicuique istorum dicere cum Salomone in Ecclesiaste, *Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum?* Esai. 32. Ecclef. 5.

*Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Si nomine faciei, & vestimentorum, intelligamus diuinitatem, & humanitatẽ Christi, cum Epiphanio, lib. 2. contra hęreses ca. 69. circa finem, & aliis, significare voluit diuinitatem Verbi, quę in Christo erat abscondita, mirabilem quendẽ suæ claritatis fulgorem demonstrasse in facie Iesu Christi, simulq, humanitatẽ eius, quæ velut Verbi quoddã vestimentũ erat, suam gloriam, atq; mirabilem candorẽ ostendisse ex diuinitatis, atque animę beatæ claritate dimanantem. Et fortasse (vt ad mores accommodemus sermonẽ) docere nos voluit Christus, quodquãdo anima hominis, siue conscientia (quæ velut facies eius est, vt Chrysostomus docet, homil. 15. Imperfecti) fuerit lucida, & splendida per puritatem, & sanctitatem, statim vestimenta, quæ sunt opera, & exempla exteriora, erunt candida, & pura, atque alba, sicut nix. Nam teste Salomone in Ecclesiastico, *Amictus corporis enũtiat de homine.* Et teste Aristotel. 4. Ethicorum c. 7. *Qualis quisque est, talia sunt eius facta, & oratio, & vita.* Quemadmodum ergo sol nõ ita tegitur nube, quin in ea aliquid absconditę claritatis appareat: & ignis non ita potest abscondi in sinu hominis, quin vestimenta eius aut calida sint aut ardeant, quemadmodum Salomon dicit in Prouerbiis, *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu, vt non ardeant vestimenta eius?* Ita etiãfieri nõ potest, vt anima, & conscientia hominis, splendida sit luce diuinæ gratiæ aut quod ignis, & feruor diuini amoris in sinu cordis absconditus sit, & accensus, & quod illa interior lux animæ, & inclusus ardor cordis, in operibus, & exẽplis, quasi in vestimentis nõ appareat, & manifestetur, Epiphan. Chrysost. Eccli. 19. Aristot. Prouer. 6.

Sed quia in plerisque hominibus anima sine vllo splẽdore gratiæ, est obscura & denigrata: propterea & eorum bona opera, & exempla Christanis hominibus digna nec videmus neque agnoscimus: ita vt possimus dicere, & lamentari cum Hieremia, *Denigrata est facies eorum super carbones: & non sunt cogniti in plateis* Quoniam eorum mens, & cõscientia, ita sunt destitutæ claritate gratiæ & ardore charitatis, vt per exteriora opera vix eos fideles ac Christianos esse cognoscamus. *Quomodo obscuratum est aurum* (ait eodem loco Hieremias) *Mutatus est color optimus:* Quo loco, auri nomine, fidelem intelligit (sicut D. Greg. lib. 17. Moral. cap. 26. inquit) sed *Hoc aurum obscuratum esse doluit Propheta, quia in quibusdam claritatem innocentiæ versam in culpæ nigredinem vidit*. Et quo consequutum est, vt mutatus sit color optimus: quia exterior sanctitatis color, & virtutum habitus, qui in bonis operibus, & exẽplis, apparere debuit, per praua, & terrena, atque abiecta opera, in despectionem atque ignominiã mutatus est, atque cõuersus.

*Threnor. 4.* *Threnor. 4.* *Gregorius.*

*Et apparuerunt illi Moyses, & Elias, cum eo loquentes.* Plures, & egregias rationes adducit D. Thomas 3. par. quæst. 45. art. 3. ad 3 & nonnullas D. Chrysostomus, homil. 57. super Matth. quæ apud ipsos perspicuæ sunt propter quas conueniẽs fuit, vt Christus Dominus hos duos Patres veteris testamenti adduceret testes suæ Transfigurationis. Sed prẹter illas, alia ratio est, quæ colligitur ex Irenæo, lib. 4 contra Valentinum, cap. 37. & ex Origene, homil. 12. super Exodum, & hom. 7. super Numeros: quod propterea adduxit Moysem, vt compleret illi promissionem factam in Exodo, *Pertransibit gloria mea, & posteriora mea videbis*, per posteriora intelligens has posteriores Christi glorias, quas Christus habuit in sua Transfiguratione. Elias autem in monte, vt 3. Reg. constat, transeunte Domino *Operuit vultum suum:* fortassis quia maluit in hoc monte facie ad faciem cũ Christo apparẽte in gloria cõuersari, & videri in maiestate, & gloria, non solũ ipsius Christi sed etiã in propria ipsorũ maiestate, & splendore sicut S. Lucas dicit, *Moyses, & Elias visi in maiestate*. Diuus Ambrosius, super Psal. 118. serm. 21. dicit, quod ideo cum Moyse, & Elia, nobis apparuit: quia

*D. Thom.* *Chrysost.* *Irenæus.* *Origenes.* *Exod. 33.* *3. Reg. 19.* *Luc. 9.* *Ambros.*

à Iudæis recessit, à quibus & legem, & Prophetas abstulit. Præterea etiam, si vera esset sententia, quam refert Diuus Hilarius, Cano. 20. super Matth. & in eam magis inclinat, quod Moyses simul cum Elia, passurus est mortem propter fidem Christi temporibus Antichristi, de quibus ser est in Apocalypsi, vbi vocantur *Duo testes Christi*, posset dici, quod propterea voluit Christus, eos esse testes suæ gloriæ in Transfiguratione, quia postea futuri erant fidissimi testes suæ diuinitatis, & gloriæ in Hierusalem, ita vt pro illa, morte turpissima occidendi sunt. *Hilarius.* *Apoc. 11.*

Quod vero S. Matthæus dicit, eos apparuisse *loquentes cum Iesu*, S. Lucas declarauit, inquiens: *Et dicebant excessum, quem completurus erat in Hierusalem*: vbi *excessum* vocat ipsam Christi mortem, per quam ex hac vita mortali excessit. Vnde Cyrillus in Esai. c. 7. & Hieronymus, libro 2. contra Iouinianum, cap. 10. legunt, *Loquebantur de exitu*, hoc est, de morte, quam passurus erat pro salute hominum. Et fortassis passio, & mors Christi dicitur *Excessus*: quia excessus quidem fuit, & amoris Christi erga nos, & dolorum, atque tormentorum, quos ille sustinuit propter redemptionem nostram: ita vt Paulus vocauerit Charitatem Dei, qua dilexit nos, *Nimiam*, id est, excessiuam: & Bernardus, in ser. de Passione, dixerit, *Vere nimiam, quia & mentem excedit, modum superat, plane supereminens vniuersis.* Et in sermone de duobus discipulis euntibus in Emaus: *Vere, Domine, nimis excessisti: quia cum sis splendor paternæ gloriæ, & Dominus maiestatis, trementibus elementis, cæli luminaribus obscuratis, & stupentibus Angelis, pati dignatus es tormentum abiectissimæ passionis. Vere fuit excessus, cum dedisti genas tuas vellentibus, cum faciem tuã non auertisti ab increpantibus, & conspuentibus, quando cum iniquis es deputatus.* Hæc Bernardus. Magnus profecto excessus iste amoris Christi erga nos: qui efficere potuit, vt inter gaudia simul, & gloriam suæ claritatis, non posset obliuisci dolorum, & malorum, quæ passurus erat in Hierusalem pro nostra consolatione, & salute: quasi diceret cum Dauid: *Si non proposuero Hierusalem, in principio lætitiæ meæ.* Hæc enim Transfiguratio Domini, principium fuit lætitiæ eius; quia nullibi legimus, ip- *Luca. 9.* *Cyrillus.* *Hieronym.* *Ephes. 2.* *Bernard.* *Psalm. 136.*

sum antea assumpsisse statum lætitiæ, & gloriæ, sed in hac die gloriæ, & lætitiæ cordis eius, proposuit Hierusalem, & omnia mala, quæ in ea passurus erat: vt etiã hoc modo ostenderet excessum amoris, quo dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis Et quis vetat, quod etiam loquerentur de morte, & de excessu, quem Elias saltem completurus erat in Hierusalem, moriens pro fide, & gloria Iesu Christi: in illa, inquam Hierusalem, quæ occidit Prophetas in qua & Dominus eorum crucifixus est? Denique Origenes, homi. 7. super

Origenes. Numeros, dicit, quod *Forte hoc erat, quod cum Domino Iesu Christo Moyses colloquebatur, cum in monte transformatus est petens ab eo, vt cum plenitudo gentium introisset, tunc omnis Israel saluus fieret.*

Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum, *Domine bonum est, nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Quid culpatur beatissimus Apostolus Petrus, qui hanc mirabilem Christi gloriam videns, cum esset cum illo in monte sancto, transiuit in eum cordis affectum, vt iam nollet de monte descendere, inquiens: *Bonum est, nos hic esse? Qui enim dicit, Bonum est nos hic esse* (ait Gregorius, lib.

Gregor. 2. cap. 4. commentariorum, super 1. librum Regum) *si posset, ab illa visione tantæ gloriæ nunquam deponi voluisset. Quod vero Petrus, quasi nesciens quid diceret, ab alio Euangelista reprehenditur, sciendum est, quod Sanctus Euangelista non affectum Petri, sed rationem reprehendit: quia cum Domino assumptus in gloria seorsum, sic esse semper cupiebat & pro redemptione communi, eum, ad ignominiam crucis descendere nolebat. Nesciebat, ergo quid diceret, sed ardenter, quod videbat, amabat: quia profecto tantum bonum videbat quod sic non amari nullatenus poterat. Vnde etsi iuste Petrus reprehenditur, tamen rationabiliter indulgetur: quia amore*

Eccle. 42. *tantæ maiestatis perfruitionem vincebatur.* Et quemadmodum Salomon in Ecclesiastico dicit: *Quis satiabitur videns gloriam eius?* Hinc colligunt Sancti Patres, maxime vero Diuus Ambrosius, lib. 3. epistol. epist. 11.

Ambros. ad Irenæum, & libro de Isaac & anima, cap. 8 & Diuus

Chrysost. Chrysostomus, epistol. 5. ad Theodorum lapsum, quod *Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorũ omnia continuo reiecit ab animo propter voluptatẽ inditam*

*animæ à tali aspectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regiis cubiculis adapertis contueri licebit ipsum Regem: non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem, non amplius per fidem, sed per speciem?* Quanto enim incomparabilior est illa diuinitatis gloria, & lux inaccessibilis: quam si quis viderit, quid aliud concupiscat? Non regna, non facultates, honores, aut gloriam, sed fiet, quod scriptum est: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* *Psalm. 16.*

Quod vero subdit Petrus, *Faciamus hic tria tabernacula, &c.* profecto nesciebat, quid diceret: & sicut docet D. Isidorus, lib. 3. de Summo bono, cap. 16. *Merito reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte figere cogitauit: quia sanctis viris in hoc mundo tabernaculum non est quibus patria & domus in cælo est*, sicut Apostolus scribit ad Hebræos, *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Et ad Corinth. scribit, *Ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cælis.* Propterea apud Sanctum Iob de viro iusto dicit: *Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis*: quia (vt Gregorius dicit lib. 30. Moral. cap. 12.) *Sancti viri, quandiu in huius vitæ tabernaculo degunt, ad supernam patriam desideriis suis, quotidianis æstibus accenduntur: ideo in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur. Incessanter quippe accenduntur, vt sitiant, sitiunt, vt satientur.* Væ autem illis, quibus permittit Deus tabernacula habere in terra voluptuosa & fertili, huius vitæ fallacis, & peritura: de quibus S. Dauid dicit, *Tabernacula eorum in progenie, & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis.* Non enim fixa sunt hæc tabernacula, & permanentia, neque in terra viuentium collocata, sicut illa dilecta tabernacula Domini virtutum: atque adeo cum ablata ab illis fuerint per miseram mortem, & conuoluta quasi tabernacula pastorum, quæ nullo loco subsistere, & diu permanere non possunt. tunc, cum sepulti fuerint in inferno, *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*, sicut Dauid dicit. Et quemadmodum dicit sanctus Iob: *Hæc sunt tabernacula iniqui: & iste locus eius, qui ignorat Deum.* Vbi Gregorius, libro 14. Moralium, cap. 11. concludit in hæc verba, *Eat igitur nunc iniquus, & multis apparatibus tu-*

*Isidorus.* *Heb. 13.* *2. Cor. 5.* *Iob. 39.* *Gregor.* *Psalm. 64.* *Psalm. 48.* *Iob. 18.* *Gregor.*

*midus, sua hic tabernacula construat, nomen gloriæ extendat, rura multiplicet, seque abundantibus opibus delectet: cum vero ad supplicia æterna perueniet, profecto cognoscet, quia hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum.*

*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Diuus Athanasius, Oratione quadam contra Arrianos, obseruat, quod *Non dilectus, quasi hunc diligat, alios autem filios odio habeat, sed vt significet Filium naturalem vnicum, & solum: quemadmodum Genesis 22. dicitur: Tolle Filium tuum dilectum, Isaac, &c.* Et Diuus Ambrosius, in tit. Psalm. 45. & lib. 1. de Fide, capite 5. similiter dicit. *Quid est, Hic est Filius meus dilectus? Hoc est. Noli errare, Simon Petre, vt seruulis Filium Dei conferendum putes. Hic est Filius meus: non Moyses filius, non Elias filius. Vbi gloria Domini omnia regentis ostenditur, seruulis splendor absconditur. Namque omnia stellarum lumina sub exorto Sole euanescunt. Quomodo ergo sub æterno Sole iustitiæ, atque illo fulgore diuino, videri poterant stellæ carnales? Alij ministerijs suis Deo placere festinant: hic solus est verum lumen æternum, in quo beneplacitum est mihi. Ipsum audite dicentem, Ego, & Pater, vnum sumus. Non dixit: Ego, & Moyses, vnum sumus. Non dixit, sibi, & Eliæ, vllum diuinæ gloriæ, esse consortium, &c* Hæc ex Ambrosio. Nam Diuus Gregorius, homil. 8. super Ezechielem, aliter intelligit illa verba, *In quo mihi bene complacui.* Quoniam Deus *In cæteris hominibus sibi displicuit, quos peccatores vidit: vnde quasi pænitendo, quod creasset illos, & quasi sibi displicendo, dicebat, Pænitet me fecisse hominem. In solo autem sibi vnigenito Domino nostro Iesu Christo, complacuit: quia hunc inter homines hominem creasse, eum non pænituit omnino, in quo peccatum nullo modo inuenit: sicut de illo per Psalmistam dicitur Iurauit Dominus, & non pænitebit eum. In solo ergo sibi Redemptore nostro complacuit Pater: quia in solo non inuenit culpam, in qua se reprehendat, quasi per pænitentiam.* Et propterea de Christo dicit Pater per Esaiam, *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus: complacuit sibi in illo anima mea.*

*Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, &*

Athanas. Genes. 22. Ambros. Ioan. 10. Gregor. Genes. 6. Psal. 109. Esai. 42.

*timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos: dixitque eis, Surgite, & nolite timere.* Sancti Apostoli maiestatem gloriæ Christi contemplantes, ab ipsa gloria velut oppressi sunt, & paternæ vocis admirabili sonitu, quasi tonitruo magnitudinis eius conterriti, in faciem ceciderunt: quasi vnusquisque eorum diceret cum Propheta, *Domine, audiui auditionem tuam, & timui.* *Erant enim timore exterriti*, vt Sanctus Marcus Euangelista dicit. Huius autem timoris, & terroris causam D. Gregorius in commentarijs, super 1. Regum, lib. 2. cap. 4. assignat: nè magnitudine illius cœlestis visionis Petrus cum alijs Apostolis extolleretur. Ait enim, *Illa interna maiestatis ineffabilis pulchritudo, electam mentem, cui se delectabiliter ostendit, aliquando mirabili pauore concutit: ne de visionis magnitudine ad elationem prosiliat, si eam, quam blanda contemplatio ad tam summa euehit, prouector suus spiritus, timoris moderamine non refrenat: in vna quidem & eadem reuelata gloriæ visione, & bonitas redemptoris aspicitur ineffabiliter blandiens, & æquitas illius ineffabiliter terrens: vt quo videntis animus de respectu Dei bonitate dulcius pascitur, consideratione æquitatis territus caueat, ne inaniter satietur.* Hæc Greg. sed ipsemet Dominus qui timorem Apostolis salubriter incussit, statim benigne, & misericorditer excussit, inquiens, *Surgite, & nolite timere.* Abacuc. 3. Marci. 9. Gregor.

*Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Quia (sicut Hieronymus eodem loco animaduertit) per Christum cessatura erat lex, & Prophetæ. Propterea enim dicit Apostolus ad Romanos 10. *Finis legis Christus*: quia lex & Prophetæ, qui vsque ad Ioannem peruenerunt, in Christo finem habent: & ad salutem consequendam iam neminem videmus, nisi solum Iesum. *Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu*, vt in Actis Apostolorum dicitur. Hierony. Rom. 10. Actor. 4.

Sed vt moralem sensum exquiramus, obseruandum est, quod Sanctus Marcus dicit, *Neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum.* Proculdubio Apostoli, antequam caderent in faciem suam, videbant Moysem & Eliam secum: sed postquam conciderunt, iam eos non viderunt amplius, sed solum Iesum: vt agnoscant homines, quantum distet inter amicitiam Christi, Marc. 9.

& aliorum hominum erga nos. Alios enim homines, etiam si quispiam Moyses, aut Elias fuerit, dum omnia tibi prospera succedunt, habebis socios, & comites, & amicos: at, si aduersitate aliqua succedente cecideris, statim neminem eorum videbis. Disparebunt enim, & auolabunt. *Vt enim hirundines* (ait Cicero, libro quarto, ad Herennium) *astiuo tempore praesto sunt, frigore pulsae recedunt, ita falsi amici, sereno vitae tempore praesto sunt, simul atque fortunae hyemem viderint, deuolant omnes.* Quid vero, si amici fuerint, qui solius sui commodi gratia amicitiam exercent? Statim vt commodi, & vtilitatis ratio cessauerit, non apparebunt amplius. Nam quemadmodum locustae, dum frigore, & hyeme premuntur, in saepibus resident, cum vero calor solis aduenerit, statim loca illa deserunt, atque auolant: ita isti amici, & socij, quos propria lucra, & commoda conciliant, vbi ipsa commoda cessauerint, non permanebunt tecum. Vnde per Nahum Prophetam Dominus dicit: *Custodes tui, quasi locustae, quae considunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, & auolauerunt.* Solus ergo Christus Iesus, verus, ac fidelis amicus est, qui omni tempore diligit: qui omnibus diebus nobiscum est; non solum tempore foelicitatis, sed etiam tempore necessitatis, & aduersitatis. Qui per Esaiam dicit; *Cum transieris per aquas, tecum ero.* Et per Dauid: *Cum ipso sum in tribulatione.* Et iterum: *Si ambulauero in medio vmbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Non ergo confidamus in hominibus, in quibus non est salus. Amici, & fratres, & ipsi parentes, nos deserent, sed Christus Dominus semper nobiscum erit: sicut & Dauid alio loco dicit, *Pater meus, & mater mea, dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

Cicero. Nahum. 3. Esay. 43. Psalm. 90. Psalm. 22. Psal. 26.

*Et descendentibus illis de monte, praecepit illis Jesus dicens, Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Prudentissime Christus silentij ac secreti mandatum dedit Apostolis: quoniam mysteria coelestia securius, & vtilius in secreto cordis seruantur, quam in publicum prodeunt: sicut Angelus ad Tobiam dixit, *Sacramentum Regis abscondere, bonum est.* Deinde etiam cauere voluit, ne qua ratione daemones, aut Iudaei, gloriam diuinitatis eius agnoscerent. *Si enim cognouissent,*

Tob. 12.

*uissent* (vt Paulus dicit) *nunquam Dominum gloriæ crucifi-xissent*. Vide ergo, quantum nos dilexit Christus, & quanto amore pro nobis animam posuit: qui gloriam, & maiestatem suam, absconditam esse voluit, ne impediretur eius passio, propterea quod futura erat nostra salus, & redemptio. Codrus Atheniensium Rex, nunquam satis à Scriptoribus laudatus est, propterea quod (vt Augustinus refert, libro 18. de Ciuitate. capit 19 & Lactantius, lib. 3. Diuinarum institut capit. 12.) in bello occultauit habitum Regium (sicut etiam de Rege Achab legitur 3. Regum 22.) & indutus est communi veste, & vili habitu: vt hoc pacto occideretur ab hostibus, & eius patria liberaretur, pro qua non timuit mori. Quanto ergo magis Christus, Rex Regum, omni laude dignissimus est, & maior omni laude: qui omnibus diebus vitæ suæ gloriam diuinitatis, & maiestatem abscondit, & secreto ab Apostolis seruari voluit, vt melius pati posset pro salute humani generis & mori, donec à mortuis resurgeret, & sic intraret in gloriam suam Ipsi sit gloria cum Patre & Spiritu sancto, &c. Amen.

*1. Cor. 2.* *August.* *Lactant.* *3. Reg. 22.*

## DE TRANSFIGVRATIONE Christi Domini.

### CONCIO II.

*Assumpsit Iesus, Petrum &, Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelsum seorsum: et transfiguratus est ante eos.* MATTH. 17.

QVemadmodum præcedenti Concione dicebamus, post ieiunium Christi Domini, quod in deserto, per quadraginta dies continuos seruauit, recto ordine consequitur gloriosa eius Transfiguratio, quæ in oratione ipsius ad Deum facta est. Vnde & merito secum assumpsit Moysem, & Eliam, in testes, & socios suæ gloriæ: qui similiter quadraginta dies ieiunauerunt, & postmodum in monte orantes, conuer-

sati sunt cum Deo, & adepti participationem quandam similitudinis gloriæ eius. Moyses enim, vt in Exodo constat, ieiunauit per quadraginta dies, panem non comedens, & aquam non bibens: & postea loquutus est cum Deo in ipso montis vertice: vbi & facies eius splendida facta est ex consortio, & colloquio Domini. Elias autem (vt 3. libro Regum constat) quadraginta diebus ambulauit in fortitudine cibi, quem ab Angelo acceperat: & post illud quadragenarium ieiunium, peruenit vsque ad montem Dei Oreb: in quo monte loquutus est cum Deo, & suscepit suauissimum illum sibilum auræ tenuis. Hanc doctrinam insinuauit Diuus Augustinus Tract. 17. super Ioannem vbi docet, quod Christus Dominus in monte, in quo se ostendit discipulis in claritate vultus, & vestis suæ, apparuit medius inter Moysem, & Eliam: tanquam Euangelium testimonium haberet à Lege, & Prophetis. Et statim subdit, *Siue ergo in lege, siue in Prophetis, siue in Euangelio, quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur.* Et magis aperte Diuus Hieronymus, libro 2. contra Iouinianum, capite 10. vbi dicit, *Quamobrem & Dominus noster, atque Saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant, sed ob ieiuniorum consortia, Moysem, & Eliam, transfiguratus in monte, secum ostendit in gloria.* Voluit ergo Christus Dominus, simulque sancta mater Ecclesia, his exemplis docere nos, quod præparatio necessaria, & conuenientissima ad orationem, & colloquutionem cum Deo, est sanctum ieiunium, quo anima pulchrior fit, & facies eius splendidior, quam antea erat. Danielis 1. legimus, quod quod cum Daniel, & socij eius comedissent legumina, & aquam bibissent decem diebus, *Post dies decem, apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo Regio.* Et propterea bene dixit D. Basil. ser. 2. de ieiunio. *Quantum carni detrahis, tantum facis animam spirituali bona valetudine relucere. Bona est oratio cum ieiunio,* ait S. Raphael apud Tobiam: quia si ieiunium præcedat orationem, & eam comitetur, efficit animam pulcherrimam, ea pulchritudine, quam illi tribuit oratio ad Deum. Quoniam

*Exod. 34.* *3. Reg. 19.* *August.* *Hieronym.* *Daniel. 1.* *Basilius.* *Tobiæ. 12.*

anima sine oratione, non potest esse pulchra, & splendens, sed obscura, atque deformis. Diuus Chrysostomus, libro 1. de oratione, dicit, quod anima sine oratione, est sicut corpus sine spiritu: & quemadmodum corpus sine spiritu, frigidum est, & deforme, ita anima sine oratione calorem, & feruorem spiritualem non habet, fœda est, & sine vllo cœlesti splendore. Et quemadmodum mundus iste sine Sole, & luce, obscurus est, & sine colore, quoniam nox omnibus rebus colorem aufert, & fiunt quasi nigræ, atque deformes, ita animæ sine oratione, & colloquutione cum Deo, qui est Sol iustitiæ, & lux vera, sunt velut sine colore, & splendore aliquo: si vero assidue cum Deo conuersentur familiariter in oratione, statim relucet in facie earũ color optimus, & splendor, atque lætitia spiritualis, quæ pulchriorem ipsam efficiunt. Vnde, & de Christo dicit S. Lucas, *Cum oraret, facta est species vultus eius altera.* Quamuis enim omni tempore Christus Dominus esset *Speciosus forma præ filijs hominum* (sicut Dauid eum vocat in Psalmo) nihilominus tamen in oratione positus, maiorem, & excellentiorem vultus sui claritatem & pulchritudinem ostendere voluit: vt doceret nos hoc, quod dicimus, quod per orationem, & diuinum colloquium, adquirit anima nouam pulchritudinem, & claritatis splendorem: eo quod, sicut Diuus Ambrosius dicit, super Psalmo 43. *Dei vultus, quem spectat, illuminat, qui est fulgor æternus animorum.* Vnde & Dauid nos admonet, inquiens, *Accedite ad eum, & illuminamini: et facies vestræ non confundentur.* Nam qui per orationem puram, & altam, accedunt ad hunc solem iustitiæ, & Dominum gloriæ (oratio enim, teste Damasceno, libro 3. de fide cap. 24. *Accessus quidam est, siue ascensus mentis in Deum*) statim intus mirabiliter illuminantur diuina luce, & facies eorum pulchriores, & formosiores fiunt participatione pulchritudinis, & gloriæ, quam contemplantur resplendentem in facie Iesu Christi: quemadmodum Moyses, & Elias, visi sunt in maiestate, & apparuerunt in magna gloria ex consortio Iesu Christi, cuius facies resplenduit sicut sol. *Et facta est* (inquit) *species vultus eius altera.* Hoc est, alterius pulchritudinis, & splendoris. Da mihi hominem, qui

*Chrysost.* *Lucæ. 9.* *Psalm. 44.* *Ambrosi.* *Psal. 33.* *Damasc.*

nique completur in illa, quod per Esaiam prædictum est, *Implebit splendoribus animā tuam*. Nam facies animę viri iusti, qui in oratione assidue assistit ante Dominum plena est pulchritudine, ac splendoribus omnium virtutum: ita vt possimus ei dicere cum Regina Hester, *Valde mirabilis es, & facies tua plena est gratiarum*. Esai. 58. Hesth. 15.

Sed quoniam, iuxta doctrinam Apostoli, quam scribit ad Corinthios, *Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*, & ministri eius transfigurant se in ministros iustitiæ: quod in oratione contingere solet, aut ex illusione Sathanæ, qui multos decipere sua maligna luce solet: aut quia nonnuli ex propria malitia fingunt, se orationis lucem habere, quam non habent, & mentiuntur, se videre claritatem, quam non vident (siquidem, vt in Ezechiele Propheta dicitur, *Sequuntur spiritum suum, & nihil vident*) & hoc suo mendacio multos decipiunt, simulantes sanctitatem, quam non habent, & in hypocrisi loquentes mendacium, & somnia sua: vt cognoscamus, & discernamus, quæ oratio, & transfiguratio sit secundum spiritum IesuChristi, quæ vero sit secundum spiritum Sathanæ: oportet colligamus ex ipso Euangelio iuxta doctrinam sanctorum Patrum, signa, & effectus, quibus probari possit: quæ oratio vera, & sancta, & à Spiritu sancto sit quæ vero falsa, & illusoria, atque à spiritu vanitatis, erroris que, procedat. Nam S. Ioan. in 1. Cano, nos admonet, inquiens, *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt*. 2. Cor. 11. Ezech. 13. 1. Ioan. 4.

Primum ergo signū est in illis verbis, *Post dies sex, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem: & adduxit illos in montem excelsum seorsum*. *Post sex dies*, inquit: quia ante ascensum montis, & altitudinem orationis, in qua facies resplendeat luce diuinæ contemplationis, oportet hominem vniuersa temporalia despiciendo pertransire, & omnia actiuæ vitæ studiosa opera exercendo perambulare, vt postmodum ad splendidam faciem orationis, gloriosamq; perueniat. Vnde per Esai. dicitur, *Anteibit faciē tuam iustitia tua: & gloria Domini colliget te*. Oportet enim, vt faciē orationis antecedat iustitia, quæ declinet ab omni malo, & despiciat terrena vniuersa, & faciat, atq; operet bona opera virtutum: & tunc gloria huius transfigurationis colliget veros ora- Esai. 58.

tores,qui Patrem cœlestē orant, & adorant in spiritu,&
Psalm.88. veritate.Sic etiā intelligi potest,quod Dauid dicit; *Misericordia & veritas, præcedent faciem tuam.* Quia faciem orationis formosæ,ac splendidæ, necesse est, vt præcedant opera misericordię erga proximos,& opera iustitiæ erga ipsum hominem, castigando carnem suam ieiuniis,& lacrymis & opera religionis erga Dei cultum. Nam si omnes istæ dispositiones ac præparationes deficiant,& anima vacua sit bonis operibus, & virtutibus facies orationis, quæ subsequuta fuerit, non à Spiritu, & luce Christi esse iudicanda est, sed à spiritu vanitatis fucata, aut à spiritu Sathanæ transfigurato in Angelum lucis,per deceptionem conficta: de quo apud sanctum
Iob 41. Iob scriptū est, *Faciem eius præcedet egestas.* In his enim, qui ea,quæ mundi sunt,concupiscunt,& virtutum opera non exercent,egestas esse dicitur: quia ipsarum virtutum,& bonorum operum diuitiis vacuantur, miseri, & pauperes apud Deum facti sunt, vanitatem mundi sectantes.Et hæc egestas in eis faciem Sathanæ præcedit: quia prius miseros homines virtutibus, ac bonis operibus vacuans,egenos efficit, & postmodum transfigurans se in Angelum lucis, simulatam, ac deceptoriam faciem peruersæ cōtemplationis,& illusoriæ orationis ostendit. Propterea Dauid bene nos admonuit,
Psal. 23. & docuit,inquiens: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Et statim ipse respondet. *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Et postea. *Hac est generatio quærentium faciem Dei Iacob.* Nam, vt debita dispositione, ac præparatione, ascendat quis in montem orationis, & stare possit in loco sancto eius (siquidem ante orationem
Eccles. 13. debet vnusquisque præparare animam suā,iuxta Salomonis mandatum)oportet,vt innocens manibus sit, ab omni opere malo cohibeat manus suas, & omnia opera iustitiæ,ac virtutum exerceat.Deinde necesse est, vt cor mundum habeat, & purgatum ab immundis cogitationibus,ac desideriis,& ab omni malitia lotum.Soli enim illi,qui fuerint mundo corde,poterunt in oratione sancta Deum videre,atque contemplari. Tandem necesse est,vt animam suam in vano non accipiat, hoc est, nullam salutis illius curam habeat, aut virtutibus,

bonisque operibus vacuam detineat, sed omni cura, ac diligentia studeat, virtutibus, & sanctis operibus, ac meritis diuitem, & plenam conseruare. Hæc enim est generatio Filiorum Dei, quærentium in oratione & contemplatione videre gloriosam faciem Dei: vt & ipsi speculatores, & participes fiant illius claritatis, & splẽdoris, videntes faciem Patris, qui in cœlis est.

Secundum signum est in illis verbis: *Resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Quando enim anima illustratur diuino radio, & clarificatur, ac resplendet in oratione: statim relucet, & apparet in candore, & munditia vestium, in exteriori conuersatione, & exemplo, & mortificatione, atque omnium virtutum exercitatione. Quemadmodum enim in Christo Domino ex gloria diuinitatis, & claritate, ac splendore animæ beatæ, redundauit etiam in carnem eius ille candor niuis (Vestimenta enim Christi carnem eius purissimam significant, vt Ambrosius dicit, libro de his qui mysteriis initiantur, cap. 7.) *Ambros.* & simul redundauit in corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia, sicut Augustinus docet super Psalm. 147. *August.* & nomine vestimentorum Christi solet etiam intelligi: qua ratione dixit Apostolus, scribens ad Ephesios, *Ephes. 5.* *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*: ita etiam in quolibet viro iusto, qui in oratione assiduæ cum Deo colloquitur, contingere solet, quod ex splendore faciei, qui est in anima per claritatem, & feruorem orationis, refunditur in exteriora vestimenta, hoc est, in exteriorem conuersationem, vitam, & mores, candor quidam, & splendor virtutum, & suauis quidam odor bonorum exemplorum: quibus tanquam signis demonstratur splendor, & claritas interior, quæ in anima sunt abscondita ab oculis hominum. Vnde merito Sponsus in Canticis dicebat Sponsæ, quam pulchram, & sine macula vocauerat: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Thus, sicut incensum, in Scriptura sacra orationem significat, quæ *Cant. 4.* ex puro corde, & ignito, ad Deum ascendit, sicut suauissimus quidam fumus incensi. Vnde Dauid in Psalmo *Psalm. 140.* dicit ad Deum: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Et in Apocalyp. sanctus Ioannes *Apoc. 8.*

vidit *Viginti quatuor seniores, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Et iterum: *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum coram Deo.* Sed profecto vbi huius incensi suauissimus fumus ad Deum conscendit continuo in ipsa vestimenta odor quidam dulcis refunditur: ita vt, quemadmodum sanctus Isaac *Sensit fragrantiam vestimentorum* filij sui Iacob, omnes fideles, qui viderint exteriora opera illius, qui intus per orationem leuauit animam suam ad Dominum, sentient huius orationis, & thuris, fragrantiam in ipsis operibus, exterioribus, & exemplis, in charitate, in humilitate, & mansuetudine, & modestia, in castitate, & cæteris omnibus virtutum operibus, quæ animam iusti multo melius, quam vestimenta, fouent, & ornant: & quando ex interiori feruore orationis procedunt, suauissimum thuris odorem redolent: ita vt aliquando fragrantia huius odoris multos post se trahat ad Christum. Quanto magis fiet, vt sanctos Angelos trahat ad ipsam animam, vt eam alloquantur, & cum ea iucunde conuersentur?

*Genes. 27.*

Sic vice versa, vbi exteriora hominis opera, & mores, quæ sunt animæ illius vestimenta, sordida fuerint, & insuauem, ac fœtidum odorem emiserint, manifestum testimonium erit, in eo homine nullam veræ orationis claritatem esse, nullum suauitatis incensum ad Angelos, & ad Deum ex eius anima conscendere. Nam, teste D. Bernardo, in epistola 42. ad Henricum: *Indisciplinata conuersatio Angelos offendere solet:* & sicut Diuus Basilius dicit in Commentariis super Psalmum 33. *Quemadmodum fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelos sanctos, vitæ nostræ custodes, praua opera, & peccata, abigere, & profligare solent.* Quanto ergo magis ipsum Deum auolare facient ab anima: cuius *Oculi,* sicut Propheta dicit: *mundi sunt, ne videant malum: & respicere ad iniquitatem non poterit?* Restat ergo, vt qualis fuerit interius anima in oratione, talis etiam sit exterior facies eius in conuersatione, & dispositione vestimentorũ, in operatione, siue bona, siue mala: quia sicut Salomon in Ecclesiastico dicit: *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala.*

*Bernard.* *Basilius.* *Abac. 1.* *Ecclef. 13.*

Tertium signum est in illis verbis: *Leuantes autem*

*oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum*. Optauerat Diuus Petrus ex magno affectu ad Christi claritatem, & gloriam, nunquam ab eo discedere, inquiens; *Domine, bonum est, nos hic esse*. Et sicut Augustinus dicit, in Soliloquiis, cap. 22. *Vnam illam dulcedinis Petrus gustauit, et omnem aliam fastidiuit dulcedinem*. Neque mirum nobis videri debet, quod anima illa, quæ sic à Christo in monte illuminata est, & gustauit bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri prælibauit, nollet de monte illo pingui descendere. Audeo enim de illa anima dicere, quod de alia simili dicit Bernardus, sermone 35. super Cantica; *Ab hoc bono si quis auertere sanctam illam animam conaretur, puto, haud secus accepisset, quam si se de paradiso, et ab ipso introitu gloriæ, conspiceret deturbari*. Deinde, audita voce de cœlo lapsa à magnifica gloria, ex affectu humilitatis, & reuerentiæ, *Ceciderunt in facies suas, et timuerunt valde*. Ac tandem in hunc effectum veræ transfigurationis deuenerunt, vt despectis omnibus, atque obliuioni traditis, leuantes oculos, neminem viderent, nisi solum Iesum. Hoc profecto est admirabile signum animæ transfiguratæ cum Christo per orationem, & contemplationem: si ita leuauit oculos suos ad contemplandam claritatem, & gloriam vultus eius, vt iam neminem videat, nisi solum Iesum. Quemadmodum enim si quis fixis oculis solem aspiciat, ita retunditur, & excæcatur acies oculorum eius, vt nihil aliud videre possit, ita etiam, qui in oratione attentissimis oculis contemplatur claritatem Christi, qui est sol iustitiæ, sic ab illius splendore hebetatur, & excæcatur, vt iam nihil eorum, quæ in mundo sunt, rectis oculis aspicere possit. *Quis fabricatus est videntem, et cæcum?* Dicebat Dominus Moysi. *Nonne ego?* Quia quos Deus in oratione, & contemplatione sui eleuat, ita efficit videntes, ac speculatores gloriæ, & maiestatis suæ, vt simul oculos eorum aperiat ad ea, quæ cœlestia sunt, & claudat, atque auertat ab omnibus iis, quæ vana, & terrena sunt. Habemus huius rei optimum exemplum in Paulo Apostolo: de quo S. Lucas refert in Actis Apostolorum, quod *Circumfulsit eum lux de cælo*, & cadens in terram audiuit vocem Christi loquentis secum. Deinde eleuatus à terra, simul eleua-

*August.*

*Bernardus.*

*Exod. 4.*

*Actor. 9.*

ru[illegible] a Deo in oratione [illegible], & contemplatione c[illegible]. [illegible] *Ecce enim* [illegible] Vt au-tem [illegible], quod hæc omnia, cælestia erat, neque [illegible], [illegible] Scriptura sacra, [illegible] *terra*, [illegible]. Ecce [illegible], quem C[illegible] præsentia, & hæc [illegible] est vi-

Ambros.

dentem, & cæcum. Nam, vt Ambros. docet, [illegible] *Caro* [illegible] *: vt* [illegible] *ocu-rum illuminare affectans. Surgens ergo a terra Paulus, ex-terioribus quidem oculis non videbat* [illegible]*, non erat: sed mentis luminibus Christum videbat* [illegible]*.* Itaque in illa oratione, & contemplatione altissima, surgens a ter-ra, iam nec terram videre dignatus, nec patriam vide-bat, nec cognatos, neque amicos, aut diuitias, aut ho-nores, aut cætera nomina vana terrena, quæ mundus conspicere, & amare solet; quin potius cum Dauid di-

Psalm. 118.
Ambros.

cebat Domino; *Auerte oculos meos, ne videant vanita-tem.* Vbi D. Ambrosius ait; *Qui in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere: cum Christus in carne sua omnes mundi huius crucifixerit vanitates?* Mundi amatores, quidquid in mundo vanitatis est, propterea vident, & diligunt, quia, more vespertilionum, oculos habent lu-cis inimicos, & obscuræ noctis amatores, de quibus

Esai.

Esai. dicit; *Væ, qui dicunt bonum, malum, & malum, bonum ponentes lucem, tenebras, & tenebras, lucem: ponentes ama-rum in dulce, & dulce in amarum.* Ea enim quæ vident; plena sunt tenebris, quæ amant, mala sunt: & quæ gu-stare appetunt, amarissima. Spirituales autem viri, qui in oratione Dei lucem eius vident, bonitatem amant, & suauitatem gustant, apertis oculis, nihil mundi hu-ius vident, sicut de sanctis Apostolis dicitur in Euan-gelio. *Leuantes oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Hæc fuit excellentia omnium sanctorum, quod cum haberent oculos apertos, & leuatos à terra, vt vi-dere possent diuitias eius, honores, dignitates, & delitias, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Hoc etiam commendat multum spirituales viros, & oratio-ni deditos: quod cum apertos habeant oculos ad vi-dendum ea, quæ in mundo sunt, nihil tamen eorum per oculos concupiscunt, nihil ambiunt; imo vero cum magnæ sanctitatis sint, adeo humiles sunt, vt neque so

ipsos videant, licet ab aliis videantur, & honorentur. Quod rarissimæ cuiusdam perfectionis est. Dicit enim Bernardus, serm. 4. super Missus est. *Non magnum est, esse humilem in abiectione. Magna prorsus, & vera virtus, humilitas honorata* Et serm. 13. super Cantica. *Magna, & rara virtus profecto est, vt magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare: hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.* Hoc tertio signo mirabiliter agnosci potest oratio, & contemplatio, quæ à Spiritu sancto procedit. Sed quemadmodũ olim Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, ita & modo multi, qui se dicunt spirituales esse, & nõ sunt, deficiunt in hoc nostro tertio signo. & ducti spiritu seductionis, & mendacij, aut fingunt, aut mentiuntur, aut simulant longas orationes, & visiones multiplicãt: cũ tamen alieni prorsus sintà veræ orationis spiritu, & luce diuinæ contẽplationis. Quod ex contrario signo facile vnusquisq; colligere poterit. Tantũ enim abest, vt leuantes oculos ab illa sua oratione, neminem videant, nisi solũ Iesum, quod è contra potius, tanquã filij huius sæculi oculos declinẽt in terrã, vanitatem videant, & mendaciũ concupiscant, & toto corde perquirant. Ita enim illa sua oratio fit illis in peccatum, & seductionem, quòd cũ nihil sint, existimẽt, se aliquid magni esse, seducti spiritu superbiæ, & vanitatis. Nam, vt Paulus ad Galatas scribit, *Qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Deinde vaniloqui sunt, siue falsiloqui: quoniam multa de suis orationibus, ac visionibus mentiuntur, vt honorentur ab hominibus, vt statim dicemus. Denique oculos habent plenos, si nõ adulterii, profecto ambitionis, qua ad honores quoscũq; obtinẽdos inhiant, & currũt, ac peruolãt, & quibus se dignos existimant, propterea quod sanctitatẽ ostentant, quam non habẽt. Laudari apetũt, cõtemni, refugiunt otio vacãt, delitias sectãtur, negotiis sæcularibus se implicant, terrenis cupiditatibus detinentur. Hęc, & his similia, non signa, & effectus veræ orationis sunt, sed manifeste indicant spiritum seductionis, & vanitatis, atque mendacii.

*Bernardus.*

*Exod. 8.*

*Galat. 6.*

Quartum signum est in illis verbis: *Nemini dixeritis vi-*

*sionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Hoc etiam mirabile signum est, ad distinguendum verā orationē à falsa, & eam, quæ est à spiritu Christi, ab illa, quæ est à spiritu Sathanæ, transfigurantis se in Angelum lucis. Qui enim veram ac spiritualem orationem habet nemini dicit visionem suam, sed in secreto sui cordis abscondit: nec se ipsum ostentat, aut magnificat, aut

Psal. 130. iactat, sed quæ Christi sunt, prædicat, & ipsum laudat atque benedicit in operibus suis. *Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam*, ait Dauid. Qui vero spiritu, non veræ orationis, sed seductionis ducitur, non de se humiliter sentit; & propterea animā suam exaltat, dum lingua magniloqua se ipsum glorificat, aut iactando bona, quæ habet, aut arrogando sibi, quæ non habet. Hoc discrimen inter verum, ac seductoriū

D. Ignat. spiritū, constituit etiam diuinus Ignatius in epistola 14. quæ est ad Ephesios. Ait enim, *Sanctus spiritus non sua propria loquitur, sed quæ sunt Christi, erroris autem spiritus sibi placens est, seipsum prædicat, seipsum glorificat, superbus, arrogans, verbosus, &c.* Hunc autem spiritum destructurum se Dominus pollicetur per Sophoniam, inquiens:

Sophon. 3. *Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ: & non adycies exaltari amplius in monte sancto meo.* Vbi montē sanctum Dei, intelligere possumus montem orationis, in quo anima, quasi transfiguratur cum Christo. Præterea, qui veram Christi orationem, & contemplationem habet, nemini dicit visionem: quia fideliter seruat Christo secretum illius, dicens cum Esaia,

Esai. 24. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Nihil enim tam proprium, & vsitatum inter veros, ac fideles amicos, quàm secreti obseruatio. Vnde Salomon in Ecclesiasti-

Eccl. 27. co dicit, *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum.* Deus, amicus fidelis est animæ, cui in oratione secreta sapientiæ suę manifestat, beneficia cœlestia confert, & interioribus consolationibus lætificat: exigit tamen ab illa, vt in secreto cordis illa seruet, neque in publicum prodere audeat. Alioquin fidem perdet, amicum offendet, neque inueniet illum, cum voluerit, ad animum suum. Propterea Paulus, qui in oratione eleuatus, & raptus

1. Cor. 12. est, dicebat Corinthiis, *Audiui arcana verba, quæ non*

*licet homini loqui*. Et S. Dauid, *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*. Vbi D. Ambr. dicit, *Si bonum est viro, sermones suos abscondere, quanto magis sermonem Dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere?* Amici Regum, qui sunt eis à consiliis, aut à secretis, maximo secreti vinculo astricti sunt, ita vt qui illud reuelat, quasi reus læsæ maiestatis habeatur: quanto ergo magis Dei amici, & quibus ille in oratione mysteria sua, atque concilia reuelat huius secreti vinculo tenebuntur, vt non peccent illi, & quasi rei læsæ maiestatis diuinæ puniantur? *Sacramentum Regis abscondere, bonum est*, dixit Angelus ad Tobiam: quasi diceret, quod illud sacrum secretum non abscondere, graue malum, & grande peccatum est. Psal. 11. Ambros. Tobie. 12.

Tandem illa oratio, quæ non in secreto cordis abscondita seruatur, vana est, & immunda: quæ vero in ipso cordis arcano conseruatur, deuota, & munda, & sancta reputati solet. Quando Moyses extraxit manum suam de sinu suo, inuenit eam leprosam, sed quando retraxit eam in sinum suum inuenit eam sanam & mundam. Sic profecto & oratio nostra, si extra sinum cordis educitur, & manifestatur multis, atque in publicum iactatur, leprosa fit, & inficitur vitio vanitatis, atque iactantiæ, ita vt abominabilis fiat in oculis Dei. Illa autem oratio, sana, & munda est, atque Deo gratissima, quæ in sinu cordis abscondita seruatur secundum quod Dauid dicit in Psalmo? *Oratio mea in sinu meo conuertetur*: siue, vt D. Hieronymus transtulit? *in sinum meum reuertetur*: vt in sinum cordis retracta, atque ibi conseruata, sana sit, & pura, & Deo gratissima qui eam in corde videt, & audit, atque misericorditer exaudit. Ipsi gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen. Exod. 4. Psal. 34. Hieronym.

## DE EODEM ARGVMENTO, concio altera, & appendix ad præcedentem.

### CONCIO III.

INter alia veteris testamenti monimenta, & mysteria, quibus hoc sacratissimum Transfigurationis Christi sacramentum adumbratum esse sancti Patres existimant, vnum est, & potissimum, transfiguratio illa, siue glorificatio vultus Moysi in monte, quæ narratur Exo. 34. Nam teste Origene, Homil. 11. in Exod. & Homi. 7. super Num. quod in illo monte per ænigma, & figuram, gestum est in hoc monte sancto palam, & facie ad faciem completum est Nam in hoc monte sancto vidit gloriam Dei, quando tansformatus est Dominus in monte: & aderat ei Moyses cum Elia, & colloquebantur ei. In hoc monte sancto loquutus est cum Domino facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum Nam sicut in Euangelio dicitur: *Apparuerunt Moyses, & Elias loquentes cum Jesu.* In hoc monte Moyses (quasi alter Abraham) *vidit diem Domini, & gauisus est. Gauisus est etiã sine dubio Moyses* (ait Origenes) *quod eum, de quo dixerat, Prophetam suscitabit Dominus Deus vester ex fratribus vestris: sicut me ipsum audietis per omnia: adesse cernebat, & fidem facere sermonibus suis. Et ne cunctaretur in aliquo, audit paternam vocem dicentem: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Moyses dudum dixit, Ipsum audietis: nunc Pater dicit, Hic est Filius meus: ipsum audite: & præsentem, de quo dicit, ostendit. Gaudere etiam pro hoc mihi videtur Moyses quia & ipse quodammodo nunc deponit velamen conuersus ad Dominum: cum euidenter, quæ prædixit, implentur vel cum tempus aduenit, vt per Spiritum sanctum, quæ obtexerat, reuelentur.* Sed iam textum sacræ Scripturæ videamus.

*Exod. 34.* *Origenes.* *Joan. 41.* *Joann. 8.* *Origenes.* *Deuter. 18.*

Quatuor præcipua sunt, quæ in illo loco Exodi 34. nos docet Scriptura sacra. Primum est, quod ex præ-

cepto Domini ascendit Moyses in verticem montis Synai, & fuit ibi cum Domino: ex cuius consortio, & colloquio *Apparuit facies eius cornuta*: siue, vt Septuaginta habent, *Glorificatus vultus eius*. Secundũ est, quod Moyses *Ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. Tertium est, quod Moyses *Posuit velamen super faciem suam, si quando loquebatur ad Filios Israel*. Quartum est, quod *Ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat velamen*. Hæc vt consequenter ad ea, quę diximus Concione 2. explicentur de ascensu animæ in montem Domini, & colloquutione cum ipso per orationem, & contemplationem, obseruandum est, quo pacto per hanc orationem, si vera illa est, facies animę gloriosa efficitur, & cornuta. Nam considerãs gloriã vultus Domini, vidensque faciẽ illius resplendentẽ supra omnẽ solis pulchritudinem, & claritatẽ, absque dubio ex illo consortio Domini participat illa pulchritudinẽ quandã, & splendoris gloriã: ita vt quodammodo glorificata dici possit facies eius, & diuino lumine illustrata: sicut Dauid postulabat à Domino hanc claritatem, inquiens, *Faciem tuam illumina super seruum tuum*. Vbi D. Ambrosius, serm. 17. inquit: *Illuminat Deus sanctos suos, & lucet in corde iustorum. Itaque cum sapientem videris, cognosce, quia descendit super eum Dei gloria, illuminauit eius mentem scientiæ fulgore, cognitioneque diuina*. Vnde Apostolus scribens ad Corinthios, ait, *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu*. Ex illa enim claritate, & gloria, quæ resplendet in facie Iesu Christi, communicatur eis claritas lucis, & diuinæ cuiusdam scientiæ & vt verbis vtar eiusdem Pauli, *Jn eandem imaginem transformantur à claritate in claritatem*, hoc est, à claritate, quare splendet facies eius sicut sol, in claritatẽ, quã ab eo participant animæ iustorũ. Queadmodũ enim, orto sole, vniuersa, quę sub cœlo sunt, participãt nouã quadam lucẽ, & colorẽ, ac splendorẽ: ita etiã ex facie Iesu Christi, quę resplẽduit sicut sol, imò verò multo spẽdidior est sole, non solũ facies Moysi, sed cuius libet sancti viri anima, quæ facies eius dicitur, nouã quandam pulchritudinẽ, claritatisq; splendorẽ suscipit. Obseruandũ verò est, quod dicitur

Exod. 34.
Psal. 118.
Ambros.
2. Cor. 4.
2. Cor. 3.

*Apparuit facies eius cornuta*: quoniam ex præsentia Domini in sancta oratione, ac contemplatione, anima viri iusti non solum claritatem, ac splendorem suscipit, sed etiam *Cornuta apparet*: quia fortior, atque robustior efficitur ad spernenda vniuersa mundi prospera & aduersa omnia viriliter pro Christo tolerāda: & (vt
Chrysost. Chrys. dicit, Homil. 53. in Acta Apostolorum) *Non sic leonis rugitus bestias fugat, vt iusti oratio dæmones.* Quemadmodum autem quando leo rugit omnes bestiæ formidantes fugantur, sicut Propheta Amos dicit: *Leo*
Amos. 3. *rugiet, quis non timebit?* Sic etiam, quando vir iustus ab oratione, & colloquio diuino consurgit, quasi leo confidens, & absque vllo terrore, rugitu suo tam dæmones, quam vitia, & vanas cogitationes in fugam
Chrysost. conuertit. & (vt verbis vtar eiusdem Chrysostomi, Homil. 5. de incomprehensibili Dei natura) *vis orationis Vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia remouit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores eiecit, offensas repressit, vrbes terræmotu nutantes firmauit: plagas cælitus irruentes, insidias hominum, mala denique omnia deleuit oratio.* Hæc Chrysostomus. Et fortasse cogitare:
Exod 34. quis recte potest, quod sicut in Exodo dicitur; *Videntes Filij Israel cornutam faciem Moysi, timuerunt prope accedere*: ita aduersarij omnes, & mala vniuersa, timent prope accedere ad hominem iustum, qui consurgit ab oratione Dei, non solum glorificata facie, sed etiam cornuta, & quasi armata ad terrendos, & fugandos omnes aduersarios animæ suæ. Denique cur, obsecro, in Transfiguratione Christi, & oratione, in qua facies eius glorificata resplenduit, & Moyses & Elias visi sunt etiam in maiestate, statim loquuti sunt de excessu, quē ipse Christus (& fortasse ipse Elias) completurus erat in Hierusalem per passionem, & mortem: nisi vt doceret nos sanctum Euangelium, quod per orationem iusti, ita fit species vultus eius altera, vt iam sereno vultu, & læta facie aspiciat labores, & passiones, & mortem pro iustitia, & pro gloria Dei, & iucunde de illis colloquatur: tanquam qui faciem habeat, non solum splendidam diuina luce, sed etiam cornutā, ad ventilandos omnes inimicos, dicente Dauid; *In te inimi-*
Psalm. 43.

*cos*

*eos nostros ventilabimus cornu*: qui paulo ante dixerat de maioribus suis, *Non enim in gladio suo possederunt terram & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*. Ecce ergo, quo pacto anima iusti ab oratione consurgens cornutam habet faciem, qua exultanti corde omnia aduersa inimicorum aspiciat, & facile fugare, ac ventilare possit: quemadmodum Anna mater Samuelis ab oratione consurgens dicebat, *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo*. Sed hanc fortitudinem anima iusti non habet à sua dextra, vel brachio, sed ab illuminatione vultus Dei. Et, vt Ambrosius dicit super illum locum, *Vultus Dei splendor Christus est: ipse dextera, ipse brachium*. Ab hac ergo illuminatione, & gloria vultus Dei, & gloria Iesu Christi, fit sanctorum facies non solum illuminata luce diuinæ cognitionis, sed etiam cornuta, ac robusta, ad omnia mala toleranda in via huius vitæ mortalis propter Christi amorem, & gloriam: sicut Dauid de viris sanctis iterum dicit: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt: quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum: quia Domini est assumptio nostra*. Ab hoc ergo lumine diuini vultus habent viri sancti, qui per orationem assumuntur cum Christo in montem altissimæ contemplationis, non solum lucem, & claritatis gloriam ad perfecte ambulandum in via Dei, sed etiam gloriam virtutis, & fortitudinis, cornutam faciem, & exaltatum cornu ad vincendas omnes tentationes, & persequutiones, atque ad fugandos & ventilandos omnes Christi inimicos, & superandos vniuersos hostes animarum suarum, tam interiores, quàm exteriores, & ad spernendos dæmones nequissimos.

Psal. 43.

1. Reg. 2.

Ambros.

Psal. 88.

Deinde secundo dicit Scriptura, quod Moyses *Ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. Quia viri sancti, in quibus salubris oratio est, & vera Dei cōtemplatio, modo quodam admirabili ignorant lucem, & splendorem, quem, in oratione suscipiunt ex diuino consortio, atque in colloquio: imo vero & sanctitatem, ac virtutes, quas à Deo diffusas in cordibus suis habent, quasi nescire videntur: sicut

fati ſunt cum Deo, & adepti participationem quandam ſimilitudinis gloriæ eius. Moyſes enim, vt in Exodo conſtat, ieiunauit per quadraginta dies, panem non comedens, & aquam non bibens: & poſtea loquutus eſt cum Deo in ipſo montis vertice: vbi & facies eius ſplendida facta eſt ex conſortio, & colloquio Domini. Elias autem (vt 3. libro Regum conſtat) quadraginta diebus ambulauit in fortitudine cibi, quem ab Angelo acceperat: & poſt illud quadragenarium ieiunium, peruenit vſque ad montem Dei Oreb: in quo monte loquutus eſt cum Deo, & ſuſcepit ſuauiſſimum illum ſibilum auræ tenuis. Hanc doctrinam inſinuauit Diuus Auguſtinus Tract. 17. ſuper Ioannem vbi docet, quod Chriſtus Dominus in monte, in quo ſe oſtendit diſcipulis in claritate vultus, & veſtis ſuæ, apparuit medius inter Moyſem, & Eliam: tanquam Euangelium teſtimonium haberet à Lege, & Prophetis. Et ſtatim ſubdit, *Siue ergo in lege, ſiue in Prophetis, ſiue in Euangelio, quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur.* Et magis aperte Diuus Hieronymus, libro 2. contra Iouinianum, capite 10. vbi dicit, *Quamobrem & Dominus noſter, atque Saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant, ſed ob ieiuniorum conſortia, Moyſem, & Eliam, transfiguratus in monte, ſecum oſtendit in gloria.* Voluit ergo Chriſtus Dominus, ſimulque ſancta mater Eccleſia, his exemplis docere nos, quod præparatio neceſſaria, & conuenientiſſima ad orationem, & colloquutionem cum Deo, eſt ſanctum ieiunium, quo anima pulchrior fit, & facies eius ſplendidior, quam antea erat. Danielis 1. legimus, quod quod cum Daniel, & ſocij eius comediſſent legumina, & aquam bibiſſent decem diebus, *Poſt dies decem, apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo Regio.* Et propterea bene dixit D. Baſil. ſer. 2. de ieiunio. *Quantum carni detrahis, tantum facis animam ſpirituali bona valetudine relucere. Bona eſt oratio cum ieiunio,* ait S. Raphael apud Tobiam: quia ſi ieiunium præcedat orationem, & eam comitetur, efficit animam pulcherrimam, ea pulchritudine, quam illi tribuit oratio ad Deum. Quoniam

*Exod. 34.* *3. Reg. 19.* *Auguſt.* *Hieronym.* *Daniel. 1.* *Baſilius.* *Tobiæ. 12.*

anima sine oratione, non potest esse pulchra, & splendens, sed obscura, atque deformis. Diuus Chrysostomus, libro 1. de oratione, dicit, quod anima sine oratione, est sicut corpus sine spiritu: & quemadmodum corpus sine spiritu, frigidum est, & deforme, ita anima sine oratione calorem, & feruorem spiritualem non habet, fœda est, & sine vllo cœlesti splendore. Et quemadmodum mundus iste sine Sole, & luce, obscurus est, & sine colore, quoniam nox omnibus rebus colorem aufert, & fiunt quasi nigræ, atque deformes, ita animæ sine oratione, & colloquutione cum Deo, qui est Sol iustitiæ, & lux vera, sunt velut sine colore, & splendore aliquo: si vero assidue cum Deo conuersentur familiariter in oratione, statim relucet in facie earũ color optimus, & splendor, atque lætitia spiritualis, quæ pulchriorem ipsam efficiunt. Vnde, & de Christo dicit S. Lucas, *Cum oraret, facta est species vultus eius altera.* Quamuis enim omni tempore Christus Dominus esset *Speciosus forma præ filijs hominum* (sicut Dauid eum vocat in Psalmo) nihilominus tamen in oratione positus, maiorem, & excellentiorem vultus sui claritatem & pulchritudinem ostendere voluit: vt doceret nos hoc, quod dicimus, quod per orationem, & diuinum colloquium, adquirit anima nouam pulchritudinem, & claritatis splendorem: eo quod, sicut Diuus Ambrosius dicit, super Psalmo 43. *Dei vultus, quem spectat, illuminat, qui est fulgor æternus animorum.* Vnde & Dauid nos admonet, inquiens, *Accedite ad eum, & illuminamini: et facies vestræ non confundentur.* Nam qui per orationem puram, & altam, accedunt ad hunc solem iustitiæ, & Dominum gloriæ (oratio enim, teste Damasceno, libro 3. de fide cap. 24. *Accessus quidam est, siue ascensus mentis in Deum*) statim intus mirabiliter illuminantur diuina luce, & facies eorum pulchriores, & formosiores fiunt participatione pulchritudinis, & gloriæ, quam contemplantur resplendentem in facie Iesu Christi: quemadmodum Moyses, & Elias, visi sunt in maiestate, & apparuerunt in magna gloria ex consortio Iesu Christi, cuius facies resplenduit sicut sol. *Et facta est* (inquit) *species vultus eius altera.* Hoc est, alterius pulchritudinis, & splendoris. Da mihi hominem, qui

*Chrysost.*
*Luc. 9.*
*Psalm. 44.*
*Ambrosi.*
*Psal. 33.*
*Damasc.*

nique completur in illa, quod per Esaiam prædictum est, *Implebit splendoribus animā tuam.* Nam facies animæ viri iusti, qui in oratione assidue assistit ante Dominum plena est pulchritudine, ac splendoribus omnium virtutum: ita vt possimus ei dicere cum Regina Hester, *Valde mirabilis es, & facies tua plena est gratiarum.* Esai. 58. Hesth. 15.

Sed quoniam, iuxta doctrinam Apostoli, quam scribit ad Corinthios, *Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis,* & ministri eius transfigurant se in ministros iustitiæ: quod in oratione contingere solet, aut ex illusione Sathanæ, qui multos decipere sua maligna luce solet: aut quia nonnulli ex propria malitia fingunt, se orationis lucem habere, quam non habent, & mentiuntur, se videre claritatem, quam non vident (siquidem, vt in Ezechiele Propheta dicitur, *Sequuntur spiritum suum, & nihil vident*) & hoc suo mendacio multos decipiunt, simulantes sanctitatem, quam non habent, & in hypocrisi loquentes mendacium, & somnia sua: vt cognoscamus, & discernamus, quæ oratio, & transfiguratio sit secundum spiritum IesuChristi, quæ vero sit secundum spiritum Sathanæ: oportet colligamus ex ipso Euangelio iuxta doctrinam sanctorum Patrum, signa, & effectus, quibus probari possit: quæ oratio vera, & sancta, & à Spiritu sancto sit quæ vero falsa, & illusoria, atque à spiritu vanitatis, errorisque, procedat. Nam S. Ioan. in 1. Cano. nos admonet, inquiens, *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* 2. Cor. 11. Ezech. 13. 1. Ioan. 4.

Primum ergo signū est in illis verbis, *Post dies sex, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem: & adduxit illos in montem excelsum seorsum. Post sex dies,* inquit: quia ante ascensum montis, & altitudinem orationis, in qua facies resplendeat luce diuinæ contemplationis, oportet hominem vniuersa temporalia despiciendo pertransire, & omnia actiuæ vitæ studiosa opera exercendo perambulare, vt postmodum ad splendidam faciem orationis, gloriosamq; perueniat. Vnde per Esai. dicitur, *Anteibit faciē tuam iustitia tua: & gloria Domini colliget te.* Oportet enim, vt faciē orationis antecedat iustitia, quæ declinet ab omni malo, & despiciat terrena vniuersa, & faciat, atq; operet bona opera virtutum: & tunc gloria huius transfigurationis colliget veros ora- Esai. 58.

tores,qui Patrem cœlestẽ orant, & adorant in spiritu,&
*Psalm.88.* veritate.Sic etiã intelligi potest,quod Dauid dicit; *Misericordia & veritas, præcedent faciem tuam.* Quia faciem orationis formosæ,ac splendidæ, necesse est, vt præcedant opera misericordię erga proximos,& opera iustitiæ erga ipsum hominem, castigando carnem suam ieiuniis,& lacrymis & opera religionis erga Dei cultum. Nam si omnes istæ dispositiones ac præparationes deficiant,& anima vacua sit bonis operibus, & virtutibus facies orationis, quæ subsequuta fuerit, non à Spiritu, & luce Christi esse iudicanda est, sed à spiritu vanitatis fucata, aut à spiritu Sathanæ transfigurato in Angelum lucis,per deceptionem confićta: de quo apud sanctum
*Iob 41.* Iob scriptũ est, *Faciem eius præcedet egestas.* In his enim, qui ea,quæ mundi sunt,concupiscunt,& virtutum opera non exercent,egestas esse dicitur: quia ipsarum virtutum,& bonorum operum diuitiis vacuantur, miseri, & pauperes apud Deum facti sunt, vanitatem mundi sectantes.Et hæc egestas in eis faciem Sathanæ præcedit: quia prius miseros homines virtutibus, ac bonis operibus vacuans,egenos efficit, & postmodum transfigurans se in Angelum lucis, simulatam, ac deceptoriam faciem peruersæ cõtemplationis,& illusoriæ orationis ostendit. Propterea Dauid bene nos admonuit,
*Psal.23.* & docuit,inquiens: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Et statim ipse respondet. *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.* Et postea. *Hæc est generatio quærentium faciem Dei Iacob.* Nam, vt debita dispositione, ac præparatione, ascendat quis in montem orationis, & stare possit in loco sancto eius (siquidem ante orationem
*Eccles.13.* debet vnusquisque præparare animam suã,iuxta Salomonis mandatum) oportet,vt innocens manibus sit, ab omni opere malo cohibeat manus suas, & omnia opera iustitiæ,ac virtutum exerceat.Deinde necesse est, vt cor mundum habeat, & purgatum ab immundis cogitationibus,ac desideriis,& ab omni malitia lotum.Soli enim illi,qui fuerint mundo corde,poterunt in oratione sancta Deum videre,atque contemplari. Tandem necesse est,vt animam suam in vano non accipiat, hoc est, nullam salutis illius curam habeat, aut virtutibus,

bonisque operibus vacuam detineat, sed omni cura, ac diligentia studeat, virtutibus, & sanctis operibus, ac meritis diuitem, & plenam conseruare. Hæc enim est generatio Filiorum Dei, quærentium in oratione & contemplatione videre gloriosam faciem Dei: vt & ipsi speculatores, & participes fiant illius claritatis, & splẽdoris, videntes faciem Patris, qui in cœlis est.

Secundum signum est in illis verbis: *Resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Quando enim anima illustratur diuino radio, & clarificatur, ac resplendet in oratione: statim relucet, & apparet in candore, & munditia vestium, in exteriori conuersatione, & exemplo, & mortificatione, atque omnium virtutum exercitatione. Quemadmodum enim in Christo Domino ex gloria diuinitatis, & claritate, ac splendore animæ beatæ, redundauit etiam in carnem eius ille candor niuis (Vestimenta enim Christi carnem eius purissimam significant, vt Ambrosius dicit, libro de his qui mysteriis initiantur, cap. 7.) *Ambros.* & simul redundauit in corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia, sicut Augustinus docet super Psalm. 147. *August.* & nomine vestimentorum Christi solet etiam intelligi: qua ratione dixit Apostolus, scribens ad Ephesios, *Ephes. 5.* *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*: ita etiam in quolibet viro iusto, qui in oratione assidua cum Deo colloquitur, contingere solet, quod ex splendore faciei, qui est in anima per claritatem, & feruorem orationis, refunditur in exteriora vestimenta, hoc est, in exteriorem conuersationem, vitam, & mores, candor quidam, & splendor virtutum, & suauis quidam odor bonorum exemplorum: quibus tanquam signis demonstratur splendor, & claritas interior, quæ in anima sunt abscondita ab oculis hominum. Vnde merito Sponsus in Canticis dicebat Sponsæ, quam pulchram, & sine macula vocauerat: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Thus, sicut incensum, in Scriptura sacra orationem significat, quæ *Cant. 4. 11* ex puro corde, & ignito, ad Deum ascendit, sicut suauissimus quidam fumus incensi. Vnde Dauid in Psalmo *Psalm. 140.* dicit ad Deum: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Et in Apocalyp. sanctus Ioannes *Apoc. 5 8.*

vidit *Viginti quatuor seniores, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Et iterum: *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum coram Deo.* Sed profectò vbi huius incensi suauissimus fumus ad Deum conscendit continuo in ipsa vestimenta odor quidam dulcis refunditur: ita vt, quemadmodum sanctus Isaac *Sensit fragrantiam vestimentorum* filij sui Iacob, omnes fideles, qui viderint exteriora opera illius, qui intus per orationem leuauit animam suam ad Dominum, sentient huius orationis, & thuris, fragrantiam in ipsis operibus, exterioribus, & exemplis, in charitate, in humilitate, & mansuetudine, & modestia, in castitate, & cæteris omnibus virtutum operibus, quæ animam iusti multo melius, quam vestimenta, fouent, & ornant: & quando ex interiori feruore orationis procedunt, suauissimum thuris odorem redolent: ita vt aliquando fragrantia huius odoris multos post se trahat ad Christum. Quanto magis fiet, vt sanctos Angelos trahat ad ipsam animam, vt eam alloquantur, & cum ea iucunde conuersentur?

*Genes. 27.*

Sic vice versa, vbi exteriora hominis opera, & mores, quæ sunt animæ illius vestimenta, sordida fuerint, & insuauem, ac fœtidum odorem emiserint, manifestum testimonium erit, in eo homine nullam veræ orationis claritatem esse, nullum suauitatis incensum ad Angelos, & ad Deum ex eius anima conscendere. Nam, teste D. Bernardo, in epistola 42. ad Henricum: *Indisciplinata conuersatio Angelos offendere solet*: & sicut Diuus Basilius dicit in Commentariis super Psalmum 33 *Quemadmodum fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelos sanctos, vitæ nostræ custodes, praua opera, & peccata, abigere, & profligare solent.* Quanto ergo magis ipsum Deum auolare facient ab anima: cuius *Oculi*, sicut Propheta dicit: *mundi sunt, ne videant malum: & respicere ad iniquitatem non poterit?* Restat ergo, vt qualis fuerit interius anima in oratione, talis etiam sit exterior facies eius in conuersatione, & dispositione vestimentorũ, in operatione, siue bona, siue mala: quia sicut Salomon in Ecclesiastico dicit: *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala.*

*Bernard.*
*Basilius.*
*Abac. 1.*
*Ecclesi. 13.*

Tertium signum est in illis verbis: *Leuantes autem*

*oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum*. Optauerat Diuus Petrus ex magno affectu ad Christi claritatem, & gloriam, nunquam ab eo discedere, inquiens; *Domine, bonum est, nos hic esse*. Et sicut Augustinus dicit, in Soliloquiis, cap. 22. *Vnam stillam dulcedinis Petrus gustauit, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem*. Neque mirum nobis videri debet, quod anima illa, quæ sic à Christo in monte illuminata est, & gustauit bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri prælibauit, nollet de monte illo pingui descendere. Audeo enim de illa anima dicere, quod de alia simili dicit Bernardus, sermone 35. super Cantica; *Ab hoc bono si quis auertere sanctam illam animam conaretur, puto, haud secus accepisset, quam si se de paradiso, & ab ipso introitu gloriæ, conspiceret deturbari*. Deinde, audita voce de cœlo lapsa à magnifica gloria, ex affectu humilitatis, & reuerentiæ, *Ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde*. Ac tandem in hunc effectum veræ transfigurationis deuenerunt, vt despectis omnibus, atque obliuioni traditis, leuantes oculos, neminem viderent, nisi solum Iesum. Hoc profecto est admirabile signum animæ transfiguratæ cum Christo per orationem, & contemplationem: si ita leuauit oculos suos ad contemplandam claritatem, & gloriam vultus eius, vt iam neminem videat, nisi solum Iesum. Quemadmodum enim si quis fixis oculis solem aspiciat, ita retunditur, & excæcatur acies oculorum eius, vt nihil aliud videre possit, ita etiam, qui in oratione attentissimis oculis contemplatur claritatem Christi, qui est sol iustitiæ, sic ab illius splendore hebetatur, & excæcatur, vt iam nihil eorum, quæ in mundo sunt, rectis oculis aspicere possit *Quis fabricatus est videntem, & cæcum?* Dicebat Dominus Moysi. *Nonne ego?* Quia quos Deus in oratione, & contemplatione sui eleuat, ita efficit videntes, ac speculatores gloriæ, & maiestatis suæ, vt simul oculos eorum aperiat ad ea, quæ cœlestia sunt, & claudat, atque auertat ab omnibus iis, quæ vana, & terrena sunt. Habemus huius rei optimum exemplum in Paulo Apostolo: de quo S. Lucas refert in Actis Apostolorum, quod *Circumfulsit eum lux de cælo*, & cadens in terram audiuit vocem Christi loquentis secum. Deinde eleuatus à terra, simul eleua-

*August.* *Bernardus.* *Exod. 4.* *Actor. 9.*

tus est à Deo in oratione quadam, & contemplatione cœlesti. Vnde ad Ananiam dixit: *Ecce enim orat.* Vt autem probaretur, quòd hæc oratio, cœlestis erat, atque diuina, dicit Scriptura sacra; *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis, nihil videbat.* Ecce hominem, quem Christus sua præsentia, & luce fabricatus est videntem, & cæcum. Nam, vt Ambros. docet, serm. 27. *Carnalium luminum orbem mutauit: vt spiritualium oculorum illuminaret aspectum. Surgens ergo à terra Paulus, exterioribus quidem oculis non videbat homines, non aerem: sed mentis luminibus Christum videbat de cælo.* Itaque in illa oratione, & contemplatione altissima, surgens à terra, iam nec terram videre dignatus, nec patriam videbat, nec cognatos, neque amicos, aut diuitias, aut honores, aut cætera nomina vana rerum, quæ mundus conspicere, & amare solet; quin potius cum Dauid dicebat Domino; *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Vbi D. Ambrosius ait; *Qui in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere: cum Christus in carne sua omnes mundi huius crucifixerit vanitates?* Mundi amatores, quidquid in mundo vanitatis est, propterea vident, & diligunt, quia, more vespertilionum, oculos habent lucis inimicos, & obscuræ noctis amatores, de quibus Esai. dicit; *Væ, qui dicunt bonum, malum, & malum, bonum ponentes lucem, tenebras, & tenebras, lucem: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Ea enim quæ vident, plena sunt tenebris, quæ amant, mala sunt: & quæ gustare appetunt, amarissima. Spirituales autem viri, qui in oratione Dei lucem eius vident, bonitatem amant, & suauitatem gustant, apertis oculis, nihil mundi huius vident, sicut de sanctis Apostolis dicitur in Euangelio. *Leuantes oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Hæc fuit excellentia omnium sanctorum, quod cum haberent oculos apertos, & leuatos à terra, vt videre possent diuitias eius, honores, dignitates, & delitias, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Hoc etiam commendat multum spirituales viros, & orationi deditos: quod cum apertos habeant oculos ad videndum ea, quæ in mundo sunt, nihil tamen eorum per oculos concupiscunt, nihil ambiunt; imo vero cum magnæ sanctitatis sint, adeo humiles sunt, vt neque se

*Ambros.* *Psalm. 118.* *Ambros.* *Esai.*

ipsos videant, licet ab aliis videantur, & honorentur. Quod rarissimæ cuiusdam perfectionis est. Dicit enim Bernardus, serm. 4. super Missus est. *Non magnum est, esse humilem in abiectione. Magna prorsus, & vera virtus,* Bernardus. *humilitas honorata* Et serm. 13. super Cantica. *Magna,& rara virtus profecto est, vt magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare: hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.* Hoc tertio signo mirabiliter agnosci potest oratio, & contemplatio, quæ à Spiritu sancto procedit. Sed quemadmodũ olim Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, ita Exod. 8. & modo multi, qui se dicunt spirituales esse,& nõ sunt. deficiunt in hoc nostro tertio signo. & ducti spiritu seductionis, & mendacij, aut fingunt, aut mentiuntur, aut simulant longas orationes, & visiones multiplicãt: cũ tamen alieni prorsus sintà veræ orationis spiritu, & luce diuinæ cõtẽplationis. Quod ex contrario signo facile vnusquisq; colligere poterit. Tantũ enim abest, vt leuantes oculos ab illa sua oratione, neminem videant,nisi solũ Iesum,quod è contra potius, tanquã filij huius sæculi oculos declinẽt in terrã, vanitatem videant,& mendaciũ concupiscant, & toto corde perquirant. Ita enim illa sua oratio fit illis in peccatum, & seductionem, quòd cũ nihil sint, existimẽt, se aliquid magni esse, seducti spiritu superbiæ, & vanitatis. Nam, vt Paulus ad Galatas scribit, *Qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Deinde vaniloqui sunt, siue falsiloqui: quoniam multa de suis orationibus, ac visionibus mentiuntur, vt honorentur ab hominibus, vt statim dicemus. Galat. 6. Denique oculos habent plenos, si nõ adulterii, profecto ambitionis, qua ad honores quoscũq; obtinẽdos inhiant, & currũt, ac peruolãt, & quibus se dignos existimant, propterea quod sanctitatẽ ostentant, quam non habẽt. Laudari apetũt, cõtemni, refugiunt. otio vacãt, delitias sectãtur, negotiis sæcularibus se implicant, terrenis cupiditatibus detinentur. Hęc, & his similia, non signa, & effectus veræ orationis sunt, sed manifeste indicant spiritum seductionis, & vanitatis, atque mendacii.

Quartum signum est in illis verbis: *Nemini dixeritis vi-*

*sionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Hoc etiam mirabile signum est, ad distinguendum verã orationẽ à falsa, & eam, quæ est à spiritu Christi, ab illa, quæ est à spiritu Sathanæ, transfigurantis se in Angelum lucis. Qui enim veram ac spiritualem orationem habet nemini dicit visionem suam, sed in secreto sui cordis abscondit: nec se ipsum ostentat, aut magnificat, aut
*Psal. 130.* iactat, sed quæ Christi sunt, prædicat, & ipsum laudat atque benedicit in operibus suis. *Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam*, ait Dauid. Qui vero spiritu, non veræ orationis, sed seductionis ducitur, non de se humiliter sentit; & propterea animã suam exaltat, dum lingua magniloqua se ipsum glorificat, aut iactando bona, quæ habet, aut arrogando sibi, quæ non habet. Hoc discrimen inter verum, ac seductoriũ
*D. Ignat.* spiritũ, constituit etiam diuinus Ignatius in epistola 14. quæ est ad Ephesios. Ait enim, *Sanctus spiritus non sua propria loquitur, sed quæ sunt Christi, erroris autem spiritus sibi placens est, seipsum prædicat, seipsum glorificat, superbus, arrogans, verbosus, &c.* Hunc autem spiritum destructurum se Dominus pollicetur per Sophoniam, in-
*Sophon. 3.* quiens: *Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ: & non adycies exaltari amplius in monte sancto meo.* Vbi montẽ sanctum Dei, intelligere possumus montem orationis, in quo anima, quasi transfiguratur cum Christo. Præterea, qui veram Christi orationem, & contemplationem habet, nemini dicit visionem: quia fideliter ser-
*Esai. 24.* uat Christo secretum illius, dicens cum Esaia, *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Nihil enim tam proprium, & vsitatum inter veros, ac fideles amicos, quàm secreti obseruatio. Vnde Salomon in Ecclesiasti-
*Eccl. 27.* co dicit, *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum.* Deus, amicus fidelis est animæ, cui in oratione secreta sapientiæ suę manifestat, beneficia cœlestia confert, & interioribus consolationibus lætificat: exigit tamen ab illa, vt in secreto cordis illa seruet, neque in publicum prodere audeat. Alioquin fidem perdet, amicum offendet, neque inueniet illum, cum voluerit, ad animum suum. Propterea Paulus, qui in oratione eleuatus, & raptus
*1. Cor. 12.* est, dicebat Corinthiis, *Audiui arcana verba, quæ non*

*licet homini loqui.* Et S. Dauid, *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Vbi D. Ambr. dicit, *Si bonum est viro, sermones suos abscondere, quanto magis sermonem Dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere?* Amici Regum, qui sunt eis à consiliis, aut à secretis, maximo secreti vinculo astricti sunt, ita vt qui illud reuelat, quasi reus læsæ maiestatis habeatur: quanto ergo magis Dei amici, & quibus ille in oratione mysteria sua, atque concilia reuelat, huius secreti vinculo tenebuntur, vt non peccent illi, & quasi rei læsæ maiestatis diuinæ puniantur? *Sacramentum Regis abscondere, bonum est*, dixit Angelus ad Tobiam: quasi diceret, quod illud sacrum secretum non abscondere, graue malum, & grande peccatum est. Psal. 11. Ambros. Tobie.12.

Tandem illa oratio, quæ non in secreto cordis abscondita seruatur, vana est, & immunda: quæ vero in ipso cordis arcano conseruatur, deuota, & munda, & sancta reputari solet. Quando Moyses extraxit manum suam de sinu suo, inuenit eam leprosam, sed quando retraxit eam in sinum suum inuenit eam sanam & mundam. Sic profecto & oratio nostra, si extra sinum cordis educitur, & manifestatur multis, atque in publicum iactatur, leprosa fit, & inficitur vitio vanitatis, atque iactantiæ, ita vt abominabilis fiat in oculis Dei. Illa autem oratio, sana, & munda est, atque Deo gratissima, quæ in sinu cordis abscondita seruatur secundum quod Dauid dicit in Psalmo? *Oratio mea in sinu meo conuertetur*: siue, vt D. Hieronymus transtulit? *in sinum meum reuertetur*: vt in sinum cordis retracta, atque ibi conseruata, sana sit, & pura, & Deo gratissima qui eam in corde videt, & audit, atque misericorditer exaudit. Ipsi gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen. Exod. 4. Psal. 34. Hieronym.

## DE EODEM ARGVMENTO, concio altera, & appendix ad præcedentem.

### CONCIO III.

INter alia veteris testamenti monimenta, & mysteria, quibus hoc sacratissimum Transfigurationis Christi sacramentum adumbratum esse sancti Patres existimant, vnum est, & potissimum, transfiguratio illa, siue glorificatio vultus Moysi in monte, quæ narratur Exo. 34. Nam te-
*Exod.* 34. *Origenes.* steOrigene, Homil. 11. in Exod. & Homi. 7. super Num. quod in illo monte per ænigma, & figuram, gestum est in hoc monte sancto palam, & facie ad faciem com-
*Joan.* 41. pletum est Nam in hoc monte sancto vidit gloriam Dei, quando tansformatus est Dominus in monte: & aderat ei Moyses cum Elia, & colloquebantur ei. In hoc monte sancto loquutus est cum Domino facie ad
*Joann.* 8. *Origenes.* *Deuter.* 18. faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum Nam sicut in Euangelio dicitur: *Apparuerunt Moyses, & Elias loquentes cum Iesu.* In hoc monte Moyses (quasi alter Abraham) *vidit diem Domini, & gauisus est. Gauisus est etiã sine dubio Moyses* ( ait Origenes ) *quod eum, de quo dixerat*, P*rophetam suscitabit* D*ominus* D*eus vester ex fratribus vestris: sicut me ipsum audietis per omnia: adesse cernebat, & fidem facere sermonibus suis. Et ne cunctaretur in aliquo, audit paternam vocem dicentem: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Moyses dudum dixit*, I*psum audietis: nunc* P*ater dicit, Hic est Filius meus: ipsum audite: & præsentem, de quo dicit, ostendit. Gaudere etiam pro hoc mihi videtur Moyses quia & ipse quodammodo nunc deponit velamen conuersus ad* D*ominum: cum euidenter, quæ prædixit, implentur vel cum tempus aduenit, vt per Spiritum sanctum, quæ obtexerat, reuelentur.* Sed iam textum sacræ Scripturæ videamus.

Quatuor præcipua sunt, quæ in illo loco Exodi 34. nos docet Scriptura sacra. Primum est, quod ex præ-

cepto Domini ascendit Moyses in verticem montis Synai,& fuit ibi cum Domino: ex cuius consortio, & colloquio *Apparuit facies eius cornuta*: siue, vt Septuaginta habent, *Glorificatus vultus eius*. Secundū est,quod Moyses *Ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. Tertium est, quod Moyses *Posuit velamen super faciem suam, si quando loquebatur ad Filios Israel*. Quartum est, quod *ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat velamen*. Hæc vt consequenter ad ea,quę diximus Concione 2. explicentur de ascensu animæ in montem Domini, & colloqutione cum ipso per orationem, &contemplationem, obseruandum est,quo pacto per hanc orationem, si vera illa est, facies animę gloriosa efficitur, & cornuta. Nam considerās gloriā vultus Domini,vidensque faciē illius resplendentē supra omnē solis pulchritudinem,& claritatē,absque dubio ex illo consortio Domini participat illa pulchritudinē quandā, & splendoris gloriā: ita vt quodammodo glorificata dici possit facies eius, & diuino lumine illustrata: sicut Dauid postulabat à Domino hanc claritatem,inquiens, *Faciem tuam illumina super seruum tuum*. Vbi D. Ambrosius,serm. 17. inquit: *Illuminat Deus sanctos suos, & lucet in corde iustorum. Itaque cum sapientem videris, cognosce, quia descendit super eum Dei gloria, illuminauit eius mentem scientiæ fulgore, cognitioneque diuina*. Vnde Apostolus scribens ad Corinthios,ait, *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu*. Ex illa enim claritate, & gloria, quæ resplendet in facie Iesu Christi, communicatur eis claritas lucis, & diuinæ cuiusdam scientiæ& vt verbis vtar eiusdem Pauli, *In eandem imaginem transformantur à claritate in claritatem*,hoc est, à claritate,quare splendet facies eius sicut sol,in claritatē,quā ab eo participant animæ iustorū. Queadmodū enim,orto sole,vniuersa,quę sub cœlo sunt,participāt nouā quadam lucē, & colorē, ac splendorē:ita etiā ex facie Iesu Christi,quę resplēduit sicut sol,imò verò multo spēdidior est sole,non solū facies Moysi,sed cuius libet sancti viri anima, quæ facies eius dicitur,nouā quandam pulchritudinē, claritatisq; splendorē suscipit. Obseruandū verò est, quod dicitur

*Exod. 34.*
*Psal. 118.*
*Ambros.*
*2. Cor. 4.*
*2. Cor. 3.*

*Apparuit facies eius cornuta*: quoniam ex præsentia Domini in sancta oratione, ac contemplatione, anima viri iusti non solum claritatem, ac splendorem suscipit, sed etiam *Cornuta apparet*: quia fortior, atque robustior efficitur ad spernenda vniuersa mundi prospera & aduersa omnia viriliter pro Christo tolerãda: & (vt
Chrysost. Chrys. dicit, Homil. 53. in Acta Apostolorum) *Non sic leonis rugitus bestias fugat, vt iusti oratio dæmones.* Quemadmodum autem quando leo rugit omnes bestiæ formidantes fugantur, sicut Propheta Amos dicit: *Leo*
Amos. 3. *rugiet, quis non timebit?* Sic etiam, quando vir iustus ab oratione, & colloquio diuino consurgit, quasi leo confidens, & absque vllo terrore, rugitu suo tam dæmones, quam vitia, & vanas cogitationes in fugam
Chrysost. conuertit. & (vt verbis vtar eiusdem Chrysostomi, Homil. 5. de incomprehensibili Dei natura) *vis orationis Vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia remouit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores eiecit, offensas repressit, vrbes terremotu nutantes firmauit: plagas cælitus irruentes, insidias hominum, mala denique omnia deleuit oratio.* Hæc Chrysostomus. Et fortasse cogitare:
Exod 34. quis recte potest, quod sicut in Exodo dicitur; *Videntes Filij Israel cornutam faciem Moysi, timuerunt prope accedere*: ita aduersarij omnes, & mala vniuersa, timent prope accedere ad hominem iustum, qui consurgit ab oratione Dei, non solum glorificata facie, sed etiam cornuta, & quasi armata ad terrendos, & fugandos omnes aduersarios animæ suæ. Denique cur, obsecro, in Transfiguratione Christi, & oratione, in qua facies eius glorificata resplenduit, & Moyses & Elias visi sunt etiam in maiestate, statim loquuti sunt de excessu, quẽ ipse Christus (& fortasse ipse Elias) completurus erat in Hierusalem per passionem, & mortem: nisi vt doceret nos sanctum Euangelium, quod per orationem iusti, ita fit species vultus eius altera, vt iam sereno vultu, & læta facie aspiciat labores, & passiones, & mortem pro iustitia, & pro gloria Dei, & iucunde de illis colloquatur: tanquam qui faciem habeat, non solum splendidam diuina luce, sed etiam cornutã, ad ventilandos omnes inimicos, dicente Dauid; *In te inimi-*
Psalm. 43.

*cos*

*eos nostros ventilabimus cornu*: qui paulo ante dixerat de maioribus suis, *Non enim in gladio suo possederunt terram & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Ecce ergo, quo pacto anima iusti ab oratione consurgens cornutam habet faciem, qua exultanti corde omnia aduersa inimicorum aspiciat, & facile fugare, ac ventilare possit: quemadmodum Anna mater Samuelis ab oratione consurgens dicebat, *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Sed hanc fortitudinem anima iusti non habet à sua dextra, vel brachio, sed ab illuminatione vultus Dei. Et, vt Ambrosius dicit super illum locum, *Vultus Dei splendor Christus est: ipse dextera, ipse brachium.* Ab hac ergo illuminatione, & gloria vultus Dei, & gloria Iesu Christi, fit sanctorum facies non solum illuminata luce diuinæ cognitionis, sed etiam cornuta, ac robusta, ad omnia mala toleranda in via huius vitæ mortalis propter Christi amorem, & gloriam: sicut Dauid de viris sanctis iterum dicit: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt: quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum: quia Domini est assumptio nostra.* Ab hoc ergo lumine diuini vultus habent viri sancti, qui per orationem assumuntur cum Christo in montem altissimæ contemplationis, non solum lucem, & claritatis gloriam ad perfecte ambulandum in via Dei, sed etiam gloriam virtutis, & fortitudinis, cornutam faciem, & exaltatum cornu ad vincendas omnes tentationes, & persequutiones, atque ad fugandos & ventilandos omnes Christi inimicos, & superandos vniuersos hostes animarum suarum, tam interiores, quàm exteriores, & ad spernendos dæmones nequissimos.

Psal. 43.

1. Reg. 2.

Ambros.

Psal. 88.

Deinde secundo dicit Scriptura, quod Moyses *Ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Quia viri sancti, in quibus salubris oratio est, & vera Dei cõtemplatio, modo quodam admirabili ignorant lucem, & splendorem, quem, in oratione suscipiunt ex diuino consortio, atque in colloquio: imo vero & sanctitatem, ac virtutes, quas à Deo difusas in cordibus suis habent, quasi nescire videntur: sicut

*Iob.* 9. S. Iob de se ipso ingenue fatetur, inquiens, *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Vbi Gregor. *Gregorius.* lib. 19. Moral capit. 13. consilium sanum iustis præbet, vt recta quæ agunt, sciendo nesciant: vt & recta æstiment, & minima Recta quidem, vt custodiant solicite: minima vero, ne in superbiam, & elationem rapiantur. Aut etiam bona, quæ agunt, sciendo nesciunt: quia sciunt ea, vt gratias agant pro acceptis beneficiis Domino, bonorum omnium largitori. Nesciunt verò illa, quia ex profundissima humilitate nihil de seipsis præsumunt, & nihil se esse, corde, & voce *Psal.* 72. profitentur: quemadmodum Dauid de se ipso fatetur, inquiens, *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Hæc enim duo humilitatis officia viri sancti in oratione Dei discunt: & quod seipsos nihil esse existimant, & quod bona, quæ habent à Deo, quodammodo se habere *Gregorius.* ignorant, & nesciunt. Vnde Gregor. lib. 22. Moral. cap 5. dicit, quod *Electi indignos se æstimant: & pene soli bona sua non vident, quæ iu se videnda omnibus ad exemplum præbent.* Vnde & Sanctus Iob de seipso dicebat, *Si* *Iob.* 31. *vidi solem, cum fulgeret:* quia sanctitatis suæ claritatem quæ ad aliorum exempla fulgebat, solus ipse ex humili- *Gregorius.* tate non videbat. Et libro 35. Moral. cap. 2. dicit, quod *Sancti viri quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut prope nihil se esse cognoscunt* Proferamus in testem huius veritatis san- *Genes.* 28. ctum Iacob Patriarcham: de quo sacra Scriptura narrat, quod *Cum venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco: viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ.* Et post pauca subdit, *Cumque euigilasset Iacob de somno, ait, Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Ecce Iacob post laborem itineris somno orationis, & sanctæ contemplationis, requiescit: quoniam, vt anteà diximus, prius quàm ad orationis, & contemplationis quietem quis ascendat, necesse est, viam mandatorum Domini, & laboriosa opera actiuæ vitæ perambulando perficere. Non enim recto itinere ad requiem

contemplationis peruenitur, nisi per laborioſam viam obſeruantiæ mandatorum Dei, & exercitium, atque operationem virtutum, & per deſpectum omnium rerum temporalium. Vnde *Poſt ſolis occubitum* requieuiſſe dicitur: aut quia nocturnum tempus orationi, & contemplationi magis aptum eſt: vnde de Chriſto dicitur in Euangelio: quod *Erat pernoctans in oratione Dei.* & de B. Antonio narrat Ioannes Caſſianus, Collatione 9. cap. 31. quod ipſo in oratione perſiſtente, cum ſolis ortus cœpiſſet infundi, ſtatim ille in feruore ſpiritus proclamabat, *Quid me impedis ſol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abſtrahas claritate?* Aut certe *Poſt ſolis occubitum*: quia ille ad contemplationem diuinæ claritatis aptus eſt, cui ſol huius mundi, & omnis proſperitatis tranſitoriæ claritas occubuit. Qui enim puris oculis Solem iuſtitiæ contemplari, & Regem in decore ſuo videre cupit, debet ab huius mundi vana luce proſperitatis appetitum cordis, & mentis oculos per deſpectum omnium temporalium auertere. Hic ſuper lapidem dormit, qui fixam mentem in Chriſto habet. Angelos, & Dominum Angelorum in ſcala contemplatur: quia in oratione ſua cum Deo, & Angelis familiariter colloquitur, & conuerſatur: quemadmodum & Paulus orationi dedititiſſimus dicebat: *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Sed in hoc orationis, & contemplationis ſomno conſtitutus Iacob, in quo videbat Deum, & Angelos, euigilans dicit, *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Locus Dei eſt anima viri ſancti in qua Deus libenter habitat, & manſionem facit, ac requieſcit, quaſi in quodam alto, & puro cœlo, ſicut Dauid dicit in Pſalmo, *Deus in loco ſancto ſuo.* Sed hoc mirabile eſt, quod in ſomno orationis, & contemplationis, Deũ in anima ſua præſentẽ videat, & poſtmodum ab oratione euigilans, dicat: *Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Profecto, quia vt Gregorius docet in cõmentariis ſuper 1. Regum, lib. 2. c. 4. vir ſanctus, *Dum eam, ad quam per contemplationẽ eſt aſſumptus, internæ lucis miratur ſpeciem, quantum ante de Deo neſcierit, experiẽtia reuelatæ pulchritudinis agnoſcit.* Aut aliter (vt propoſito noſtro cõueniat) quia vir ſanctus, quãuis in loco animæ ſuę Deum inhabitantem habeat, & cognitionis eius lu-

*Luc. 6.*

*Caſſianus.*

*Philip. 3.*

*Pſal. 67.*

*Gregor.*

cem, & virtutum dona possideat, omnia hæc per humilitatis spiritum in se ipso se nescire dicit: quamuis aliquando propter Dei gloriam, & aliorum ædificationem ea, quæ prius quasi ignorauerat, manifestè se scire prædicãdo fateatur. Ecce quo pacto noster Moyses & glorificatam habebat faciem,& simul ignorabat, quod glorificata, & cornuta esset ex diuino consortio, atque colloquio.

Denique tertio dicit Scriptura, *Posuit velamen super faciem suam.* Et iterum, *Operiebat faciem suam, si quando loquebatur ad eos.* Quę verba spirituali sensu duo præcipue nos admonent, quæ viris spiritualibus ab oratione, & contemplatione Dei surgentibus, maxime familiaria esse solent. Primum est, quod postquam per orationem, & contemplationem viderunt oculis animæ diuinam pulchritudinem, & bona cœlestis patriæ, iam quasi velamen super oculos ponũt: quia terrena omnia respicere dedignantur, quasi indigna, quæ illis oculis videantur, quibus Deum cœli, & cœlestia bona contemplati sunt. Quemadmodum enim qui cœlũ aspiciũt eleuatis oculis, non possunt simul terram aspicere: sic etiam qui per orationem, & contemplationem, oculos erigunt ad cœlestia, statim illos auertunt à terrenis omnibus, quemadmodum etiam Dauid dicit, *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Spes enim cœlestium bonorum, quæ in oratione concipitur, oculos cordis auertit ab aspectu, & amore omnium, quę in mundo sunt & quasi velamen inducit super eos, *Ne videant vanitates*, sicut S. Dauid dicit, *Beatus cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Hanc beatitudinē in sanctis efficit oratio, per quam oculos erigunt ad cælestia, & ea se consequuturos à Domino sperant, atque adeo iam non respiciunt ad huius mundi vanitates: quas qui non respicit beatus est,& qui respicit, insanus est. Et propterea de sanctis Apostolis dicitur in Euangelio, quòd *Leuantes oculos suos, neminē viderunt, nisi solũ Iesum.* Alterũ verò, quod nos docēt verba citata, illud est: quod viri sancti sũmopere student, quasi velando faciē abscōdere ab oculis hominum sanctitatem suam,& claritatem, ac splēdorē cōtemplationis suæ, sicut Moyses velamine posito

*Psal. 68.*

*Psalm. 39.*

super faciẽ abscondebat claritatem, & gloriã vultus sui. Et Apostolis in sancto Euangelio præcepit Dominus cum de monte orationis descenderet: *Nemini dixeritis visionem*. Proculdubio, vt nos admoneat, summa cura ob seruandum esse sanctæ orationis secretum, & ea, quæ in illo diuino colloquio, aut intelleximus, aut accepimus à Domino, non esse aliis diuulganda, sed in secreto cordis sinu occultãda: ne forte leuiter, & vane illa ostentãtes per vitiũ elationis perdamus, atq; hostibus eripiẽda tradamus, quemadmodũ imprudẽs Ezechias Rex Nuntiis Regis Babyloniorũ *Ostẽdit domum aromatũ, & omnia quæ habuit in thesauris suis*: & statim audiuit à Domino per Esaiam Prophetam, *Ecce dies venient: & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, in Babylonem*. Sic profecto, qui secreta orationis (quæ velut quædã aromata suauissima, & thesauri cœlestes sunt) per ostentationẽ vanam mũdo manifestat, ostendendo illa, quasi ostium aperit inimicis, vt ea prorsus diripiant. Obseruandum ergo est valde id, quod Apostolus refert in Epistola ad Hebræos: quod in primo tabernaculo, in quo erãt candelabra, & mẽsa, & propositio panum, nõ erat velamẽtũ. *Post velamentũ autem* (inquit) *secundũ tabernaculũ, quod dicitur Sancta sanctorũ, aureũ habens thuribulũ, & vrna aurea habens manna*. Quia bona opera pertinẽtia ad vitam actiuã, cuiusmodi sunt prædicatio Euãgelii, & eleemosyna in pauperes, & alia huiusmodi, multoties manifestari possunt, aut debẽt, propter Dei gloriam, & proximorum vtilitatem. Vnde Dominus apud Matthæum præcepit Apostolis *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*. Et Gregorius lib. 19 Moral. cap. 14. dicit, quod *Aliquando sancti viri coram hominibus cõpelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare: sed ad eum finem omnia referentes, vt non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorũ, qui in cœlis est, debeat glorificari*. Et post pauca, *Compellũtur ergo suã vitã dicere, vt auditorum suorum valeant vitã mutare, &c.* Similiter in Actis Apostolorũ legimus, quod *Aduenĩete Petro, circumsteterunt illum omnes viduæ, flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas* Et de viro pio, & misericorde in pauperes, dicit Salomõ in Ecclesiastico, *Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum*. Hæc, inquam, opera

4. Reg. 20.
Esai. 39.
Hebr. 9.
Matth. 5.
Gregorius.
Actor. 9.
Eccl. 31.

quæ ad exterius animæ tabernaculum pertinent, ante velamentum esse possunt, neque oportet, vt semper velamine sint operta: quoniam, sicut diximus, multoties mauifestari hominibus, aut possunt, aut etiam debent. Cæterum in interiori animi tabernaculo, in quo est thuribulum aureum, plenum odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & manna absconditum diuinæ consolationis, quam in oratione, atque colloquio diuino, sancta anima participat: & de qua consolatione, S. Dauid dicit, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* In hoc, inquam, interiori tabernaculo, necesse est, vt velamentum sit, quo omnia hæc interiora bona velata sint, & in secreto abscondita ab oculis hominum, vsque in diem illum, in quo, sicut Paulus dicit ad Corinth. *Illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Psal. 30.

1. Cor. 4.

Sed obseruandum postremo est, quod dicitur in Exodo quod Moyses *Ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat velamen.* Quia viri sancti, cum per orationem, & contemplationem, ad Dominum intrant, omnia cordis sui arcana illi manifestant, ablato prorsus omni velamine: & reuelata facie gloriam Domini speculantes, ipsi etiam mentis suæ faciem, & cordis vocem repræsentant, quæ tamen ab omnium hominum oculis solicite abscondunt. Propterea in Canticis Dominus dicit ad Sponsam, *Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis.* Quia anima, quæ per dilectionem Dei fit eius sponsa, & per orationem, ac contemplationem cum Deo conuersatur, & colloquitur, faciem habet mentis pulchram, & decoram, & vocem cordis dulcem, ac suauem. Sed hæc pulchritudo faciei, & vocis suauitas, ab omnium hominum cognitione occultanda est, & solius Dei oculis, auribusque propalanda. Hæc de viris perfectis, ac sapientibus, & qui in Ecclesia se ipsos, atque alios instruere possunt ad salutem, dicta esse intelligantur. Nam alij simpliciores, & qui discretionem spirituum non habent, ne in oratione, aut contemplatione, decipiantur à Sathana transfigurante se in Angelum lucis, si quid nouum sibi in oratione inspiratum, aut reuelatum senserint, continuo illud

Cant. 2.

manifestare debent vni ex viris spiritualibus, & sapientibus, quem magistrum loco Dei sibi elegerint, ac iudicem orationis suæ. Nam, teste D. Gregor. in commentarijs super 1. Regum, lib. 2. c. 4. *Ipsa diuinitus inspirata subiectorum desideria, maiorum iudicio submittuntur. Opus namque subiecti diuinitus inspiratum, tunc Deo gratum esse cognoscitur, si maioris imperio, aut permissione peragatur.* Vnde lib. 1. Regum cum Dominus loqueretur ad Samuelem adhuc puerum, ille statim recurrebat ad Heli sacerdotem, & manifestabat ei inspirationem diuinam. Et in lib. Iudicum habetur, quod Angelus Domini apparuit vxori Manue, & nuntiauit ei, quod conciperet filium & illa, cum vidisset Angelum, festinauit, & cucurrit ad virum suum, & nuntiauit ei, quod viderat. Et sancta Iudith surgens ab oratione, in qua diuinam inspirationem habuerat, venit ad Presbyteros, & dixit illis, *Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis, ita quod facere disposui, probate, si ex Deo est.* His sacræ Scripturæ locis aperte admonemur, quod simpliciores in Ecclesia, ne in oratione aliquando decipiantur, ad sacerdotes, & magistros venire debent: vt ipsi probent, an inspiratio, siue reuelatio ex Deo sit, an non. Nam, vt recte docet Ioannes Cassianus, Collatione 16. cap. 11. *Interiores inspirationes, nisi humili, & mansueto corde suscipiantur, & maturissimi fratris, vel probatissimi senioris reseruentur examini, & eorum iudicio diligenter excusæ, aut abijciantur, aut recipiantur à nobis: sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angegelum tenebrarum, grauissimo feriemur interitu.* Mulieres ergo, & alij simpliciores, ne in oratione decipiantur, ad magistrum spiritualem, siue ad Confessarium, qui vicem Dei habet, recurrant necesse est: vt illi secreta orationis suæ examinanda, ac probanda manifestent, & cuius iudicio discernatur spiritus orationis, an ex Deo sit. In quo sensu potest etiam accipi, quod dicitur in Canticis. *Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis.* Quia facies contemplationis, magistro spirituali, qui locum Dei habet, tanquam Deo ostendenda est: & vox, siue loquutio interioris inspirationis Confessario sapienti, qui aures Dei habet, & in foro secretissimo Dei auscultat, resonare debet. Hoc enim

*Gregor. 1. Reg 3.*

*Iudic. 13.*

*Iudith. 8.*

*Cassianus.*

*Cantic. 2.*

facientes, nunquam ab Angelo Sathanæ decipientur, sed ab Angelo lucis edocti, atque illustrati, participes erunt claritatis, & Transfigurationis Iesu Christi. Qui cum Patre & Spiritu sancto, &c. Amen.

## DE EADEM TRANSFIGVRATIONE Christi Domini.

### CONCIO IV.

*Ecce vox de nube, dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* MATTH. 17.

Leo. HÆc, quæ ex sancto Euangelio proposuimus, verba (quemadmodum D. Leo docet in ser. de Transfiguratione Christi) *Non ad illorum tantū vtilitatem dicta sunt, qui ea proprijs auribus audierunt: sed in illis tribus Apostolis vniuersa didicit Ecclesia, quidquid eorum & aspectus vidit, & auditus accepit.* Vniuersæ enim Eccle. datum esse Dominum Iesum in magistrū, atq; Docto-

Esai. 55. rem, quem audire, & cui obedire omnes debeant, Esaias prædixit, *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem Gentibus.* In testem datus est Christus quia sicut ipse dixit in Euangelio, *In hoc natus est, & ad hoc venit*

Ioan. 18. *in mundum, vt testimonium perhibeat veritati.* In ducem vero: quia in omnibus iustitiæ, & virtutum operibus, quasi dux antecessit nos. In præceptorem autem: quia ipse est, quem audire debemus quasi magistrū, qui solus verax est, & viam Dei in veritate docet. Merito autem vox illa exultationis, & salutis, vox Patris intonuit de nube, per quam Spiritus sanctus intelligitur, vt videas, à Spiritu sancto esse illam veritatem, quæ fidei nostræ fundamentū est, nec Patrem ipsum eam loqui, nisi per Spiritum sanctum, qui docet nos omnem veritatem, à quocumq; dicatur. *Spiritus autem loquitur mysteria*, vt Paul. ait: & hoc mysteriū, etiāsi Pater dicat, nisi de nube

Rom 14. de Spiritu sancto, audiatur ab Eccle. non faciet ei fidē. Et quemadmodū in lege veteri Deus, quando dedit le-

Psal. 98. gem Moysi, vt audiret populus, in nube dedit, sicut Da-

uid dicit in Psal. *In columna nubis loquebatur ad eos*, ita *Psal. 98.*
modo mysteria fidei nostræ, in nube lucida, hoc est, in Spiritu sancto, loquitur ad Eccle. vt audiat, & credat. Vt ergo explicemus, quonam modo Christus transfiguratus, & paterna voce comprobatus sit ille Filius dilectus, quem quasi præceptorē nostrū debemus audire assumamus locum ex Apocalypsi sancti Ioan. vbi sic dicitur.

*Vidi alium Angelum, fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius: & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquā columna ignis: & habebat in manu sua libellū apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: & clamauit voce magna, quem admodū cum leo rugit. Et cum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.* *Apoc. 10.* His verbis spirituali sensu intellectis mirabiliter nobis descripsit S. Ioannes Transfigurationem Christi dilectissimi eterni Patris Filij, ac summi Doctoris, & magistri totius Ecclesię, quem omnes audire debent, qui Euangelicam doctrinam, & æternam salutem consequi volunt.

*Vidi* (ait) *alium Angelum, fortem, descendentem de cælo, amictum nube.* Iste Angelus, qui de cœlo descendit, Christus Dominus est. Nam, vt D. Aug. docet, l. 18. de Ciuitate, cap. 35. *Non mirandum est, quod Angelus Dei dictus sit Christus Iesus. Sicut enim seruus propter formam serui, in qua venit ad homines, sic & Angelus, propter Euangelium, quod nuntiauit hominibus: nam & Euangelium bona nuntiatio est, & Angelus, nuntius est.* *August.* Et de ipso Christo intelligit August. id, quod dicit Malachias *Malac. 2. & 3.* Propheta, *Legem requirent ex ore eius: quoniam Angelus Domini exercituū est.* Et postea. *Veniet ad templum suum Dominator, quē vos quæritis, & Angelus testamēti, quem vos vultis.* Vbi Angelū intelligit, nō veteris testamēti, quod tēporalia promittebat, sed noui, vbi sempiterna bona sunt promissa. Angelus magni consilij fuit Christus in Incarnatione, per quā descendit de cœlo: Angelus in sanctitate, in pulchritudine, in officio illuminandi Ecclesiam, & omnes homines, quod est proprium munus Angelorum. Fortis autem est iste Angelus: nam secundum diuinitatē adeo fortis est, vt sit ipsamet fortitudo. Excedit enim in fortitudine cœlum, & terram, atque Angelos, & omnem creaturam, sicut cecini t Maria

soror Moysi, *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis*
1. Reg. 2. *similis tui?* Et Anna mater Samuelis, *Non est fortis, sicut Deus noster.* Ille enim per essentiam fortis est, cæteri vero omnes ab illo participant virtutem, & fortitudi-
Psal. 67. nem, sicut Dauid dicit, *Dominus dabit fortitudinem plebi suæ.* Secundum vero humanitatem fortis fuit in vita mortali, qui vicit mundum, diabolum, & mortem, non
Psal. 23. pugnando, sed patiendo, ac moriendo: de quo dicitur in Psalmo, *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Habuit enim in passione Christus absconditam fortitudinem, per quam deleuit peccatum, & mortem destruxit, & omnes inimicos moriendo superauit. In Resurrectione vero fortis fuit, assumens virtutem immortalitatis, factus impassibilis, & non iam infirmitate sed lætitia, & gloria circumdatus, secundum quod Dauid dicit, *Decorem indutus est, indutus est Dominus fortitu-*
Psal 92. *dinem.* Vbi *decorem* vocat gloriam, & pulchritudinem, quam in Resurrectione habuit: fortitudinem vero, ipsam virtutem impassibilitatis, & immortalitatis, per quam resurgens à mortuis iam vltra nec mori, nec pati quidquam potuit. Hunc decorem, & fortitudinem tantisper Christus Dominus induit in Transfiguratione, in qua *Resplenduit facies eius, sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix:* quæ sunt signa gloriç, & immortalitatis alterius vitæ beatæ. De cœlo descendit Angelus hic fortis, non solum vt homo factus mundum redimeret, atque saluaret, sed etiam vt homines cœlesti doctrina illuminaret, atque doceret: essetque testis fidelis, non solum in cœlo, sed etiam in terra, testimonium perhibens mundo de Deo, ac de Euangelio. Vnde Sanct. Ioannes Baptista dicebat, *Qui*
Ioan. 3. *de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. Qui autem acceperit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Ad hoc ergo descendit de cœlo Dominus Angelorum, qui super omnes est, vt quod vidit, & audiuit in cœlo (vidit enim vt Deus, audiuit vero vt beatus homo) hoc enarraret nobis, ac testaretur: cuius testimonium quicumque acce-
Ambros. perit (ait Ambrosius libro 1. de Vocatione gentium, capite 6.) *Hoc signat, hoc indicat, quod per lucem illumi-*

*nantem factus est videns, factus est obediens, factus est intelligens*: sicut Ioannes Euangelista etiam testatur, dicens, *Scimus, quia Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna* Amictus nube visus est iste diuinus Angelus: tũ in Incarnatione amictus carne quasi nube candidissima apparuit, tũ etiã in Transfiguratione: in qua, sicut Euan. dicit; *Nubes lucida obũbrauit eos*. Ibi enim amictus est lumine, ac splendenti nube, in signum gloriæ, & immortalitatis, quam purissima eius caro habitura erat in statu resurrectionis. Quin etiam tanquam præceptor, & magister gentium, amictus est nube roris, & pluuiæ, ad irrigandam, ad inebriandam, & infundendam terram totius orbis, & vt germinare eam faciat fructus dignos æternæ vitæ, *Nubes pluuiæ in tempore siccitatis*, vt dicitur in Ecclesiastico. I. Ioan. 5. Eccles. 35.

Deinde dicit; *Et iris in capite eius*. Et bene profecto iste Dei Angelus, qui pluuiam sanctæ doctrinæ daturus erat terræ, non solum amictus nube dicitur, sed etiam iridem habens in capite suo. Iris enim, siue arcus cœlestis, signum est futuræ pluuiæ super terram, vt Naturales Philosophi affirmant, & D. Thomas, Quodlibeto. 3. art. 30. & videtur colligi ex Prophetia Ezechielis. vbi dicitur; *Velut aspectus arcus, cum fuerit in nube, in die pluuiæ*. Quo loco D. Hieronymus dicit, quod iris, nisi in pluuia, & in nube aquosa, non potest apparere diuersorum colorum. Recte ergo, vt diximus, iridem habere in capite Christus dicitur, qui pluuiam voluntariam doctrinæ, & gratiæ, segregauit hæreditati suæ. Nam sicut Ioannes Euangelista dicit; *Gratia, & veritas, per Iesum Christum facta est*. Quin etiam in Transfiguratione iris fuit in capite eius, quando gloria coronatus, valde speciosus (quasi arcus cœli) fuit in splendore suo, & resplenduit facies eius sicut sol: vt fidelis inueniretur sapientissimus Salomon, qui longe ante de Christo prædixerat in Ecclesiastico; *Quasi sol refulgens, & quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, aut sicut habent Septuaginta; *Quasi arcus illuminans nubes gloriæ*. Sed & alio sensu dicitur iste Angelus iridem habere in capite. Docet enim D. Basilius, epistola 43. ad Gregorium fratrem, quod quemadmodum in iride diuersitas D. Thom. Ezech. I. Hieronym. Ioan. I. Eccles. 50. Basilius.

colorum est, sed inseparabiles sunt sub vna & eadem luce solis reuerberata, atque refracta, sic etiam in diuinitate plures quidem personæ sunt, inseparabiles tamen sub vna essentia & infinita perfectione. Sic ergo iridem habet Christus in capite, quia Deitatem habet, in qua sub vna essentia tres distinctæ personæ sunt. Vnde D. Paulus ad Corinthios inquit; *Caput Christi Deus*: quia Christi secundum quod carnem
1. Cor. 11. assumpsit, diuinitas caput est, vt Ambrosius explicuit, lib. 4.
Ambros. de fide, cap. 2. atque hoc pacto dictus est iridem cœlestem habere in capite. Præterea, secundum quod docet Grego. Nazianzenus, Oratione 47. & Hieronymus super
Nazian. Hieronym. 1. cap. Ezechielis, arcus cœlestis significat pacem, & pactum nobiscum à Deo initum reconciliationis, & clementiæ, atque misericordiæ nobis præstandæ: significabat etiam Filium Dei appariturum in carne, per quem daretur nobis æterna serenitas, atque tranquillitas. Hoc ergo est, quod iste summus Angelus attulit super caput suum pro nostra salute, quando sol Verbi diuini nubem carnis nostræ penetrauit, & arcum illum cœlestem, qui Christus est, formauit, & feci: attulit, inquam, pactum, siue testamentum pacis, & misericordiæ reconciliationis, & tranquillitatis æternæ. Et vt verbis vtar Salomonis, *Benedictionem omnium gentium dedit*
Eccles. 43. *illi, & testamentum suum confirmaui super caput eius.* Cuius testamenti pacis, & benedictionis æternæ signa nobis Christus ostendit in hac sua gloriosa Transfiguratione, in qua gloriosus apparere voluit, & decorem mirabilem induere.

Vnde sequitur; *Et facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis.* In Euangelio etiam dicitur; *Resplenduit facies eius, sicut sol.* Vbi obseruandum est valde, quam bene conueniat Christo Domino, & summo Angelo noui testamenti, quod facies eius resplendeat sicut sol: de quo antea diximus, datum esse à Deo populis in testem, & gentibus in principem, ac præceptorem. Nihil enim magis proprium esse potest perfecto principi, siue duci, ac fidelissimo testi, quam vt facies iudicij, siue testimonij eius, pura sit, & lucida, atque integra, & sine vlla macula. Quod autem talis fuerit facies nostri Angeli, summi principis, ac iudicis, atque

incorruptissimi testis, sanctus Dauid fatetur, dum inquit; *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Thronus enim iudicij, & principatus Christi Domini, sicut sol est in conspectu Dei: quia omni luce purior, atque candidior est, & permanens, atque immutabilis, sicut ipse sol. Qua ratione apud Malachiam Christus appellatur *Sol iustitiæ:* quia iustitia, & æquitas lucidissima ab illo procedit, sicut meridiana lux à sole. Quod profecto clarissimis verbis insinuat Dauid, inquiens; *Educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum, tanquam meridiem.* Quis iustorum causas tanta rectitudine iudicauit, tam pure, tam iuste (sicut Esaias dicit: *In veritate educet iudicium*) reddens vnicuique quod iustum est, vt eorum iustitia omnibus sit perspicua, & manifesta, sicut meridiana lux. Testis etiam in cœlo fidelis Christus est (nam simul est *Iudex, & testis*, vt Hieremias dicit) cuius testimonium non solum verum est, & fidele, sed etiam lucidissimum ad illuminanda corda hominum luce sapientiæ cœlestis, sicut Dauid fatetur, inquiens, *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Omnis enim fidelium, & iustorum sapientia, testimonio Christi Iesu innititur, & ab eo tanquam à fonte procedit: qui paruulis, & humilibus, diuina mysteria, quæ in cœlo videt, fideliter testificatur, & reuelat. Quid vero, si nostrum Angelum consideremus datum à Deo magistrum, & præceptorem gentibus? Nihil ei magis cõuenit, quam vt facies eius sit, atque resplendeat vt sol. Quemadmodum enim sol, vnus cum sit, omnibus lucem præbet, ac splendorem, omnia lætificat, & viuificat, sic etiam & facies Christi Iesu resplendens vt sol totam sanctam Ecclesiam illuminat, & vniuersis, qui in ea sunt, lumen fidei, claritatem sapientiæ præbet: & de vultu illius omnium veritatum splendores procedunt, & radij splendidissimi omnium gratiarum. Nulli enim melius quam Christo Regi gloriæ competere potuit, quod terreno Regi dixit Esther Regina: *Valde mirabilis es Domine: & facies tua plena est gratiarum.* Facies enim Christi nos docet, ipsa sicut sol nos illuminat: & in hanc faciem Christi sui respiciens Pater, electis omnibus vitam gratiæ, & beatitudinis gloriam largitur,

Psalm. 88.
Malach. 4.
Psalm. 36.
Esay. 42.
Hiere. 29.
Psal. 18.
Esther. 15.

Audiamus sanctum Dauid in spiritu orantem, ab hac
Psalm. 118. facie Christi illuminari, & doceri. Ait enim. *Faciem tuã illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.* Et alibi, orantem ab hac facie misericordiam Dei, &
Psalm. 66. benedictionem obtinere, cum dicit: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Audiamus, denique Paulum scribentem ad Corinthios; *Deus, qui dixit de tenebris lumen splẽ-*
2. Cor. 4. *descere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationẽ scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* Quasi diceret; In hac facie Christi Iesu, quæ sole splendidior est, tanquam in quodam fonte luminis est omnis lux, & claritas, & sapientia, quæ illuxit in cordibus Apostolorum, & illucet in cordibus omnium fidelium, vt filij lucis sint, & tanquam filij lucis ambulent in via Dei, donec perueniant ad patriam claritatis æternæ: cuius quasi vestigiũ iste Angelus Dei in sua Trãsfiguratione nobis monstrauit, quando *Resplenduit facies eius sicut sol, &c.*

Quod vero subdit; *Et pedes eius tanquam columnæ ignis*: ego hos pedes Christi, & columnas igneas intelligo illos tres Apostolos, Petrum, & Iacobum, & Ioannem, quos Christus secum assumpsit in montem,
Galat. 2. & habuit secus pedes suos: & de quibus Paulus ad Galat. scribit, inquiens: *Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse.* Isti ergo, pedes Christi erant, vt nomen eius, & Euangelium portarent per vniuersum orbem, sicut & cæteri Apostoli: quibus mandatum à Christo datum est; *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ipsi etiam columnæ sunt
Marc. 16. Ecclesiæ, quam sustentant in fide, & religione: in qua ipsi, tam vita, quam doctrina firmi, & stabiles, & immobiles virtute Christi, & calore, & igne Spiritus sancti
Psal. 74. effecti sunt, sicut per os Dauid ipse Dominus dixit: *Ego confirmaui columnas eius.* Apostolos enim antea infirmos, ac facile mobiles, Christus in sua Resurrectione
August. firmauit: & sicut D. Augustinus dicit: *Columnæ illæ, quæ in passione Domini nutauerunt, resurrectione firmatæ sunt.* Sed & Spiritus sanctus in igne descendens in die Penthecostes has columnas confirmauit: cuius virtute induti Apostoli ex alto, de tanta pusillanimitate ad tantam venere constantiam. Imo vero & Christus in hac

ſua Transfiguratione nonnihil etiam has columnas cõfirmauit, oſtendens eis gloriam ſuam: vt in eam vultus eius claritatem reſpicientes Apoſtoli, conſtantiam, atque fortitudinem toto corde conciperent, & nihil de ſuſcipiendæ crucis aſperitate trepidarent, aut de ſupplicio Christi erubeſcerent.

*Et habebat* (inquit) *in manu ſua libellum apertum.* Ad Ezechielem Prophetam *Miſſa eſt manus, in qua erat inuolutus liber.* Sed noſter Angelus iam non inuolutum, ſed apertum librum habet in manu ſua. Vocat autem librum, ſeu libellum, ſanctum Ieſu Christi Euãgelium: quia vnicum tantum Euangelinm eſt: & (ſicut Apóſtolus ſcribit ad Galatas) *Non eſt aliud: niſi ſunt aliqui, qui volunt conuertere Euangelium Chriſti.* Hoc autem eſt Euangelium, quod iſte Angelus fortis venit annuntiare, & prædicare, & nos debemus ſemper audire, ſicut vox Patris de nube præcepit, dicens; *Ipſum audite.* Audire enim Filium Dei, aut vocem eius, eſt audire Euangelium, vt Auguſtinus dicit, ſermone 64. de verbis Domini. Hunc libellum noſter Angelus appertum habebat, non iam ſignatum: quoniam ipſe Dei Filius, & Dominus Angelorum, qui tanquam agnus occiſus eſt, vt nos redimeret, & tanquam leo reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, ipſe, inquam, ſolus *Dignus fuit accipere librum, & ſoluere ſignacula eius*, atq; aperire illũ. Et non ſolum aperuit librum S. Euangeli j, & totius ſacræ Scripturæ, quæ in illo quaſi recapitulata eſt, & abbreuiata, ſed etiam Apoſtolis, vt Sãct. Lucas inquit, *Aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas*: & quicunque ſano ſenſu, & Catholico, interpretari eas, & intelligere, atque audire voluerint, neceſſe eſt, vt de manu huius Angeli librum accipiant: ſicut & ipſe ſanctus Ioannes Euangeliſta accepit librum apertum de manu huius Angeli, & deuorauit illum, & fuit in ore eius dulcis tanquam mel; ita vt diceret cum Dauid. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Prius ergo, quam hic diuinus Angelus, hic Filius Patris dilectiſſimus, de cœlo deſcenderet amictus nube carnis humanæ, inuolutus erat liber Scripturæ ſacræ, ſignatus erat, ſed poſtquam ille in mundum venit, & prædicauit Euãgelium Regni Dei, apertus eſt liber, & ſoluta ſunt in-

*Ezech. 2.* *Galat. 1.* *Auguſt.* *Apoca. 5.* *Luca 24.* *Apoc. 10.* *Pſalm. 118.*

uolucra,& signacula eius,ita vt ab omnibus legi possit, & intelligi,& credi,quorum Dominus aperuit sensum,
1. Cor. 4. & cor,vt credant,& obediant Euangelio Christi. *Quod si opertum est Euangelium nostrum*, ait Paulus, *in his, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus, huius saeculi excaecauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij*
Chrysost. *gloriae Christi*. Deus enim ( vt Chrysostomus ibi docet,
Irenaeus. Homil. 8. & ante illum Irenaeus, lib. 3. contra Valentinum, cap. 7. ) propter peccata praecedentia aduersus legem naturae permittit infideles excaecari, & ita obscurari eorum mentes, vt non videant mysteria Euangelij, ipso Deo subtrahente ab illis, & excludente radios lucis suae, & illius faciei, quae resplenduit sicut sol, atque illuminat omnem hominem venientem ad lucem, & veritatem Euangelicam. Fateor etiam,nomine Dei huius saeculi posse intelligi cum D. Th. Lectione.
D.Thom. 2. quidquid aliquis pro fine vltimo sibi constituit, & in quo eius desiderium quiescit. Verbi gratia: voluptuosus habet pro fine vltimo delitias: ideo delitiae sunt
Philip. 3. Deus illius,sicut Paulus dicit ad Philippenses, *Quorum Deus venter est*. Auarus habet pro fine vltimo diuitias: ideo diuitiae sunt Deus, seu Idolum illius, sicut
Ephes. 5. Paulus dicit ad Ephesios, quod *Auaritia est Idolorum seruitus*. Ambitiosus habet pro fine vltimo immoderatos honores: propterea ipsi sunt Deus illius. Illud ergo, quod homines saeculariter viuentes pro Deo habent, & colunt, operit eis Euangelium Christi, vt non fulgeat illis eius lux, & doctrina, vt conuertantur à via sua mala,& salui fiant.Auaro diuitiae operiuntEuangelium, quod praecipit dare eleemosynas pauperibus. Voluptuoso homini voluptates, & delitiae operiunt Euangelium, quod praecipit, caste, ac temperate viuere, & poenitentiam agere. Ambitioso immoderatus honor operit Euangelium, quod praecipit immoderatos mundi honores spernere, humiliare se, & nouissimum locum tenere. Quod & Christus suo exemplo nos docuit, qui, cùm vellent eum Regem constituere, *Fugit in montem ipse solus*, vt S. Ioannes Euangelista narrat.

*Et posuit pedem suumdextrum super mare, sinistrum autem*
Ioan. 6. *super terram*. O plane diuinum praeceptorem, & magistrum

gistrum gentium, qui & terram, & mare perambulauit sanctis pedibus suis, vt doceret omnes gentes, atque saluaret. O plane diuina sapientia, de qua Salomon in Ecclesiastico longe ante prædixerat; *In fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti.* Lege sanctum Euangelium, & inuenies, quosdam Apostolorum vocasse ad Euangelium de terra, quosdam autem de mari. *Primo tempore,* inquit Esaias, *alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim: & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium.* Quia, teste diuo Hilario Cano. 3. in Matthæum, & super Psalm 67. ab his locis cœpit Christus eligere Apostolos, & prædicare Euangelium. Imo & S. Matthæus hoc significat in Euangelio. Ait enim, quod secessit Iesus in Galilæam, & *Habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nepthalim, vt adimpleretur, quod dictum est per Esaiam Prophetam; Terra Zabulon, &c.* Et subdit; *Exinde cœpit Iesus prædicare, &c.* Sanct. Lucas etiam affirmat, Christum in mari docuisse multos. Ait enim: *Sedens docebat de nauicula turbas.* Ecce ergo quo pacto Christus, Dei sapientia, & gentium præceptor, vt doceret omnes de Regno Dei, in fluctibus maris ambulauit, & in omni terra stetit. Neque his contentus fuit noster Angelus noui testamenti: sed & Apostolos elegit, tanquam pedes suos, & tanquam columnas igneas, vt impigri per mare currerent, ac per terram omnem, docentes, ac prædicantes Euangelium pacis, ac lucis, & salutis æternæ: & vt peccatores caperent quasi pisces maris, & animantia terræ. Sane, quod Deus Pater per Hieremiam prædixerat, inquiens: *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Vbi D. Hieronymus, lib. 5. & Origenes Homil. 12. per piscatores intelligunt Apostolos: per venatores vero, aut Angelos, aut Ecclesiasticos viros. Sed nihil vetat, etiam venatores dici Apostolos, quatenus per terram vniuersam discurrerunt, vt de venatione sua afferrent Deo animas hominum prædicatione Euangelij captas, & quibus ipse Deus libenter vescitur. Considera Paulum Apostolum discurrentem, quasi venatorem per terram, &, quasi

Eccles. 24.
Esa. 9.
Hilarius.
Matth. 4.
Esai. 9.
Luc. 5.
Hiere. 16.
Hieronym.
Origenes.

piscatorem, per mare, portantem Iesu Christi nomen prædicantem Euangelium omni creaturæ, abundantius aliis laborantem, & inter innumera discrimina pe-
2. Cor. 11. riclitantem, sicut ipse ad Corinth. scribit: *Periculis in terra, periculis in mari*: & videbis in eo pedes Christi, quasi columnas igneas, non solum super terram, sed etiam super mare: ita vt doctrinam Euãgelica sua prędicatione compleuerit: & vt ipse scribit ad Romanos,
Rom. 15. *Ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerit Euangelium Christi*. Sed & alio sensu, iste diuinus Angelus dicitur posuisse pedem dextrum super mare, & sinistrum super terram: videlicet, vt ostenderet, se esse factorem, & Dominum, non solum cœli, sed etiam terræ & maris: de quo Dauid ante prædixerat; *Ipsius*
Psalm. 94. *est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius*. Et alio loco: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*. Vt ergo nobis ostenderet, Deum Patrem omnia subiecisse sub pedibus eius, posuit alterum pedem super terram, & alterum super mare. Aut fortasse idcirco pedes posuit super mare, & terram, vt ea despiceret, atque calcaret, & quasi pro nihilo reputans sub pedibus haberet. Quod sanè præceptori Euangelico, & Magistro Ecclesiæ, atque animarum, proprium, atque germanum (exemplo Christi) esse debet. Væ autem illis Ecclesiæ magistris, qui tanta hypocrisi, aut ambitione occupati sunt, vt mare, & aridam circuire non cessent, quærentes, non animas hominum, quas ad Christum conuertant, & trahant, sed honores, dignitates, & primos accubitus, tanquam iniusti piscatores, & venatores: hi accipient damnationem maiorem.

*Et clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit: & cum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.* Multoties hic noster Angelus cœlestis clamauit ma-
Ioan. 7. gna voce. Nam in templo docens, *Clamauit voce magna*, vocans homines ad doctrinam, & Euangelium suum: & in cruce moriens, & consummans opus no-
Matth. 27. stræ redemptionis, *Clamans voce magna emisit spiritum*. Ad cuius vocem omnes humani generis aduersarij fugerunt: & sicut dicitur per Esaiam: *A voce Angeli fu-*
Esai. 33. *gerunt populi*. Denique postea sicut leo clamauit ma-

gna voce, quando per totum orbem sonuit illa magna vox Euangelij Christi, quæ exterruit dæmones. Idola deturbauit, & totam terram commouit, atque ex ea plurimos ad veram fidem conuertit, sicut Dauid dixit: *Dedit vocem suam mota est terra.* Terra enim mota est ad vocem Euangelij, quando prædicantibus Apostolis reliquit Idola sua, errores, & vitia: & conuersa est ad Deum verum, & Dominum nostrum Iesum Christum, in quem credidit, & quem amauit, & cui deinceps obediuit. Hoc pacto septem tonitrua loquuta sunt voces suas. Quoniam Apostoli, qui sunt Christi tonitrua, & *Filij tonitrui* (vt de quibusdam dicit Marcus Euangelista) postquam Christus clamauit voce sua magna, illi cœperunt sonare, & clamare per totum orbem, prædicantes, & euangelizantes vbique, & portantes per terram, & mare, nomen Christi, voce quasi tonitrui cuiusdam, quemadmodum S. Dauid dixit ad Deum: *Vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.* Per circuitum enim totius orbis sonuit Euangelici tonitrui vox, coruscantibus simul miraculis, & prodigiis, quæ per manus Apostolorum fiebant: quibus, audientes, & videntes, commoti sunt, & ad Christi fidem conuersi, non solum in terra, sed etiam in mari: vt in terra, & in mari esset Christus, qui est via vitæ, per quam ambulemus, & veniamus ad Patrem. Qui cum ipso Iesu Christo, & Spiritu sancto, viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

*Psalm. 45.* *Marc. 3.* *Psalm. 73.*

# DE SOLEMNISSIMO INGRESSV CHRISTI DOMINI, in Hierusalem, in die Palmarum.

## CONCIO PRIMA.

*Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum.* MATTH. 21.

POST illud insigne opus, & singulare miraculum, quo Christus Dominus Lazarum, iam quatuor dies in monumento habentem, mirabiliter suscitauit, & in hanc lucem reuocauit, mox subsequutus est solemnissimus eius ingressus in sanctam ciuitatem Hierusalem cum magna gloria, & honoratissimo occursu, in voce exultationis, & confessionis, & acclamatione totius populi. Plane in operibus mirabilibus
Psalm. 41. Christi Domini (sicut S. Dauid inquit) *Abyssus abyssum inuocat.* Nam abyssus vnius miraculi abyssum alterius ad se vocat & dum miraculum miraculo additur, gau-
Ioan 12. dium gaudio cumulatur. Siquidem (vt S. Ioannes Euāgelista testatur) propterea turbæ occurrerunt obuiam Christo cum palmis, & laudibus, *Quia audierant, illum fecisse illud* mirabile *signum*, quo Lazarum suscitauit. Imo & propter alias multas, quas viderant virtutes, occurrerunt ei turbæ *Gaudentes, atque laudantes Deum*
Luc. 19. *voce magna*, vt S. Lucas Euangelista dicit. Totus ergo iste solemnissimus ingressus Christi Iesu in Hierusa-

lem, plenus gaudio fuit, plenus iucunditate, & gloria. Nam Christus ipse lætissimus ibat, & gaudio plenus, ad passionem, & mortem, qua pro salute humani generis, ex ineffabili sua misericordia, & charitate, elegit pati. Apostoli vero, & turbæ, singulari lætitia, & exultatione repleti sunt, occurrentes obuiam Regi, & Saluatori suo: & præsentem iam videntes, quem antea venturum esse sperabant: & à quo, sicut S. Irenæus docet, lib. 4. contra Valentinum, cap. 24. maiorem libertatem, & gratiæ munerationem accepturi erant, quam acceperant priores iusti, & qui erant sub priori, & veteri testamento. Quam gratiæ abundantiam S. Dauid in spiritu longè ante præuidens, dicebat. *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.* Ad hoc ergo venit iste Rex gloriæ, Filius Dauid, de Monte oliuarum, & ingreditur ciuitatem Hierusalem in lætitia, & gloria, vt per mortem suam foras eiiciat principem huius mundi, & nouam sedem, & Regnum Dauid constituat, & Christianum populum, quasi alterum Dauid, vngat vnctione gratiæ, & misericordiæ suæ, & consortem efficiat illius Regni sui, *cuius regni non erit finis.*

*Irenæus.* *Psalm. 34.* *Luc. 1.*

Libro 1. Regum sacratissima narrat Historia, quod Samuel, missus à Domino, implens cornu suum oleo, & tollens vitulum in manu sua, *Venit in Bethleem, & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei: dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? Et ait: Pacificus. Ad immolandum Domino veni: sanctificamini, & venite mecum, vt immolem.* Et infra. *Tulit Samuel cornu olei, & vnxit Dauid, &c.* Non aliter in præsenti Christi ingressu in Hierusalem contigisse videtur, si rem spiritualiter consideremus. Samuel enim, vt Origenes dicit, Homilia super 1. Regum, interpretatur, *Ibi ipse Deus*, aut sicut Hieronym. docet in locis Hebraicis, & post illum Gregor super 1. Regum, interpretatur, *Nomen eius Deus.* Quare rectè assimilatur Filio Dei, qui antequam à Patre mitteretur in mundum, habitabat in *Ramatha*, hoc est, in *Excelso.* Plane in excelso cœlorum habitaculo: de quo Apostolus dicit ad Hebræos; *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando*

*1. Reg. 16.* *Origenes.* *Hieronym.* *Gregor.* *Hebr. 1.*

*Angelorum, Filius meus es tu?* Solus ergo Christus Dominus est hic verus Samuel, cuius nomen est Deus, &
Apoc. 19. Filius Dei: & sicut S. Ioannes in Apocalypsi vidit, *vocabatur nomen eius, Verbum Dei.* Ipse etiam est, in quo est ipse Deus, non per gratiā adoptionis, sicut in cæteris, sed per vnionem personalem Verbi ad naturam humanam: & de quo Paulus ad Corinthios scribit, *Deus*
1. Cor. 5. *erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Propter hanc mūdi reconciliationem tulit secum vitulum, hoc est, carnem, quam de Virgine sumpsit, vt eam immolaret Domino sacrificium & hostiam in Hierusalem, Prop-
Hebr. 10. & 9 ter quod, sicut & S. Paulus ad Hebræos dicit, *Ingrediens mundum, dicit, Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* Et paulo anteà dixerat, *Non enim per sanguinem hircorum, aut vitulorum sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Huic ergo Samueli venienti in mundū & ingredienti Hierusalem ad sacrificium passionis suæ præcipit diuinus Pater, inquiens, *Imple cornu tuum oleo.* Primo, quoniam ipse Iesus, plenus oleo Spiritus sancti venit in mundum *Non enim ad mensuram dedit illi Deus spiritum,* vt S. Ioannes dicit. Dauid etiam in Psalm. *Vnxit te, Deus*
Ioan. 3. *Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Nam cæteris ho-
Psal. 44. minibus, & Angelis sanctis, ad mēsuram datum est oleū gratiæ Spiritus sancti, sed in Christo omnis plenitudo diuinitatis, & omnis gratia Spiritus sancti plenissime diffusa est. Aut secundo, *Impleuit cornu suum oleo* (sicut
Greg. Gregor. explicat, li. 6 sup 1. Regū, ca. 3.) quia veniens in mundum Christus Dominus, duritiam, & austeritatem legis soluit, & omne, quod rigidum in illa erat per gratiæ suæ fomenta reparauit. Hinc est, quod de Chri-
1. Reg. 2. sto per Annam matrē Samuelis dicitur, *Sublimauit cornu*
Luc. 1. *Christi sui* & per Zachariam, *Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Tunc enim maxime sublimatum est, & erectum cornu potestatis, & Regni Iesu Christi quando factum est, non iam cornu seueritatis, & iustitiæ ad vindicandū, & puniendum, vt in veteri lege, sed cornu salutis, & pietatis, & misericordiæ: cornu plenum oleo, & vnctione gratiæ, ad remittenda peccata, & saluandas animas. Propterea ingrediens Iesus in Hierusalem, dicitur venisse, aut descendisse de Monte

Oliuarum: quia veniebat plenus oleo spiritus Sancti oleo amoris, & mansuetudinis, plenus spiritu pietatis. Quæ omnia per oleum in sacra Scriptura significari solent, vt sancti Patres docent, maxime Gregorius, lib. 19. Moral. cap. 11. & super 1 Regum, lib 4. cap. 4. *Gregorius.*

Samuele veniente in ciuitatem Bethleem, sicut dicit Scriptura, *Admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei.* Eodem pacto & Iesu veniente à Monte Oliuarum in Hierusalem, sicut sanctus Ioannes Euangelista dicit, *Turbæ quæ venerant ad diem festum, cum audissent, quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.* Nulli dubium est, quod etiam turbæ occurrentes Christo, admiratæ sunt præ nimio gaudio, & exultatione, videntes gloriam magnam regi sui pacifici: qui non solum veniebat pacificus, sed, sicut Paulus ad Colossenses, scribit, *Pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Vnde, sicut S. Lucas dicit, turbæ occurrentes ei, gaudentes, & laudantes Deum, dicebant, *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Ecce iterum nostrum Samuelem, non solum Regem, sed etiam vngentem Reges, Regem Regum, & per quem Reges regnant: ecce illum, qui venit *In nomine Domini* (hoc enim est, *Samuel*) id est, *Nomen eius Deus,* de quo Dauid dicit in Psalmo, *Dominus nomen illi.* *Ioann. 12.* *Colos. 1.* *Luc. 19.* *Psal. 67.*

Ad immolandum Domino venit ille Samuel: non vt offerret seipsum, sed vitulum, quem tulerat de armento: sed noster diuinus Samuel (sicut Paulus docet) *Non in sanguine alieno introiuit in Sancta, sed per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, & ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Hoc autem totum à nostro Samuele Christo Domino factum est, vt offerens semetipsum pro nobis (sicut Paulus dicit in Epistola ad Titum) *Redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hoc enim fuit instituere nouum Regnum Dauid, & vngere nouum Regem Dauid, hoc est, populum Christianum, fidelem, acceptabilem Deo, per gratiam Spiritus *Hebr. 9.* *Tit. 2.*

Psal. 88 sancti, & Regium populum, atque vnctum vnctione misericordiæ suę. Dequo Christiano populo atque vn-
Apoc. 1. & 5 cto vnctione Dauid dicitur in Psalm. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.* Et in Apocalypsi Ioannis quatuor animalia, & seniores cantantes coram agno canticum nouum, dicebant *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.* Quemadmodum enim Christus Redemptor noster, Rex est, & sacerdos, ita etiam populum Christianum, quem redemit sanguine suo, fecit ipse Deo Patri Regnum, & sacerdotes. Regnum quidem: quia per fidem, & gratiam Spiritus sancti, tanquàm oleo cœlesti, vnxit eum, in ipso regnat: sacerdotes vero, quia proprium est Christianorum offerre Deo spirituales hostias, & iuxta consilium Pauli in e-
Rom. 12. pistola, ad Romanos, offerre corpora sua, *Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Hostiam viuentem vocat, *Corpus Christiani pro Domino afflictum, quod & hostia dicitur, & viuens* (teste
Gregor. Gregor. homil. 22. super Ezechiel.) *quia viuit in virtutibus, & est à vitiis occisum. Hostia, quia iam huic mundo est à prauis actionibus mortuum: viuens autem, quia cuncta, quæ praualet, bona operatur.* Sic etiam erit hostia sancta soli Deo consecrata, & separata. Hoc enim est, esse aliquid sanctũ Domino. Quod si sancta fuerit hostia, consequenter erit Deo placens. Ea enim, quæ sancta sunt, bene placita sunt Deo, dicente
Psal. 146. Dauid: *Beneplacitum est Domino super timentes eum* Et ite-
Psal. 149. rum, *Beneplacitum est Domino in populo suo* Propterea oblaturus sacrificium vituli ille Samuel exigebat à senioribus Bethleẽ, inquiens, *Sanctificamini, & venite me cum vt immolem:* quia noster verus Samuel, Christus Dominus veniens Hierusalem ad passionẽ, ita sanctificauit se ipsum pro nobis, & immolauit in ara crucis, vt etiã exigat à nobis: vt ad victimam, & oblationẽ illi exhibendã nos sanctificemus: vt cõpatiamur illi, atq; socij passionum eius simus, vt simul cũ illo consolemur, atq; re-
Bernardus. gnemus. Sed (vt D. Bernar. inquit, sermone 3. de Purificatione) *Quid nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorẽ quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus of-*

*ferentes illi, quod sumus vtique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit: tu quis es, qui teipsum offerre cunctetis? Quis mihi tribuat vt oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere?* Sed iam textum sancti Euangelii breuiter percurramus.

*Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad Montem Olineti, tunc misit duos Discipulos, dicens eis,* Tam ex Euangelio Matthæi, quam etiam Marci, constat, Christum Dominum, & turbas quæ illum sequebantur, discessisse ab Hiericho: & cum in via sanasset cæcum, appropinquasse Hierosolymam, & venisse Betphage ad Montem Olineti. S. Lucas dicit, quod *Præcedebat ascendens Hierosolymam.* Singularem Christi erga nos charitatem, & misericordiam significat, quod ipse voluntarie veniebat, imo & præibat ad locum passionis & ad ciuitatem, in qua condemnandus erat morti, & extra quam a Gentibus crucifigendus erat pro salute humani generis. Hisichius, li. 4. super Leuiticũ, animaduertit, quod cum Leuitici 14. præcipitur, vt sacerdos veniat ad leprosum mundandum extra castra, mysterium insinuatur; quod Christus venit in mundum ad sanandum genus humanum peccati lepra infectum: venit etiã in Hierusalem ad passionẽ extra castra. Propterea apud S. Lucam habetur, quod piissimus ille Samaritanus in via, quæ ducit ab Hericho in Hierusalẽ, inueniens hominem saucium, atque plagatum, venit secus eum. *Et appropians alligauit vulnera eius.* Neque enim possibile erat, hominem, pro peccato sauciũ, ad Christum venire, sed necesse fuit, vt ipse Christus, Summus sacerdos, veniret ad leprosum, & pientissimus Samaritanus ad hominem saucium, vt sanitatem, & salutem consequeretur. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus* (ait D. Paulus) *quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Neque solum voluit in mundum venire, sed etiã in Hierusalem, & extra castra: vt leprosum hominẽ mundaret, atq; sanaret: & sicut D. Paulus ad Hebreos dicit, *Vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Cuius egregias conuenientias adducit D. Tho. 3. p. q. 46. ar. 10. ad. 2.

*Hisichius.* *Luc. 10.* *1. Timot. 1.* *Hebr. 13.*

*Ite in Castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi.* Obseruandum est primo, quod secundum senten- *Iustinus.*

Hieronym. tiam Iustini Martyris in Dialogo contra Tryphonem, & Hieronymi epistola 27. ad Eustochium ca. 6. illud Castellum non fuit Hierusalem, sed ipse vicus Betphage, in quo illa animalia, asinus, & pullus, inuenta sunt & adducta ad Christum: quoniam Dominus non intrauit vicum illum, sed appropinquauit termino illius. Idem docet Iustinus in Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem. Vbi etiam addit, quod pullus alligatus erat ad vitem, vt adimpleretur Prophe-

Genes. 49. tia Iacob, *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Sed, an hoc certum sit, non constat. Alij existimant, hoc Castellum fuisse ipsam Hierusalem, vbi asina, & pullus, alligati seruabantur. Sed, quidquid sit de sẽsu literæ, in sensu spirituali, iuxta omnium Sanctorum intelligentiam, illud Castellum figuram habet huius mundi, in quo homines vitiis dediti, & peccatis seruientes, quasi immunda animalia, peccatorũ suorum vinculis alligati, & constricti tenentur. De hoc Castello dixit Christus Apostolis, *Quod contra vos est*: quia mũdus, & omnia, quæ mũdus diligit, & quæ mũdo seruiũt, cõtraria sunt Christo, & Apostolis, & viris iu-

Luc. 11. stis. *Qui non est mecũ* (ait Christus apud Lucã) *contra me est.* Qui enim non adhæret Christo, & voluntati eius subiectus est, cõtrarius illi est. Recte dictum est à Salomone in Ecclesiastico, *Contra malum, bonum est, & contra*

Eccl. 33. *mortem vita: sic & contra virum iustum peccator.* Nam cũ opera iustorum bona sint, & Deo grata, (opera enim vitæ sunt) iniquorum vero hominum mala, sint, & ad mortẽ, necesse est, contrarietatem, & pugnã esse inter peccatores, & iustos: quorum opera non tantum diuersa sed & aduersa, & inter se pugnantia sunt. Qua ratione, sicut Salomon ait, etiam impij dixerũt apud se, *Cir-*

Sapient. 2. *cumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Grauis est nobis etiam ad videndum: quoniã dissimilis est aliis vita illius, &c.* Hoc autẽ mirabili Dei sapiẽtia & prouidẽtia factũ est, propter Ecclesię profectũ, & iustorũ cõmoda multa, quibus peccatores seruiũt & in multis maximas afferũt vtilitates. Quẽadmodũ enim in hoc mũdo inferiori, qui ex elemẽtis cõstat, & mixtis, multas videm⁹ cõtrarietates, ex quib⁹ generatio-

nes, & corruptiones fiunt, atque hoc modo naturæ rerum corruptibilium,& species,conseruantur, ita etiam in Ecclesia Christi contrarietates sunt, & pugnæ inter bonos, & malos, quorum opera contraria sibi inuicem sunt. Sed his aduersis iusti & multiplicantur, & in virtutibus crescunt: sicuti Filij Israel,quanto magis opprimebantur ab Ægyptijs, *Tanto magis crescebãt, et multiplicabantur*: & (vt S. Leo dicit serm. 1. de natali Apostolorum Petri, & Pauli) *Non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur: et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Neque vero iusti solummodo crescunt contrarijs operibus impiorum, sed etiam eorum vexationibus,& iniquis operibus erudiuntur ad salutem,& humiliores fiunt: sicut apud sanctum Iob de viris iustis dicitur, *Erudiens eos, instruit disciplina, vt auertat hominem ab his, quæ fecit, et liberet eum de superbia.* Praua enim opera malorum, quibus viros iustos vexare, & oprimere conantur, quasi quædam disciplina Dei sunt, qua eos instruere, & erudire solet, vt & ab anteactis culpis diligentius caueant, & ab omni fastu superbiæ liberi, humiliores in oculis Dei, & sanctiores fiant: sicut Dauid dicebat Domino, *Humiliasti nos in loco afflictionis*: ad insinuandum, quod afflictiones prauorum deseruiunt iustis ad custodiam, & profectum humilitatis. Exemplum huius rei sit nobis diuinus Ignatius, qui in epistola 15. quæ est ad Romanos, dicit, *A Syria Romam vsque vinctus depugno per terram, et mare, die, ac nocte, cum decem leopardis (hoc est, cum militari custodia) qui ex beneficiis peiores fiunt: in iniustitiis autem eorum magis edoceor, sed nec in hoc quidem iustificor.* Ecce sanctissimum virum, prauorum iniustitijs & eruditum, atque ita humiliatum, vt non existimaret se iustificatum esse, qui iustissimus erat. Denique ad hoc deseruiunt etiam Sanctis opera impiorum, ipsis contraria, vt illorum iustitia, & sanctitas magis elucescat, atque resplendeat. Quemadmodum enim *Opposita* (vt aiunt) *iuxta se posita, magis elucescunt*,& album, si iuxta nigrum ponatur, candidius apparet, ita etiam Sancti, & eorum bona opera, quando iuxta impiorum opera collocantur,maiorem puritatem, & splendorem ostendunt. Vnde &

*Exod. 1.* *Leo.* *Iob 33.* *Psalm. 43.* *D. Ignat.*

Philip. 2. Paulus ad Philipppenses Sanctos scribit, *In medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Quemadmodũ enim stellę cœli multo magis lucent inter tenebras noctis, sic etiam virtutes Sanctorũ multo maiorẽ splendorẽ emittunt, quando cõparantur ad contraria opera impiorum, inter quos versantur, & quorũ iniquis operibus cruciantur, sed non deijciuntur neque superantur. Quia sicut S. Ioan. Euangelista dicit, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Sunt etiam viris sanctis ad hoc vtiles impij, & peccatores, vt eos sua doctrina, & exemplis corrigant, & emendent: vt à vinculis peccatorum liberent, & soluant, & ad Christum adducant: vt de cætero illi seruiant, & salutem æternam consequantur: quemadmodum Apostoli soluerunt asinam, & pullum, & adduxerunt ad Iesum, vt ei deseruirent ingredienti sanctam ciuitatem.

Ioan. 1.

*Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.* Addit S. Lucas, *Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos, Quid soluitis pullum?* Obserua igitur, ad quantam miseriam venit homo peccator, & comparatus iumento insipienti: quia non solum ligatus est, & captus tenetur vinculis peccatorum, sed etiam plures habet dominos, qui tyrannico imperio in eum dominium exercent. Diabolus ei dominatur, & appetitus, & caro: & quot vitia exercet, & quot passionibus obtemperat, tot habet dominos, quorum seruus est: & quemadmodum Origenes dicit, homil. 5. super Leuiticum, *Qui peccator est, & immundus, multorum est: multi enim dæmones possident eum. Qui autem sanctus est, solius Dei est.* Audi Hieremiam in Lamentationibus deplorantem miserũ statum populi sui, qui propter peccatum captiuus erat & plures habebat dominos. Ait enim, *Serui dominati sunt nostri.* Hoc enim est maxime lugendum in peccatore, quod caro, quæ seruire debet animæ, & appetitus, qui obedire debet rationi, ita se erigant aduersus spiritum, vt illum deprimant, ac possideant, & illi dominentur: & fiat quod per Esaiam prædictum est, *Effœminati dominabuntur eis.* Nihil enim magis effœminatum, minusque virile est, quam caro nostra, & ap-

Luc. 19.

Origenes.

Thren. 5.

Esai. 3.

petitus eius, opera carnis, & passiones peccatorum. Sed hunc peruersum ordinem efficiunt iniquitates, & peccata in homine, quem ligatum tenent veluti iumentum, quod isti effœminati dominantur in eo rationi, & spiritui, qui iuxta rectũ rationis ordinem dominari, & imperare debet, secundum quod Deus in Genesi dixit, *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*: imo & secundum quod Aristoteles docet in libro 6. Ethicorum, capite 2. rectum ordinem esse, vt ratio præcipiat, & pereat, ac persequatur appetitus. Quod vero qui sanctus est, solius Dei sit, ostendit S. Dauid, dicens ad Dominum, *Tuus sum ego*. Super quæ verba D. Ambrosius, sermone 12. inquit, *Facilis vox, & communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim, qui potest dicere Deo, Tuus sum. Ille dicit, qui adhæret Deo totis sensibus: qui aliud cogitare non nouit. Apostolorum ista vox est, qui dixerunt* Domino, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Non potest dicere sæcularis, Tuus sum: plures enim habet dominos. Venit libido, & dicit, Meus est. Venit auaritia, & dicit, Meus est. Venit ambitio, & dicit, Meus est. Veniunt omnia vitia, & singula dicunt, Meus est. Quem tanti competunt, quam vile mancipium est! Recte ergo Propheta* Dauid *dixit, Tuus sum: qui semper in* Deo *mansit. Et* Paulus *Apostolus ideo se dicebat seruum Iesu* Christi, *quia nulli alij obnoxius tenebatur. Vnde & ad Corinth. inquit, Et si sint, qui dicantur* Domini *multi, nobis tamen vnus est* Dominus *Iesus* Christus. *Qui ergo plures* Dominos *habet, non potest dicere* Domino *Iesu, Tuus sum.* Propterea misericordia motus Dominus Iesus Apostolos mittit, vt peccatorem hominem; & tanquam pullum asinæ ligatum, ac plures Dominos habentem, soluant, atque ad ipsum adducant: & iam à vinculis peccatorum liber, & sub Christi iugo, ac dominio constitutus, possit ei dicere cum Dauid, *Tuus sum ego, saluum me fac.*

*Gene. 4.* *Aristot.* *Psalm. 118.* *Ambrosi.* *Matth. 19.* *1. Cor. 8.*

*Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per* Prophetam, *dicentem, Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Rex tuus*, dicit: quia Christus Dominus, quamuis esset Rex vniuersæ terræ, sicut dicit Dauid, *Quoniam Rex omnis terræ Deus*: tamen speciali quadam ratione dictus est Rex Israël, & Rex Iudæorum

*Zachar. 9.* *Psalm. 46.*

Psal. 2. quia ad illum populum missus est, sicut etiam Dauid dicit ex persona Christi, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*: sic adeo, vt etiam Pilatus dixerit Iudæis, *Ecce Rex vester* Propterea con-
Ioan. 19. sequenter dicit, *Venit tibi*: quia ad illum populum missus est, & venit, de illo carnem sumpsit in eo docuit, conuersatus est, & miracula edidit, & tandem in eo mortuus est pro salute mundi. Vbi profecto illud mirabile est, quod cum illa Synagoga esset tantis criminibus obnoxia, tot virtutibus viduata, & quasi à Deo
Esai. 50. repudiata, sicut per Esaiam dicit, *In sceleribus vestris dimisi matrem vestram*: non exhorruerit Dei Filius ad eam venire, & appellari Rex illius, & pastor. In Leuitico
Leuit. 21. præcepit Dominus, quod summus Pontifex non accederet ad vllum mortuum, neque in vxorem acciperet viduam, vel repudiatam, vel meretricem: & ecce iste Rex gloriæ, summus sacerdos Dei Altissimi, non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedec, accedit ad hominem, mortuum peccatis, venit ad Filiam Sion, ad viduam, ad repudiatam, ad meretricem, quasi tunc de-
Hierem. 3. nuo clamans per Hieremiam, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Sed hoc fecit erga homines Christus, propter nimiam charitatem, & omnem mansuetudinem suam. Non enim satis illi fuit, quod venit Rex noster, & venit nobis: nisi etiam venisset mansuetudine plenus. *Venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum* Bene mansuetus,
Hierem. 11. qui ad hoc intrabat in Hierusalem, vt tam mira charitate, atque patientia, duceretur ad immolandum pro salute hominum, sicut ipse per Hieremiam prædixerat, *Ego sicut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Agnus, vt immolaretur pro nobis, mansuetus, vt patienter sustineret iniurias, & condonaret peccata: & sicut
Esai. 53. Esaias dicit de ipso, *Sicut agnus coram tondente se, sine voce, non aperuit os suum.* Bene mansuetus, & humilis, qui mansuetis animalibus insidens & humilis, quasi alter Isaac ad locum passionis ducebatur.

***Euntes ergo discipuli, adduxerunt asinam, & pullum: & posuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant***

*in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes, O Sanna Filio Dauid, Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ecce ergo, quam gloriosus ingreditur hodie Rex Israël in Hierusalem: & cum quanta exultatione, & acclamatione totius populi excipitur sanctam ingrediens ciuitatem, deferens secum mansueta animalia, & mansuetos homines: qui lætantur coram ipso, magnificantes, & laudantes Deum, & Filium Dauid, Regem suum. Et quemadmodum olim, 1. Reg. 18. sicut dicit Scriptura, cum mansuetissimus Dauid intraret in Hierusalem, percusso Philisthæo, egressæ sunt Filiæ Sion, & Israel, in occursum eius, cantantes, chorosque ducentes in tympanis lætitiæ, & sistris, sic & modo, cum Christus Filius Dauid, & Rex Israel, ingreditur in Hierusalem, percussurus baculo crucis, & contriturus caput draconis, & ablaturus opprobrium mundi, occurrerunt Filij Sion, & Filiæ Hierusalem, cum palmis lætitiæ, & pacis, cantantes, chorosque ducentes, & occurrentes obuiã Saluatori suo: qui illos per gratiam suam mansuefactos introducturus erat secum in Hierusalem cœlestem. Hoc videtur significasse Dauid, quando dicit, *Filiæ Sion exultent in Rege suo: laudent nomen eius in choro, in tympano, & psalterio psallant ei: quia bene placitum est Domino in populo suo, & exaltauit mansuetos in salutem.* Psal. 149. Nam in hoc solennissimo Christi ingressu in Hierusalem Filiæ Sion viderunt Regem suum mansuetum, venientem, & lætatæ sunt, & exultauerunt prægaudio: hic etiam in tympanis lætitiæ, & choris, laudauerunt nomen eius, acclamantes ei, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Hic profecto beneplacitum est Domino in populo suo: cui tam misericorditer placuit dare illi populo Christum Regem iustitiæ, & pacis, & Saluatorem, qui per suum sanguinem sanctificaret ipsum, & saluum faceret à peccatis eorum. Hic denique exaltauit mansuetos in salutem: qui ad hoc ingressus est mundum factus homo, & intrauit in Hierusalem, immolandus in Cruce, *Vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.* Psal. 75. Vt etiam impleatur, quod alio loco Dauid dixit, *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Psal. 36. Mansuetis enim Christi imitatoribus, promissa est hæreditas,

& possessio terræ viuentium, & multitudo, ac pulchritudo pacis, quæ futura est in cœlesti Hierusalem, quæ est *Visio pacis*. Nam, vt rectè inquit Diuus Basilius, super Psalmum 33. *Illa terra cælestis Hierusalem non est bellatorum spolium, sed longanimiter, & mansuete omnia tollerantium, sperata hæreditas* Mansueti enim hæreditabunt terram, quam acquisiuit eis sanguine suo Iesus Christus Dominus noster. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat, &c. Amen.

*Basilius.*

## DE EODEM MYSTERIO.

### CONCIO II.

*Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.*
MATTH. 21.

VNigenitum Dei Filium *venisse in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret*: & in hoc apparuisse, *Vt dissoluat opera diaboli*, Apostolica doctrina,& sanctissimæ nostræ Fidei Catholica confessio est. Hunc autem sacratissimum eius aduentum, quo propter nimiam charitatem suam,& viscera misericordiæ, venit ad nos ex alto diuinitatis suæ, vt genus humanum vinculis peccatorum solueret, & in viam pacis dirigeret, atque deduceret, rectè nobis explanat huius diei solemnitas: in qua Dei Filius, de Monte Oliuarum descendens, ingressus est ciuitatem Hierusalem, sedens super asinam, & pullum, & infinita occursantium hominum multitudine comitatus, & acclamantium ei, ac dicentium, *Osanna Filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Bene profectò ingressus iste Filij Dei in Hierusalem à monte Oliuarum habuit principium: quia & sacratissimus aduentus Filii Dei in carne, & in hunc mundum, nòn poterat aliud esse, quam opus oliuæ: opus videlicet misericordiæ Dei nostri, opus gratię: & charitatis eius, opus Spiritus sancti, qui totus amor est, & benignitas & oleum lætitiæ cœlestis, & vnctionis æternæ. Propterea (inquit. Augustinus in Enchirid capite. 37. & 40.) hoc opus nostræ salutis tribuitur

*1. Timo. 1.*
*1. Ioan. 3.*

*August.*

buitur Spiritui sancto, quia est opus factum ex gratia, & per gratiam Dei, nullis nostris præcedentibus meritis: gratia autem, & misericordia, & amor, solent tribui Spiritui sancto, qui est amor, quo Pater & Filius diligunt se, & quo amant nos. Magnus profecto, & ineffabilis fuit iste amor, quo Deus nos dilixit: quandoquidem efficere potuit, vt Filius Dei de cœlo descendens veniret in mundum propter nos homines, & propter nostram salutem.

Magnus amor fuit, quo Moyses grandis factus dilexit populum suum, propter quem omnes Ægypti delitias reliquit, & elegit cum populo suo duros luti, & lateris subire labores, & (vt verbis vtar Diui Pauli) *Negauit sese filium Filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, &c.* Magnus item amor illius fuit, quo dilexit sponsam suam Æthiopissam, & nigram adamauit, etiam reclamantibus, ac murmurantibus Aaron & Maria. Sed si iste amor conferatur cum diuino amore, & summo, quo Filius Dei dilexit Æthiopissam suam, humanam naturam, quam sibi desponsauit ingrediens in mundum, vix merebitur nomen dilectionis, aut amoris. Solus ergo ille amor, quo Deus dilexit nos magnus dici potest, qui potuit Dei Filium trahere de cœlo ad terram: & vt ita dicam, ipsum etiam Deum superauit, ac vicit. Sic enim dicit Bernard. serm. 64. in Cantica, *O suauitatem! O gratiam! O amoris vim! Summus omnium imus factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor, dignitatis nesciens, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de deo amor: vt scias, amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.* Possemus profecto dicere amori, qui omnia vincit, illud, quod Angelus dixit Iacob luctanti secum, *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Quanto ergo iustius esset, quod amor Dei erga homines vinceret nos, & ipsi Deo subijceret, si potuit ipsum Deum vincere, & humanæ naturæ coniungere in vnitatem personæ? *Quæ enim maior causa est aduentus Domini* (ait D. Aug. lib. de Cathechizandis rudibus, cap. 4.) *nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer: quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus*

*Hebr. 11.*
*Num. 12.*
*Bernard.*
*Genes. 32.*
*August.*

*est, vt & nos diligamus ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & Filio suo vnico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem sibi nolebat impendere, nolet & rependere.* Hæc August. Hanc ergo vehementem, & nimiam dilectionem Dei erga nos, quę potuit efficere, vt Filius Dei de cœlo descenderet, & in hunc mundum veniret factus homo, repræsentat nobis solennissimus iste ingressus Christi in Hierusalem, quem narrat S. Euangelium.

*Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad Montem Oliueti, tunc misit duos discipulos, dicens eis, Ite in Castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, &c.* Ob-

*Marc.* 11. & *Luc.* 19. seruandum est, quod Marci 11. & Lucæ 19. dicitur. *Inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit.* Quia (sicut exponit Athanasius, libro de quæstionibus sacræ Scripturæ) nullus Patriarcha, nullus Legislator, vel Propheta, de salute gentium (quæ per pullum significantur) cogitauit, sed Apostoli, ad id ordinati, soluerunt homines peccatis alligatos.

*Athanas.*

Aut alio sensu possunt hæc verba intelligi: quod pullus, super quem Christus spiritualiter sessurus est, debet esse nouus, & liber, atque solutus, & qui neque iugum super se tulerit, neque onus portauerit. Vnde 1. libr. Regum, arca Domini posita est super plaustrum nouum, ad quod iunxerunt duas vaccas, quibus non est impositum iugum. Vult Dominus animas, in quibus sedeat, liberas, & expeditas ab onere graui peccatorum, & quæ iugum mundi, & Sathanæ, viriliter à collo suo excusserint, dicentes cum Dauid: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Vincula enim peccatorum, & passionum, quæ animas ligare solent, iusti ope diuina dirumpunt, & iugum inimicorum à se proijciunt, vt ab omnibus expediti gratum Deo, liberumque consessum præbeant: de quibus per sanctum Iob Dominus dicit, *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus.* Vbi D. Gregor. libro 20. Moral. cap. 6. dicit, *Quia in corde reproborum priori loco actiones carnis sunt, & posteriori actiones animæ, in eorum proculdubio co-*

*1. Reg. 6.*

*Psalm. 2.*

*Iob. 29.*

*Gregor.*

*gitationibus Christus, non primus, sed vltimus sedet. Sed electi quique, quia præ omnibus, quæ æterna sunt, cogitant, & posteriori cura, ac minima, si qua sunt, temporalia disponunt, in eorum corde Dominus primus sedet.* Imo vero si perfecti fuerint, non tantum primus, sed & solus in eorum corde sedebit. Propterea enim sedere Deus dicitur super Cherubin: quia in corde virorum spiritualium sedet, qui cognitione, & dilectione eius pleni sunt. Vnde & Dauid dicit, *Deus sedet super sedem sanctam suam*, id est, super iusti animam, quæ ita perfecta est, vt & sancta sit, & à solo Deo tanquam sua possideatur. In hac enim non solũ primus, sed & solus sedet, & regnat. Psalm. 46.

*Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem, Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis* D. Bernardus, serm. 3. de Aduentu Domini in admirationem rapitur, & expauescit, considerans in hoc solemni aduentu Filij Dei in carne & personam, quæ venit, & ad quos venit, & propter quid venit ad eos. Sed hæc tria mirabiliter insinuantur in his verbis præmissis sancti Euangelij. Primo dicit, quæ sit persona venientis, cum inquit, *Rex tuus venit.* Persona Regis, plena solet esse authoritatis & maiestatis imperij, cui omnes seruiunt, & sicut dicitur in Apochryphis Esdræ) *Rex super omnia præcellit, & dominatur eorum: & ipse vnus solus si dixerit, occidite, occidunt: si dixerit, remittite, remittunt: & super hoc ipse recumbit, viuit, & dormit.* Deinde proprium est Regi, diuitijs abundare, atque in delitijs enutriri: sic adeo, vt (quemadmodum in libro Esther dicitur, *Non liceret indutum sacco aulam Regis intrare.* Si igitur eiusmodi Rex, his omnibus posthabitis, propter ciuium suorum salutem, eligeret pauperem vitam, & humilem, ac laboribus plenam, nemo est, qui dubitet, Regem illum ardentissimo amore prosequi populum suum. Quanto ergo maiori dilectione, quanto ardentiori charitate, dilexit nos Christus, Rex Regum, & Dominus dominantium: qui, cum sit splendor gloriæ, & Dominus maiestatis, cuius sunt omnes diuitiæ, ac veræ delitiæ: qui vitæ, & mortis habet imperium: qui potest occidere, & viuificare, qui summe beatus est, & solus omnipo-

Bernard.

3. Esdræ 4.

Esther. 4.

tens, his omnibus quasi posthabitis propter hominum salutem, venit in mundum, & assumpta carne, in ipsa pauper factus est, cum esset diues, labores nostros assumpsit, & dolores portauit: ac denique voluntariam sustinuit passionem, & mortem, vt viuificaret populum suum, & à peccatis eorum saluum faceret, atque in cœlestem Hierusalem, & gloriosam introduceret ipse Rex gloriæ? Propterea recte subiungitur, *Venit tibi.* Bene profecto Rex, qui non suis, sed suorum ciuium commodis semper studuit attendere: nam teste Aristotele, libro 8. Æthicorum, capite 10. in hoc differt Tyrannus à Rege, quod Tyrannus sibi, suisque rationibus consulit, Rex vero, eorum, quibus præest, solet commodis, vtilitatique seruire. Et quidem iste Rex noster, qui bonorum nostrorũ non potuit indigere, cum *Ipse det omnibus vitã & inspirationem, & omnia* (vt Paulus Atheniensibus dixit) non sibi, sed nobis venit in mundum, nobis natus est, & nobis datus: & (vt Esaias dicit) *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus.* Bene dixit Ambrosius libro 2. de Fide, capite 3. *Mea est voluntas, quam suam dixit: quia vt homo suscepit tristitiam meam. Mea est tristitia, quam nemo suscepit affectu. Nemo enim moriturus, exultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me, & in me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret. Doles igitur, Domine Iesu, non tua, sed mea vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, sicut ait Propheta, Quia pro nobis dolet. Et nos, Domine, æstimauimus, te esse in doloribus, cum tu, non pro te, sed pro me doleres & quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit?* Hæc Amb. Athanasius etiam, Quæstione 98. ad Anthiochum, docet, quod quemadmodum in sacrificio, quod Abraham obtulit in Monte Visionis, aries, qui inter vepres inuentus est, non pro se ipso, sed pro Isaac oblatus est: ita etiam Christus Dominus, non sibi, sed humano generi natus est, & pro illius salute mortem crucis sustinuit in Hierusalem, quam Mons ille Visionis præfigurabat.

Aristot. Actor. 17. Esai. 53. Ambros. Esai. 35. Athanas. Genes. 22.

Alio etiam sensu accipere possumus, quod dicit, *Venit tibi.* Nam fortasse docere nos voluit Sanct. Euangelista magnitudinem misericordiæ, & charitatis Christi, in redemptione humani generis, quod ita

abundans, & copiosa fuerit erga quemlibet, hominem, ac si pro illo solo natus esset, & passus. Hoc habet diuina prouidentia, & gubernatio erga creaturas, quas condidit, quod ita assistit, & prouidet vnicuique, ac si de sola illa curam haberet. Vnde Diuus Augustinus libro 3. Confessionum capite 11. dicit de Deo, *O, tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum, quasi solum cures, & sic omnes tanquam singulos.* Et in libro Soliloquiorum capite 14. dicit etiam de Deo, *Cum enim cunctis præsideas, singula implens, totus semper vbiq; præsens, cunctorumque curam agens, quæ creasti, sic die, noctuque super custodiam meam vigilas, veluti si totius creaturæ tuæ cæli, & terræ oblitus, me solum consideres, & nihil sit tibi cura de alijs.* Eodem modo de copiosa Christi erga homines redemptione philosophandum est, quod ita abundans, & perfecta (quantum est ex parte Christi) fuit erga vnumquemque hominem, ac si illi soli venisset, & pro illo solo mortuus esset: atque adeo quilibet eorum potest plena voce, & fiducialiter dicere, Mihi venit Christus, mihi natus est, mihi passus. Sic dicebat Paulus, scribens ad Galat. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Vbi Chrysostomus inquit, *Quid facis, O Paule, dum communia, quæ pro toto orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, Qui dilexit nos, sed, Qui dilexit me. Atqui Euangelista dicit, Sic Deus dilexit mundum: & tu dicis, Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non igitur pro te, sed pro omnibus.* Et respondet Chrysostomus. *Cum consideret Apostolus infirmitatem humanæ naturæ, & ineffabilem Dei solicitudinem, quibus ipsum malis liberasset, quæ bona largitus esset: inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur. Nam & Prophetæ non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Præterea vero declarat hoc quoque par esse, vt quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob vnum, tantam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari charitatis, modo diligit, quo diligit orbem vniuersum.* Similem doctrinam multis, ac deuotissimis verbis ha-

*August.*

*Galat. 2.*

*Chrysost.*

*Ioan. 3.*

*Rom. 8.*

*Idem Chrysostom.*

*Psalm. 62.*

Psalm. 115. Chrysost. bet, Homil. 34. sup. Genesim: & postmodum lib. 2. de compunctione cordis, tractans illa verba ex Psal. Dauid; *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* inquit: *Hic est effectus serui fidelis: vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet: & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Et reuera quid interest, si & aliis præstitit, cum, quæ tibi præstita sunt, ita integra sunt, & ita perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum? Ideo denique & in illa boni pastoris parabola non dicitur, quia venit oues multas quærere, sed vnam. Vna namque est: quia sic omnibus, quasi vni, diuina beneficia conferuntur.* Propterea & Sponsa quasi sibi soli vendicabat

Cant. 2. Sponsum, inquiens; *Dilectus meus mihi.* Et Bernard. ser.

Bernardus. 69. in Cant. dicit; *Miraris, quod illa anima maiestatem Dei quasi cætera non curantem, sibi soli intendere glorietur, cui soli ipsa, postpositis curis omnibus, tota se deuotione custodit?* Denique quod dicit; *Venit tibi*: significat nulli hominum contingere posse veram redemptionem, & salutem, nisi per aduentum Iesu Christi in carne, atque per passionem eius, & crucem: siue illi homines præcesserint Incarnationem Christi, siue sequantur Vnde

Gregor. & in Euangelio dicitur; *Turba autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: O sanna Filio Dauid.* Quia vt Gregor. dicit, Homil. 17. in Ezechiel. *Vna spes, vna fides est præcedentium, atque sequentium populorum*

Leo. *in Christum: & ab ipso salutem priores quæsierunt, & præsentes quærunt.* Et D. Leo, serm. 3. de Natali inquit, *Verbi Incarnatio, hæc contulit facienda, quæ facta, et sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit.* Et infra. *Hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, vt non minus adepti sint, qui in illud credi-*

Actor. 4. *dere promissum, quā qui suscepere donatum.* Hinc est quod D. Petrus in Actis Apostolorum dixit, *Non est aliud nomen datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, &c.* Et paulo ante dixerat: *Et non est in aliquo alio salus.* Quia vt S. Leo dicit, sermo. 1. de Pass. *Neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omnino Sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi, salus, & iustificatio fuit.*

Propterea consequenter dicit; *Venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum*. Mansuetum vocat, quia sicut ipse per alium Euangelistam dicit; *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare*. D.Thom. 2.2.q.157.art.1.docet, quod mansuetudo est virtus, quæ proprie moderatur interiorem passionem iræ: clementia vero moderatur punitionem exteriorem. Christus ergo & mansuetus Rex, & clemens, venit nobis: quia neque iram habuit, sed amorem, & benignitatem, ac lenitatem: neque venit punire homines, sed liberare à morte: sicut ipse dixit in Euangelio Ioannis. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*. Ad hoc etiam venit mansuetus, vt & nos ab illo discamus mansuetudinem, & imitemur, quærentes eum, & sequẽtes vestigia eius: qui (sicut S. Petrus dicit) *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur*. Sic consulit nobis S. Propheta Sophonias; *Quærite Dominum omnes mansueti terræ, quærite iustum, quærite mansuetum*. Et D. Bernardus, sermo.22 super Cant. *Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Iesu, audientes, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Cananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in theloneo, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persequutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus.*

Luca 9. D.Thom. Ioan.3. 1 Petr.2. Sophon.2. Bernard.

Nec tantum mansuetus venit, sed & super mansueta animalia sedens: vt significet, quod eos, qui imitantur mansuetudinem, & modestiam Christi, & iuxta præceptum Apostoli, *Glorificant, & portant Deum in corpore suo*, & multo magis intus in corde suo, deducet secum ipse Christus in Hierusalem, cœlestem, vt possideant terram viuentium, quam soli mansueti, & humiles corde possidere possunt. Quod cum ita sit, miserum profecto est videre, quã pauca animalia inueniat Christus mansueta, super quæ ipse libenter sedeat, atq; in cœlestem Hierusalem secum introducat, Et fortassis illa est huius tantæ miseriæ causa, quod pauci homines sunt, qui super seipsos deferant vestimenta Apostolo-

1.Cor.6.

rum:& propterea Christus non sedet super eos, nec quiescit. Dicit enim Bern. ser. 27. sup. Cant. quod *Christo Domino sessuro super asellum. vestes suas Discipuli substrauerunt: significantes, Saluatorem nequaquam insidere nudæ animæ, quam videlicet non inuenerit vestitam doctrina, & moribus Apostolorum* Has enim vestes esse eorum existimo, quas ipsemet Apostolus connumerat, scribẽs ad Colossen. vt Hierony. docet super ca. 37. Iob, & lib. 4. super Ezechiel. cap. 16. *Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti, & electi, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismet ipsis, Super omnia autem hæc charitatem habete, & pax Christi exultet in cordibus vestris: & grati estote Verbum Christi habitet in vobis abundanter.* Hæc, & alia virtutum genera, sunt Apostolorum & Sanctorum vestimenta, quibus vestitas esse oportet Sanctorum animas, vt super eas Christus suauiter sedeat, & quiescat. Timeo autem valde, ne sicut rari homines sunt, qui his virtutum vestimentis induti, & ornati, inueniuntur, ita etiam pauci sint, super quos Saluator mundi sedeat quasi super humiles, & mansuetos, ac timentes Dominum. Timeo etiam, ne multi sint inter Christianos, qui vestimenta Apostolorum habere videantur, & in illis venire ad Iesum: qui tamen neque vitam neque mores Apostolorum habent, sed longe distant ab illis, & à vita Iesu. Hos ego similes dixerim Gabaonitis: de quibus apud Iosue legitur, quod *Saccos veteres asinis imponentes, & induti veteribus vestimentis, venerunt ad Iosue, & dixerunt ei, atque simul omni Israeli; De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes, &c.* Et infra subditur; *Post dies autem tres audierunt, quod in vicino habitarent, &c.* Sic profecto multos Gabaonitas inueniemus, animales homines, spiritum, & vitam Apostolorum, veterumque Patrum, non habentes, qui tamen in hypocrisi, & mendaciter, saccos eorum veteres asinis suis imponunt, & veterave stimenta illorum sibi assumunt, vt iusti, & sancti appareant hominibus, cum non sint, & nomen, atque honorem, & gloriam ab hominibus accipiant, tanquam qui fœdus pacis, & amicitiam inierint cum Iesu, & populo eius. De his recte dixit Diuus Gregorius, libr. 31.

*Bernard.*

*Hieronym.*

*Colos. 3.*

*Iosue 9.*

Moralium cap. 4. quod *Qui religionem veneri conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt, & bonorum vitam sub despectis vestibus, iniquis moribus premunt. Mundi quippe dilectores sunt, & hoc in se, quod homines venerentur, ostendunt: atque eis, qui vere semetipsos despiciunt, non mente, sed veste copulantur. Quia enim præsentem gloriam amantes assequi non possunt, quasi despicientes sequuntur.* Hæc Gregorius. Hinc etiam est, quod quemadmodum Gabaonitæ panes duros, & comminutos, quos ob viaticum portare dixerunt, Iosue, & Filiis Israel ostenderunt, ita etiam isti ieiunia, & ciborum asperitatem, & pallorem vultus hominibus ostendere solent, vt appareant eis quasi de terra longinqua, & qui Apostolicam vitam præse ferant: cum tamen de mundo sunt, & mundo placere studeant, magis quam Christo. De quibus, atque eorum mendaciis, possumus etiam dicere id, quod Sanct. Leo, sermon. 4. de Epiphania dixit; *Neminem fallant discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuumque palloribus. Non sunt casta ieiunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed arte fallaciæ.* Denique hanc fallaciam, & simulatam religionem Dominus Iesus, cum in iudicio sederit, & manifestauerit abscondita tenebrarum, & consilia cordium, coram omni populo reuelabit: & tunc isti in hypocrisi habitum sanctitatis ostentantes, non vestiti sanctorum vestibus, sed nudi inuenientur. Sic enim pollicitus est per Sophoniam Prophetam noster Iesus, inquiens; *Visitabo super viros indutos veste peregrina, & super viros defixos in fœcibus suis.* Hi enim veste peregrina induuntur: quia vestibus sanctorum virorum, qui *Peregrini, & hospites sunt super terram* (vt Apostolus dicit) operiuntur, vt sanctitatem, quam non habent, hominibus mentiantur. Defixi enim sunt in fœcibus voluptatum, & peccatorum suorum, atque *In illis requiescunt*, vt Sanctus Propheta Hieremias inquit.

*Gregor.* *Leo.* *Sophon 1.* *Hebr. 11.* *Hierem. 48.*

Aliud etiam miseriæ genus videre licet inter Christianos, quam ego semper reputaui maximam. Nam, sicut ex Euangelio constat, vniuersi, qui processerant obuiam Christo, & comitati sunt illum ingredientem in sanctam ciuitatem Hierusalem, clamabant ei, dicentes; *Osanna Filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine*

*Domini*. Cæterum, qui præibant, aut *Cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*, aut *Sternebant vestimenta sua in via, &c.* Itaque, qui præcedebant, non solum vocibus laudabant Christum Regem, sed ramis, aut vestibus in via stratis honorabant ipsum, & seruiebant ei. Posteriores vero, qui sequebantur, nec ramis, nec vestibus, sed sola vocum acclamatione illum honorabāt, & Regem prædicabant. Sic profecto & in sancta Ecclesia Christi, fideles illi, qui multo ante præcesserunt nostra tempora, illi priores Christiani, habentes primitias spiritus Christi, in illa *Ecclesia primitiuorum* (sic

Hebr. 12. enim vocat eam Paulus ad Hebr.) non solis vocibus, & acclamationibus Christum confitebantur, & honorabant, sed ramos frangebant, aut vestimenta sua tollebant, vt proiicerent ad pedes Christi, quando facultates suas diuidebant, & frangebant, vt pauperes alerent, & vestimenta sua tollebant, vt nudos vestirent, audiē-

Esai. 58. tes mandatum Domini per Esaiam; *Frange esurienti panem tuum: cum videris nudum, operi eum, &c.* Propterea

Actor. 4. S. Lucas dicit de primis illis fidelibus, in Actis Apostolorum: *Quotquot autem possessores agrorum erant, vendebant eos, & afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Ecce quomodo frangebant ramos facultatum suarum, vt proiicerent ad pedes Apostolorum, & diuiderentur pauperibus, qui erant quasi pedes Christi. Quin etiam vestimenta sua sternebant in via, quando abstinentiis, vigiliis, alliisque laboribus corpora sua macerabant, & propter Christi gloriam flagellis, contumeliis, ac tormentis, & mortibus obiiciebant: & in his plagis, & angustiis, pro Christo gloriabantur, vt ipsum Christum magnificarent, & exaltarent nomen

Philip. 1. sanctum eius: sicut & Paulus dicebat ad Philippenses; *Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per mortem, siue per vitam, &c* Sed ô magna miseria nostrorum temporum, & posteriorum fidelium, in quos fines sæculorum deuenerūt! Fateor profecto, multos ex ipsis, vocibus ac verbis, & acclamationibus, *Confitentur se nosse Christum Deum, sed factis negant*, vt Paulus dicit

Tit. 1. ad Titum: quia nec ramos per eleemosynas pauperum cædunt de arboribus, nec vestimenta suorum

corporum per abstinentiam, & alia pænitentiæ opera, mortificant, atque prosternunt. De quo genere hypocritarum bene prophetauit Esaias, inquiens, *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est à me.* Appropinquant enim isti Christo appropinquanti Hierosolymam verbis oris sui, & labiis, ac vocibus glorificant, & prædicant, corde tamen suo longissime distant à Saluatore. Esai. 29.

Nam quem vocibus sequuntur, & acclamationibus, eundē moribus & operibus persequuntur. Ore appropinquāt, quia dicunt se diligere Deum, sed corde fugiūt quia mandata eius non obseruant: sed violant: & vt S. Ioannes in 1. Canonica inquit, *Qui dicit, se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est.* Dilectio ergo istorum plena est hypocrisi, & simulatione, atque mendacio. Nā vera dilectio Christi, non in ore, sed in corde puro, & recto sita est. Recte ergo de his fictis dilectoribus Dei dixit S. Dauid, *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cū eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.* Mentiuntur enim in caput suum, ore tantū dilectionem Dei ostendentes, quā recto corde, & fide nō ficta habere nolunt: quia fideles non sunt in testamento eius, quod non est aliud, quàm testamentum pacis, & dilectionis, sine qua impossibile est appropinquare Christo, & cum eo intrare in Hierusalem cœlestem, vbi, Deus pacis, & dilectionis, ab his, qui puro sunt corde, videndus est. 1. Ioann. 2. Psal. 77.

Audiamus ergo salubre cōsilium illius Apostoli, quē diligebat Iesus. Is enim in prima epistola sua Canonica sic dicit, *Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate.* Quid enim prodest verbo, aut lingua tantum, Deum mendaciter diligere, si vera fide, & sanctis operibus non diligimus? Quid prodest, cum turba hominum vocibus Christū acclamare, confiteri Dominum, glorificare lingua veniētem in nomine Domini? Nunquid propterea intrabimus cū illo in sanctam Hierusalē cœlestem, si aliunde voluntatē Dei opere, & veritate, nō facimus, & mādata eius nō obseruamus? *Nō omnis, qui dicit mihi, Domine Domine* (ait ipse Christ Rex gloriæ) *intrabit in Regnū cælorū*: & vt Hila. ibi, Cā 6. docet, 1. Ioan. 3. Matt. 7. Hilarius.

*Regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent, neque qui dixerit, Domine, Domine, hæres illius erit.* Necesse est ergo, sicut diligere Christum, ita sequi, non vocibus tantum, & linguis, sed passibus cordis, & operibus virtutum, atque obseruantia mandatorum, vt possimus ipsi adhærere, & cum ipso in cælestem Hierusalem introire. Audiamus denique consilium plane diuinum Moysi in Deuteron. sic enim nos admonet. *Deuter. 13.* *Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis.* Ecce mirabilem modum sequendi Christum, & eundi post ipsum, non vocibus tantum, sed passibus virtutum. Tunc enim sequimur illum euntem in cœlestem Hierusalem, & post eum in vero corde ambulamus, sequentes vestigia eius: si timemus ipsum, & mandata eius seruamus, si obedientes sumus voci, ac voluntati eius, si illi in veritate, & syncero corde seruimus, atque hoc pacto ipsi inseparabiliter adhæremus. Nobis enim adhærere Christo bonum est, imo & summum bonum, quod in illa cœlesti Hierusalem beatos efficit omnes, qui videre meruerint claritatem eius, & ipsum Christum. Qui cum Patre, &c.

---

## DE EODEM MYSTERIO.

### CONCIO III.

*Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* MATTH. 21.

NOtissimum omnibus esse credo, qui in lectione sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum versati sunt, per hanc Filiam Siō, siue Hierusalem, significari in sensu spirituali Ecclesiam Dei, siue quæ fuit ante aduentum Domini nostri Iesu Christi in carne, siue quæ modo est post eius aduentum, siue quę futura est in statu beatorum. Sic enim docet Origenes, *Origenes.*

Homil. 3. super Hierem. & tractat. 14. super Matthæum: D. Hieronym. lib 5. Commentariorũ super Ezech. cap. 16. & D. August. lib. 17. de Ciuitate Dei, cap. 16. & alij sancti Patres. Hæc ergo Filia Sion, & terrestris Hierusalem tempore antiquæ legis, quando in solo Israel notus erat Deus, & magnum nomen eius, hæc, inquã, erat illa Ecclesia Dei, in qua erat omnis pulchritudo, & splẽdor religionis, & sanctitatis, ac diuini cultus, iuxta quod S. Dauid dicit, *Ex Sion species decoris eius.* Omnis enim perfectio virtutis, & cognitionis diuinæ, quæ in terris erat, ab illa Ecclesia, ab illa Sion procedebat. Ibi enim erat famosissimum toto orbe tẽplũ, ibi Sancta Sanctorũ, vbi Deus loquebatur Ecclesiæ suæ, ibi sacerdotes sancti, sacrificia & oblationes: ibi orationes, & vota, & hymni, & gratiarum actio, & vox laudis, secundum quod ipse Dauid etiam dicit, *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem.* Ab illa Sion tanquam à fonte procedebat in alias terræ partes vera Dei cognitio, & fides, Scripturæ sanctę, lex sancta, ac verus Dei honor, cultus, & cætera omnia, quæ illo tempore ad hominum salutem erant necessaria, secundum quod Esaias inquit, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Sed eo tempore, quo Christus Dominus in carne apparuit, cœpitque prædicare Euangelium Regni Dei, in tantum multiplicatæ sunt iniquitates, & creuerunt peccata huius Filiæ Sion, vt propter eius deformitatem, ac fœditatem, potius videretur Filia Babylonis misera, quã pulchra illa, & formosa Filia Sion, sicut Hieremias lamentabatur, iniquiens, *Et egressus est à Filia Sion omnis decor eius.* Iam enim fere nec sacrificia erant, nec holocausta, quæ Deo grata essent: incensum abominatio illi erat: sacerdotes auaritiæ, & lucris studebant, sapientes, & tenentes leges, nesciebant Dominum: tẽplum prophanatum erat, & omnis populus sic vitiis deprauatus, vt Deum ad iracundiam, & vindictam prouocaret. Propterea ergo Dominus his filiæ Sion sceleribus exasperatus, volebat eam deserere, & delere: vt ex sua benignitate conderet aliam nouam Sion, & ædificaret nouam Hierusalem, cuius ædificatio cõstructa à Christo cresceret in templum sanctum, & Ec-

*Hieron.* *August.* *Psal. 49.* *Psalm. 64.* *Esai. 2.* *Threnor. 1.*

clesiam sine fine permensuram. Ideo prædixit in spiritu Esaias, *Derelinquetur Filia Sion sicut vmbraculum in*
1\. *vinea, & sicut ciuitas quæ vastatur.* Tunc vmbraculum in vinea tanquam inutile derelinquitur, ac dissipatur, quando iam fructus nulli sunt, sed folia tantum remanent: atque ita contigit illi Ecclesiæ, & Filiæ Sion. Toto enim tempore, quo fructificauit Deo, deditque fructus suos religionis, & sanctitatis, & virtutum, illa Hierusalem, celebris erat, & templum ab omnibus in sūmo honore habebatur, leges, & sacrificia, & cære-
*Irenæus.* moniæ Deo gratissimæ erant: at (sicut Irenęus insinuat lib. 4. contra Valentinum, capit 8.) postquam cessauit fructus bonos facere, & ad iniustitias, & abominationes gentium declinare, in sterilitatem redacta est, & à Domino derelicta, atque maledicta ab ipso, qui iam decreuerat aliam vineam, & Ecclesiam nouam plātare: quæ optatos fructus illi redderet, temporibus suis. Atque ad hoc veniebat Christus Dominus de Mōte Oliuarum in Hierusalem cum tanta gloria, & appa-
*Luca. 19.* ratu. Et hoc significauit, quādo (sicut S. Lucas dicit) *Cum appropinquaret Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam*: & quando intrauit in templum Dei, & eiecit omnes ementes, & vendentes in templo, & nummularios, dicens, domum illam Dei factam esse speluncam latronum: & quando posteà reuertens à Bethania in ciuitatem, esuriit, & videns arborem fici, & nihil inueniens in ea, nisi folia tantum, maledixit ei, di-
*Matth. 21.* cens, *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea*, Hoc, inquam, significabat quod vinea illa, olim fructifera, & ficulnea, quæ dulces fructus producere Domino solebat, in sterilitatem, & ariditatem propter peccata sua redigenda erat, & omnino extirpanda: quod profecto multo an-
*Ioel. 1.* teà prædixerat, atque deplorauerat Propheta Ioël, inquiens, *Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit. Periit sacrificium, & libatio de domo* Domini: *luxerunt sacerdotes ministri Domini.* Et paulo inferius, *Vinea confusa est, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum.* Quæ verba Prophetica sunt valde ponde-

randa. Et quod aliud gaudium confusum est in hac die à filijs hominum, nisi gaudium Christi Domini ingredientis in ciuitatem Hierusalem cum tanta lætitia, & gloria: qui respiciens super filios hominum, & neminem videns intelligentem, & requirentem Dominum vidensque ciuitatem abominationibus plenam, templum, quasi speluncam latronum, terram fructiferam, in salsuginem, & desertum conuersam, à malitia inhabitantium in ea, coactus est conuertere gaudium in luctum, abominari templum, terræ, & arboribus maledicere?

Hanc etiam desolationem huius Filiæ Sion significabant illi, qui processerunt obuiam Christo de quibus in Euangelio dicitur, quod *Strauerunt vestimenta sua in via*, &, *Alii cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*. Significabant enim, vt eleganter insinuat Chrysostomus, Hom 37. Imperfecti, & 23 variarum in Matth., quod per illum ingressum Christi in Hierusalem, & eius passionem, & mortem, habitura erat finem vinea illa sterilis, & in desertum redigenda, & arbores illius infructuosæ, non habentes iam nisi ramos, & folia, tanquam inutiles succidendæ. Quid enim aliud erat illa Ecclesia antiqua, & Filia Sion, quando abundabat benedictionibus Domini: & fructibus sanctorum operum, nisi quidam fœlicissimus Mons Oliuarum, aut oliua pinguis, & fructifera ante Dominum, & à Prophetis nunquam satis laudata? Sic enim dicit de illa Hieremias, *Oliuam buberem, pulchram, fructuosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Et Propheta Oseas, *Ibunt rami eius: & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* At postquam multitudine peccatorum facta est sterilis, & sine fructu, ita vt vnus vix, aut alter inueniretur in ea timens Dominum, & fructũ afferens obseruantiæ legis, & sanctæ religionis, sicut per Esaiam prædictũ erat, *Erit sicut excussio oleæ duarum, vel trium oliuarum in summitate rami:* arbor tam sterilis, atque inutilis, & infructuosa, nec tamen penitus eradicanda, & extirpanda, profecto ramis spolianda erat: &, vt verbis vtar Salomonis, confringendi erant *Rami inconsummati, & ad nihilum apti*, vt proiicerentur ad pedes Christi, & Apostolorum simul cum vestimen-

Chrysost.

Hier. 11.

Osea. 14.

Esai. 17.

Sapie. 4.

tis hominum, vt ea pedibus conculcarent, sicut & ipsa tota vinea futura erat in conculcationem. Vestimenta, quibus ornabatur ille populus, erant mandata legis Mosaicæ: rami verò, cæremoniæ, & sacrificia, & ritus Synagogæ. Sed omnia hęc proiecta sunt in terram ad pedes Christi, & Apostolorum: quia ab ipsis, tanquam inutilia, & confracta, conculcanda erant, & pro nihilo habenda. Ecce ergo quanta strages facta est in ramis illis oliuæ veteris Synagogæ, intrante Christo Hierosolymam, vt insereretur in ea oleaster populi
Roman. 1. Christiani, & Ecclesia Gentium. Sic enim dixit Paulus, ad Romanos scribens, *Fracti sunt rami, vt ego inserar.* Hæc enim fuit seueritas iustitiæ Christi in illum populum, & ramos eius, quod (sicut idem Paulus dicit,) *Propter incredulitatem suam fracti sunt.* Et hæc fuit magna gratiæ commendatio in electos ex Gentibus, quod ex sola Dei bonitate, & misericordia inserti sunt, & facti sunt socij radicis, & pinguedinis oliuæ. Considera de-
Genes. 8. nique, quod in Genesi dicitur, columbã venisse ad vesperam ad Noë, afferentem ramum oliuæ: & intelliges, Christum in hoc vespere aduentus sui secundum carnem, venisse ad arcam Ecclesiæ, quæ ex Gentibus congregabantur, confracto ramo illius veteris oliuæ, in qua erat inserenda Ecclesia Christi, & donanda pax per ipsum his, qui prope erant, & his qui longe. Oliua enim symbolum est pacis, & vnctionis Spiritus sancti.

Ait ergo sanctum Euangelium, *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Rex tuus*, inquit: quasi diceret: Tui ge-
Aristot. neris, & carnis tuæ. Aristoteles docet, lib. 8. Æthicorum cap. 11. Regem debere esse eiusdem generationis cum his, quibus imperare debet. Hoc enim pacto dilectio, & amicitia Regis ad subditos, & subditorum ad Regem, erit magis firma, atque perpetua: & si extraneæ gentis hominem populus in Regem eligat, neque amor Regis ad populum vetus, & firmus erit, neque fidelitas populi ad Regem secura esse, & tuta esse poterit, sed plena erunt malis, & periculis omnia. Vnde etiam in Deuteronom. sic præcepit Dominus populo Israel; *Cum dixeris, Constituam super me Regem, sicut ha-*
Deut. 17. *bent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem*

*Dominus*

*Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Quem locum referens D. Tho. 1. 2 q. 105. art 1. ad 2. causam huius rei assignat: quia Reges alienigenæ gentis parum affecti esse solent ad eos, quibus præficiuntur, & parum, aut nihil, de eorũ vtilitatibus pie curant. Profecto quemadmodum caput esse debet eiusdẽ naturæ cũ membris, alioquin enim neque amaret mẽbra, neque bene regeret. neq; influeret in ea, sed esset quoddam genus monstri, sic Rex cum sit caput Regni, vt patet li. Regũ, vbi dictũ est ad Regẽ Saul, *Caput in tribubus Israel factus es*: necesse est, vt ex eadẽ gẽte sit, cui præficitur, ne monstruosa cõpositio fiat Regis, & populi. Propterea Christus Dominus, iuxta illud decretũ Deuteronomii (vt docet Cyrillus, li 8. de Adoratione in spiritu) qui venit in mundum, vt esset caput humani generis, & Rex Filiæ Sion, noluit alterius nationis aut generis naturam assumere: sed *Factus est Deo ex semine David secundum carnem*, vt Paulus dicit, qui, vt Esaias inquit, sessurus erat, *Super thronum David & super Regnum eius*. Bene profecto adnotauit Cyrillus, lib. 5. Thesauri. ca. 8. quod Filius Dei, qui ab Apostolo Paulo vocatur *fundamentũ* Ecclesiæ, & fideliũ scribente ad Corinth. *Fundamentũ aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*: non potuit dici tale fundamentũ, nisi quatenus eiusdẽ naturæ est cũ his quæ superædificantur. Quare non vt Verbũ diuinum tale fundamentum est. *Nulla enim creatura, cũ huiusmodi naturaliter fundamẽto construi potest. Facta igitur diuina sapientia fundamentum, vt homo in omnibus, peccato solo excepto, & in hoc homine fideles superædificãtur propter identitatẽ naturæ. Et sicut alibi seipsum appellat vitẽ, nos autẽ palmites ipsius vitis, ita & fundamentum esse dicitur, vt naturalẽ coniunctionem cum superædificandis aperiat.* Hæc Cyrillus. Sicut ergo Filius Dei venit in mundum, vt esset fundamentũ, & caput Ecclesiæ, ita etiã venit, vt esset *Rex constitutus à Deo super Sion Mõtem sanctum eius*, vt David dicit: & propterea neque in natura diuina apparuit, neque in angelica: quia in his, nec poterat ab hominibus videri, neque cum illis conuersari, sed in humana natura apparere voluit factus homo, vt esset Rex noster

Marginalia: D. Thom. — 1. Reg 15. — Cyrilus. — Rom 1. — Esai. 9. — Cyrilius. — 1. Cor. 2. — Ioan. 15. — Psal. 2.

os nostrum, & caro nostra. Tum, vt hoc pacto magis diligeret homines, quos habebat fratres, & eiusdẽ naturæ, & carnis cõsortes. Nemo enim carnem suã odio habere potest, sed diligit eam, & nutrit, atque fouet. Et
Ephes. 5. propterea, sicut Paulus dicit, *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea:* & in Apocalypsi Ioannis,
Apoc. 1. Christus dicitur, *Princeps Regum terræ, qui dilexit nos.* Si autẽ eiusdem naturæ, & carnis nobiscum non esset, non ita tenere dilexisset humanũ genus, neque pro illo mortẽ passus esset. Tum etiam, vt tanquam verus homo experimento disceret labores hominum, sentiret necessitates, & infirmitates carnis gustaret: atque hoc pacto etiã disceret misereri, & compati infirmitatibus nostris.
Hebr. 2. Sic enim dicit Paulus, ad Hæbræos scribens, *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Põtifex ad Deum, vt propitiaret delicta populi.* In sola enim
Bernardus forma, & natura Dei (sicut Bernardus dicit, lib. de Gradibus humilitatis) nõ poterat per experiẽtiam cognoscere, quid sit obedientia, misericordia, & compassio infirmorum. In forma vero, & natura angelica, non poterat experiri, quid sit paupertas, & fames, & dolor, & passio, & mors. Sunt enim Angeli spiritus incorporei, & impassibiles, & omnis carnis expertes, atq; adeo nõ possunt pati carnis miserias, neque cõpati infirmitatibus eorũ, qui in mortali carne eas sustinẽt. Olim Deus à lõge, atq; oculis Dei aspiciebat miserias, & mala humani
Psal. 101. generis, sicut Dauid dicit, *Dominus prospexit de cœlo sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus cõpeditorũ.* Sed, vt Esaias Propheta dicit, *Nos desiderauimus*
Esai. 53. *eum, virum dolorum, & scientẽ infirmitatem,* hoc est, qui experimẽto propriæ carnis sciret infirmitates, & dolores, atq; labores illius in cęteris hominibus. Propterea ergo venit Rex noster, & indutus carne nostra, vt hos misericordiæ, & cõpassionis affectus habere posset, sicut ille,
Bernardus. qui iã (vt Bernard. dicit, ser. 56. in Cant.) aliis oculis, & per alias fenestras respiciebat labores, & dolores hominũ, & audiebat gemitus eorũ. Vnde & Sponsa in Cant. vidẽs Regem suũ, & Sponsum, indutum carne humana,
Cant. 2. dicebat, *En ipse stat post pariet ẽ nostrũ respiciẽs per fenestras prospiciens per cancellos.* Vocat enim fenestras, & cancellos, ipsos oculos, & sensus corporeos carnis Christi:

quibus iã sicut homo videbat, & experiméto cognoscebat labores, & dolores hominum atque in propria sua carne sentiebat: vt patiendo infirmitates carnis suæ, sciret tanquam verus homo compatiendo infirmitatibus nostris, omnes illas sanaret, ac deleret.

Egregie profectò hoc ipsum significauit Spiritus sanctus per Salomonem in Ecclesiaste: vbi secundum Septuaginta dicitur. *Ego Ecclesiastes fui Rex super Israel in Hierusalem: & dedi cor meum ad exquirendum, & considerãdum in sapientia de omnibus, quæ fiunt sub cœlo.* Diuus Gregorius Nyssenus, Hom. 2. in Ecclesiastem, sic interpretatur hæc verba quod iste cœlestis Ecclesiastes est Christus Dominus, Filius, & Sapientia Patris: ipse est Rex Hierusalem, & huius Filiæ Sion super quam à Patre constitutus est Rex, & Ecclesiastes, prædicans præceptum eius & propterea tanquam Rex iustitiæ, & pacis ingressus est per assumptionem carnis in mundum, & ad passionem in Hierusalem hodierna die cum tanta gloria, & triumpho. Quod si quæramus, quã ob causam apparuit iste Rex in carne nostra mortali, ipse respondet, *Dedi cor meum ad considerandum de omnibus, quæ fiunt sub sole.* Quasi diceret, Vt experimento cognoscerem mala, quæ fiunt sub sole, tentationes inimicorum, necessitates hominum, carnis infirmitates, labores mortaliũ, & dolores: vt melius possem hæc omnia sentire & illis compati, atque adhibere remediũ. *Dedi cor meũ* inquit Anteà enim, vt superius dicebam, sentiebat Deus labores, & miserias hominũ corde impassibili, & ab omni passione, & compassione prorsus alieno, sicut quando li 3. Regum dicebat de Templo Salomonis, *Erunt oculi mei, & cor meum ibi.* Oculi profectò sicci, & sine lacrymis, cor Dei sine vlla passione, ac dolore, & quasi cor lapideum, & quod non tam facile ad misericordiam, & pietatem flecti poterat. At ingrediens mundum, vestiuit illud cor carne humana, tenera & passibili, adimplens quod per Ezechielem promiserat, *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*, hoc est, cor assumam carneum, simile cordi vestro, vt condolere possim doloribus vestris, & compati passionibus, & laboribus vestris: & non ignarus, sed conscius malorum, dis-

Eccl. 1. secund. 70.

Nyssenus.

3. Reg. 9.

Ezech. 11.

cũ miseris, in his, inquibus tentatus fuero, succurrere & auxiliari. Libet profecto in vocem admirantis prorumpere, & in vocem acclamationis Regi nostro, & Christo nostro, qui sit per omnia benedictus, qui venit in nomine Domini, vt tam mirabiliter humanum genus magnificaret, & exaltaret. *Quid est homo* (ait Sanctus Iob) *quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quasi diceret, Quis homo est, aut quæ illius merita, quæ opera, quæ virtutes, vt sic eum magnificare volueris, & exaltare, assumendo carnem eius, ita vt diuinum cor tuum iuxta illam carnem apposueris, & dederis illud homini factum cor carneum: Diuus Chrysostomus, Homilia 5. super Epistolam ad Hebræos, dicit, *Hoc sibi esse magnum, & admirabile, & stupore plenum, quod Filius Dei, qui tam magnus est, qui est splendor gloriæ, qui sæcula fecit, qui est in dextera Patris, iste voluit frater noster in omnibus fieri, vt misericors esset. Propter hoc enim carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, vt misereretur nostri. Non est enim alia causa dispensationis, quam hæc sola. Vidit quippe humi iacere proiectos, pereuntes mortisque tyrannidem patientes, & misertus est* Hæc Chrysostomus. Sic magnificauit hominem, sic apposuit erga eum cor suum, assumens cor carneum: vt in eo experiretur nostras miserias, & in eis disceret misericors esse, & mansuetus Rex. Hinc enim processit in Christo misericordia, & mansuetudo erga homines: quia in carne sua, & corde suo carneo didicit experimento labores, & dolores nostros, & simul imbecillitatem, & infirmitatem carnis nostræ. Vnde Dauid de ipso dicit in Psalmo, *Quo modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Proculdubio pater, cũ filios suos videt in aliquos defectus incidisse, aut miserias, & labores pati, propterea ad misericordiam, & compassionem flectitur, quia cum sit eiusdẽ naturę, & carnis cum filiis, considerat se aliquando in huiusmodi mala aut incidisse aut incidere potuisse. Animaduertit, se hominẽ esse, similem filiis, fragilẽ, & ad miserias propensum, & ad defectus pronũ, humani à se nihil alienũ putat. Agnoscẽs ergo in se ipso imbecillitatẽ, & fragilitatẽ carnis humanæ, qua vestitus est, filiis eiusdẽ carnis cum in miserias humanas inciderint

Chrysost.

Psal. 102.

facile cōdonat offensas ac miseretur eorum, atq; ex corde cōpatitur eorū necessitatibus, & succurrit. Nō aliter Christus Dominus Rex māsuetus, se habet erga hominū miserias, quā pater erga filios. Aristoteles docet 3. li. Politicorū, ca. 11. quod Rex in suo Regno administrando est quasi pater familias in administranda domo, & filiis. Itaq; qui Rex est, idē & pater, & pastor esse debet. Sicut ergo pater miseretur filiorum, propterea quod eandē naturam, & carnē communem cū illis habet, ita & Dominus noster, & Rex mansuetus Iesus Christus, miseretur hominibus, qui tanquam filij eum timēt, etsi quādo ex humanę carnis fragilitate deficiāt, aut in miserias incidāt: quia, cū habeat cor carneū & circūdatus sit infirmitate, experimēto suo didicit misericordiā, & cōpassionem: *Quoniam ipse cognouit figmentū nostrum*, hoc est, quā fragiles, ac debiles nos creauerit, quos de limo terræ produxit, & carne infirma vestiuit, qua & ipse propter nos indui nō est dedignatus. Nam vt Greg. docet, li 13. Moral. c. 9. ) ideo etiā dicitur cognouisse figmentū nostrum, quia naturā nostram humanā, & infirmā, non solū creando cognouit, sed etiam in seipso ex pietate assumendo. Sic ergo recordatus est, quoniā puluis sumus, & factus est misericors pater, pius pastor, & benign⁹ Rex, clemēs, atq; māsuetus in omnes homines. *Aristotel.* *Gregorius.*

Sed & alio sensu dici potest, *Rex māsuetus*. Quia ad hoc ingressus est in mundum, assumpta carne, Filius Dauid, & memor omnis māsuetudinis eius, vt vniuersos homines doceret mansuetos esse in omnibus, & humiles, atq; eius exemplo, & ductu, qui (sicut Esaias inquit) *Sicut agnus coram tondente se sine voce, non aperuit os suum*, cū omni mansuetudine post ipsum incedere per viam omniū virtutum, non pertimescentes vllam contradictionem, aut labores, aut mortē. Rex mansuetus: quiquasi in frōte scriptū defert, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: ita vt etiam Apostolus Paulus obsecraret fideles, *Per mansuetudinem, & modestiam Christi*, quasi hæc posita sit omnibus fidelibus in exēplum totius virtutis, & perfectionis. Propterea & S. Dauid in spiritu dicebat Christo Regi mansueto, *Intende, prospere, procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam.* Quia ex quo intrauit in mundum, & viam humanæ vitæ am- *Esai. 53.* *Matt. 11.* *2. Cor. 10.* *Psal. 44.*

bulauit vſque ad mortem crucis, ideo in omnibus proſpere proceſſit, atque regnauit, quia etiam in omnibus veritatem operatus eſt, & manſuetudinem, & iuſtitiam cæteraſque omnes virtutes, vt verbo, & exemplo nos dirigeret, & poſt ſe duceret in viam ſalutis. *Propter veritatem* (ſicut docet Auguſt. ſermone 47. de verbis Domini) *vt Doctor: propter manſuetudinem, vt liberator: propter iuſtitiam, vt omnium cognitor.* Aut certe propter veritatem, ſicut alijs verbis dixit Paulus, *Propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum.* Et S. Dauid. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, &c.* Propter manſuetudinem, erga populum Gentium, vt & Gentes ſuper miſericordia, & benignitate honorent Deum: & non tantum ſuper aſina, ſed etiam ſuper pullum ſederet, & ambos populos ſimul congregans in cœleſtem Hieruſalem introduceret ſecum. Propter iuſtitiã vero, quia iſte Rex manſuetus ſic anteceſſit nos in omnibus vijs iuſtitiæ, & virtutum, vt exemplo ſuo meruerit trahere poſt ſe omnes electos, tanquam dux, & paſtor, quotquot intraturi ſunt in vitam æternam. Propterea de hoc Rege manſuetiſſimo dictum eſt per Eſaiam, *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* D. Amb. lib. 3. de fide, c. 4. legit, *Cuius principium ſuper humerum eius*, & dicit, *Principium illud crux Domini eſt, principium fortitudinis, quo reſerata eſt via ſanctis Martyribus ad ſacri certaminis paſſionem.* Et paulo ſuperius dixerat, *Principium noſtræ virtutis eſt Chriſtus, principium integritatis, principium humilitatis, patientiæ, paupertatis, & totius perfectionis eſt Chriſtus, & crux eius.* Ideo Rex noſter manſuetus ſuper humerũ ſuum poſuit crucis inſigne, & noſtræ ſalutis principium, atque totius virtutis, vt & nos ſimiliter faciamus, ſequentes eum in omnibus vijs ſuis. De Abimelech narrat Scriptura ſacra in lib. Iudicũ, quod deſtructurus turrim Sichimorum, *Præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios, Quod me videritis facere, cito facite. Qui, ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur ducem, &c.* Abimelech interpretatur *Pater Rex*, vel, *Pater meus Rex*, vel, *Patris mei Regnum*, ſicut Hieronymus, & Auguſtinus dicunt, ſuper Pſal. 33. Iſte eſt Chriſtus Dominus, qui ſecundum diuinitatem

[Marginalia: Auguſt. — Rom. 15. — Pſalm. 131. — Eſai. 9. — Ambroſ. — Iudic. 9. — Hieronym. — Auguſt.]

est pater noster, qui fecit nos, & creauit nos. & secundum humanitatem est Rex noster, per Incarnationem, & passionem suam: in qua propterea accepit, & posuit super humerum suum, non ramum tantum, sed totam, arborem sanctæ Crucis, vt suo exemplo doceret nos, & incitaret, vt accipientes ramum crucis nostræ super humerum nostrum, sequamur ipsum, & imitemur, ad expugnandos vniuersos hostes ipsius Christi, & animarum nostrarum: quasi diceret nobis, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quem locum explicat egregie Diuus Basilius in Regulis diffuse explicatis, Regula 6. Hoc ipsum nos docent turbæ, quæ processerunt obuiam Christo, & sequutæ sunt eum euntem in Hierusalem, cum tanto apparatu, & gloria: de quibus S. Ioannes dicit, quod *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.* Palma (vt Sancti, & Interpretes sacræ Scripturæ docent) significat crucem Christi, aut etiam sanctorum cruces: quia sicut palma habet difficilem ascensum, eo quod habet figuram, non rotundam, sed cultellatam (quæ Hispane dicitur *Esquinada*) sed fructus habet dulcissimos, ita & crux Christi, & Sanctorum, difficilis est, & aspera, atque laboriosa, sed fructus eius suauissimus est, & cœlestis. Hoc igitur pacto necesse est ire post Christum, & ipsum sequi euntem in Hierusalem, spoliantes nos vestimentis veteris hominis, & accipientes in manibus ramos palmarum, videlicet cruces nostras, & mortificationes nostras, ad imitationem Christi Regis nostri mansueti, qui propter nos sustinuit crucem, atque in ea moriens victor mortis euasit. Sic sequutæ sunt Christum venientem in Hierusalem turbæ populorum, ait Ambrosius, sermone 24. offerentes ei palmas. Non enim habuit maius præmium, nisi palmas, quod ei deuotio plebis offerret: significans, ipsum mundi esse victorem. Denique hic maximus honor est, & magna gratia Christiani hominis, hos palmarum ramos, & hanc partem crucis Christi in manibus accipere, & sic Christum ducem, ac Regem suum sequi, & imitari, vt possit dicere cum Salomone in Ecclesiastico, *Rami mei, honoris & gratiæ sunt:* quia nulla maior gratia conferri

*Matth. 16.*
*Basilius.*
*Ioan. 12.*
*Ambrosi.*
*Eccles. 24.*

potest viro Christiano, nullus honor maior, & triumphus, quam vt imitator Christi sit, ipsumque sequatur, tollens crucem suam, & pro ipso passionem sustinens, & si opus fuerit, mortem. Vnde & Salomon in Ecclesiastico dicit, *Gloria magna est, sequi Dominum.* Quam gloriam vehementer cupiens obtinere diuinus Ignatius, ardentissimus Christi amator, dicebat in epistola. 15. quæ est ad Romanos, *Concedite mihi, vt sim imitator passionum Dei mei.* Sed, proh dolor, his nostris temporibus, non sine mœrore animi videmus id, quod olim Propheta Eze. vidit in templo Domini. Sic enim dicit, *In vestibulis fenestræ, & ante frontes picturæ palmarum.* Non veras palmas vidit, sed pictas ante frontes fenestrarum. Multos siquidem fideles in Ecclesia Christi videbimus, quasi fenestras Ecclesiæ, per quas intrat lux doctrinæ ad cæteros fideles. Sunt enim sapientes, & Doctores animarum: sed si ad ramos palmarum, qui in illis fenestris sunt, respiciamus: nihil aliud videbimus, quam imagines, & picturas palmarum. Non est in eis vera crux Christi, aut mortificatio, & pœnitentia ad imitationem Christi, sed figuram tantum, & exteriorem apparentiam discipulorum Christi habent, & tantum distant à veris sectatoribus Christi, quantum distat à veritate imago, aut pictura. Non sic Apostoli, & turbæ populorum, qui cum ramis palmarum obuiauerunt Christo, & acclamauerunt ei, *O sanna Filio Dauid.* Non sic & alij amatores Christi, Martyres, & Sancti, quos in spiritu vidit S. Ioannes Euangelista, & de quibus dicit, *Palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* Hi enim verè sequuntur Christum, agnum mansuetum, & Regem, qui simul illi promunt O sanna pium, & palmas habent in manibus: qui voces, & opera discipulorum Christi habent mortificationem, & confessionem illius: hi denique cum Christo victores exultant, atque intrant in ciuitatem Hierusalem cœlestis. Qui vero solam picturam palmarũ habuerint audient profectò, quod Dauid dixit, *Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Nam in illa cœlesti ciuitate cessabunt imagines, & figuræ, nullæ erunt picturæ, vbi totum erit beatitudo, & gloria, & veritas, quæ Christus est. Qui cum Patre &c. Amen.

Eccle. 23. Ignatius. Ezech. 40. Apoc. 7. Psalm. 72.

# DE MANDATO, ET COENA DOMINI.

## CONCIO I.

*Ante diem festum Pascha, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

IOAN. 13.

HAc Die, per vniuersum orbem celeberrima, celebrat sancta mater Ecclesia illud admirabile opus, & merito cardinale, ac præcipuum Christi Domini, quod communi fidelium voce appellatur, *Mandatum* ipsius: siue dicatur Mandatum, propter illud mandatum, quod Christus reliquit Apostolis, cæterisque fidelibus, de dilectione charitatis mutua inter seipsos, quod tantopore commendatur in hoc capite 13. *Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vocat autem nouum istud dilectionis mandatum (sicut docet Augustinus tractat. 65.) *Quia exuto vetere, induit nos nouum hominem. Innouat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat.* Et paulo inferius, *Dilectio ista nos innouat: vt simus homines noui, & hæredes testamenti noui, cantores cantici noui. Hæc dilectio etiam tunc iustos, tunc Patriarchas, & Prophetas, sicut postea beatos Apostolos innouauit ipsa & nunc innouat gentes* August.

*Et ex vniuerso genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarũ, facit, & colligit populum nouum, &c.* Quia ergo dilectio vera Dei, & proximorũ, efficit in homine cor nouũ, & spiritũ nouum propterea merito vocatur, *Mandatum*

Ezechi. 36. *nouum.* Vnde & apud Ezech. promisit Dominus, se daturum fidelibus hanc dilectionẽ, quæ nouum efficit cor hominis, inquiens, *Dabo vobis cor nouũ, & spiritum nouum ponam in medio vestri.* Aut vocatur *Mandatum nouum*, iuxta

Cyrillus. doctrinam Cyrilli, libro 9. super Ioannem capite 23. propter illam particulam, *Sicut dilexit vos.* Ait ergo Cyrillus, *Vt ergo nouitatem præcepti facile intelligamus, rimemur diligenter, quomodo nos Christus amauit. Cum in*

Philip. 2. *forma* Dei *esset* (sicut ait Paulus) *seipsum exinaniuit, formam serui accipiens: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem crucis.* Præterea (sicut ipse Paulus alibi

2. Cor. 8. testatur) *cum esset diues, propter nos egenus factus est. Vides nouum, atque inauditum dilectionis modum. Lex enim, fratrem diligendum esse, ait, sicut seipsum: Christus autem magis nos, quam seipsum amauit. Nam aliter, nequaquam ad nostram humilitatem descendisset, nequaquam tam acerbum pro nobis crucis patibulum sustulisset. Non fuisset factus pauper, nisi nos magis quam seipsum amasset. Nouus, atque inauditus huius dilectionis modus, quo nos affici iubet, nihil omnino dilectioni fratrum anteponentes, non gloriam, non diuitias, non corporis huius mortem, si opus fuerit, pro salute fratrum, &c.* sicut Paulus dicebat Corinthijs,

1. Cor. 15. *Quotidie morior pro vestra gloria, fratres.* Et Sanctus Ioannes in 1. Canonica inquit, *In hoc cognouimus cha-*

1. Joan. 3. *ritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Aut fortasse id circo hoc solennissimum Christi opus appellatur *Mandatum*: quia, sicut Diuus Tho-

D. Thom. Hieronym. mas insinuat 12. Quæst. 99. artic. 5. & Diuus Hieronymus, in Prologo super Marcum, in præcepto est debitum, & iustitia, in mandato vero magis est amor, & charitas. Et quid, obsecro, minus debitum, quam quod Christus Dei Filius humiliaret se, atque procumberet ad lauandos pedes Discipulorum, & seruorum suorum, vt nobis relinqueret tam singulare, & nouum exemplum? Aut quæ maior dilectio, & charitas, quam quod instante hora mortis suæ ordinauerit, & insti-

tuerit sacratissimum Sacramentum corporis, & sanguinis sui, ad salutem, & vitam nostrarum animarum? Profecto mandatum fuit dilectionis, & amoris Christi maximum, & latissimum inter omnia, quæ Christus reliquit fidelibus suis. *In finem dilexit eos*. Nam in fine vitæ, & prope mortem suam, in hoc mirabili opere, & Mandato, monstrauit Christus magnitudinem amoris sui, multo plus, quam quispiam hominum, aut Angelorum monstrare potuisset, atque excogitare. Propterea Dauid dicebat; *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis*. Vocat hoc loco *Consummationem*, id quod est summum, & vltimum, & consummatum in dilectione, & amore hominum erga Deum: etiam illorum, qui pro Dei amore contempserunt honores & diuitias; imo vero & eorum, qui minas hominum, & tormenta contempserunt, fuderunt sanguinem, & posuerunt animas suas pro Christi nomine. Vidit, quousque peruenit dilectio Apostolorum, & Martyrum, & aliorum Sanctorum, qui dilexerunt Dominum vsque ad mortem: & fatetur, inuenisse se finem, & terminum, ad quem peruenit eorum dilectio erga Deum: & propterea subdit; *Latum mandatum tuum nimis*. Quia hoc Mandatum Christi Domini, tum humilitatis in lotione pedum Discipulorum suorum, tum etiam dilectionis, & amoris in institutione diuinissimi Sacramenti corporis, & sanguinis sui, tam magnum est, tam latum, tam consummatum, vt finem non habeat, quia infinitum quoddam mandatum est. *Psalm. 118.*

Celebre fuit, & maximè vsitatum apud antiquos Patres hospitalitatis amatores, quando suscipiebant hospitio peregrinos, primo lauare pedes eorum, & postmodum apponere illis mensam, & instruere cõuiuium. Et inter multa huius rei exempla præcipuum est, magisque celebratum, hospitium illud Abrahæ, quo suscepit Angelos, sicut in Genesi refertur his verbis. *Apparuit Dominus Abrahæ in conualle Mambræ, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum. Quos cum vidisset, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram, & dixit: Domine, si inueni gratiam in* *Genes. 18.*

*oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed adferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis, &c.* Hæc omnia tunc gesta sunt in vmbra illius arboris mystice, sed modo in veritate, & multo altius, atque perfectius in Christo, & Apostolis, atque in eius passione, & cruce sacratissima.

Erat iam Christus Dominus, vicinus passioni, & morti: &, vt sanctum Euangelium dicit: *Sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Vbi passionem suam, & mortem, vocat Horam suam: quia sibi erat dilectissima, & desideratissima propter dilectionem, & redemptionem nostram: sicut Paulus, scribens ad Timotheum, vocat catenam *suam*, inquiens de Onesiphoro; *Sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit.* Catenam suam vocat, quia in illa gloriabatur, & chariorem habebat propter Christum omni regio diademate aureo. Similiter Apostoli quasi in via erant, & in procinctu, vt transirent à Iudæa ad gentes, vt prædicarent illis Euangelium crucis, & verbum crucis eius. Quapropter necesse fuit, vt eorum pedes lauarentur à Christo Domino. Et quidem primo (vt Tertullianus docet in lib. de Trinitate) voluit Christus Dominus lauare pedes Apostolorum, & apponere illis sacram mensam, vt mutuam vicem redderet sancto Abrahæ, qui in vmbra, & figura, lauerat pedes eius, & apposuerat ei buccellam panis, & vitulum tenerrimum, & optimum: atque hoc beneficio singulari recompensaret filiis eius illud seruitium, quod olim sanctus Patriarcha ei exhibuerat cum tanto amore, & reuerentia: & (vt verbis Tertulliani vtar) *Reddens in filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Quamuis enim Abraham in illis tribus Angelis cognouit, & adorauit tres personas sanctissimæ Trinitatis in vna essentia (vt D. Augustinus docet, lib. 2. de Trinitate, cap 11. & sermo. 70. de tempore) tamen specialiter intellexit, futurum esse, vt persona Filij Dei post modum assumeret humanam carnem, quæ & pedes haberet lauandos, & cibo indigeret, & in cruce moreretur pro salute humani generis. Ad hanc personam in spiritu, & in illo opere hospitalitatis specialius direxit oculos: & quasi qui iam

[Margin notes: 2. Timot. 1. — Tertull. — August.]

videret in spiritu diem eius, lauit ei pedes, & apposuit buccellam panis in feruore spiritus multo magis, quam in feruore illius diei. Huius ergo hospitalitatis memor Christus Dominus, quasi hospitio suscepit filios Abrahæ sanctos Apostolos, Angelos pacis, hæredes fidei, & promissionis Abrahæ: & in spiritu inauditæ humilitatis lauat pedes eorum, & in feruore summæ charitatis apponit ei mensam, non solum illius veteris agni, quē antiqua traditio proponebat, sed multo magis sacratissimi corporis sui, quasi agni nouelli, & immaculati, & optimi, quem sequenti die in arbore sanctæ crucis immolaturus erat, vt per seipsum, & in seipso perfecte adimpleret, quod olim S. Abraham in illo opere hospitalitatis adumbrauerat.

Aut secundo, propterea voluit Christus Dominus lauare pedes Discipulorum, vt illi pedes Apostolici, pedes Angelorum, & nuntiorum eius ad Gentes, mundi essent, & speciosi, quos cum viderent nationes, possent dicere cum Esaia (sicut etiam refert Apostolus, scribēs *Esai. 52.* ad Romanos) *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Propterea ergo lauit pedes *Rom. 10.* eorum Iesus, sicut docet Origenes, tom. 32. in Ioann. vt *Origenes.* hæc Prophetia compleretur, & vt loti, & mundati manibus Christi Iesu, non solum incedere possent per viā sanctā, & Euangelicam ad imitationem Christi Domini, sed etiam prompti essent, & pulchri ad Euangelizādum bona, & prædicandam hominibus pacem, & salutem. Iam enim prope aderat etiam hora illorum vt transirent à Iudæa ad Gentes, & prædicarent Euangelium Christi in vniuerso orbe. Neque decens erat, vt hoc munus Euangelicum, & Apostolicum, immundi, & sordidi pedes deferrent ad nationes, ne quod offendiculum, daretur Euangelio Christi. Scriptum est enim; *Prouerb. 15.* *Via iustorum, absque offendiculo.* Vnde & magnus Apostolus Paulus etiam ab his, quæ sibi interdicta non *1. Cor. 9.* erant, aliquando abstinebat, sicut ipse scribit ad Corinth. *Ne quod offendiculum daret Euangelio Christi.* *August.*

Aut denique tertio, lauit pedes Discipulorum, sicut Augustinus docet, serm. 70. de tempore, tractans de Abraham: vt ab illo discamus, hospites pauperes, & peregrinos libenter excipere, pedes eorum cum hu-

militate,& pietate lauare. *Lauate, inquam, sanctorum peregrinantium pedes, ne forte in illis remaneat puluis, quem ad iudicium vestrum possint de pedibus suis excutere. Sic enim in Euangelio dixit; Qui non susceperit vo. exeuntes, excutite puluerem de pedibus vestris, &c. Hoc ergo prauidebat in spiritu Abraham: & ideo volebat prauenire, & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum, posset in die iudicij reseruari. Ecce B. Abraham, dum homines feruenter exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in* Matth. 25. *Euangelio Christus confirmauit, dicens: Hospes fui, & suscepistis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne forte, quem non excepistis, ipse sit Christus:* dicet enim; *Hospes eram, & non collegistis me.* Neque vero contentus fuit Christus Dominus illa sua incredibili humilitate, qua voluit lauare pedes Discipulorum, sed simul etiam apposuit eis mensam, & buccellam panis cœlestis: vt illo pane tanquam diuino viatico confortati, non tantum mundis pedibus, sed etiam confirmato corde, in fortitudine cibi illius ambulare possent, atque discurrere per totum orbem Euangelizantes, & prædicantes vbique.

In hoc admirabili Christi opere, & Mandato, tam quod secundum Historiam Euangelicam gestum est, quam quod secundum spiritum significandum est, satis aperte nobis declarat charitatem nimiam, & ardentissimum amorem, quo dilexit nos, quia *In finem dilexit nos*, nec potuit amplius diligere. Si enim ad nudam historiam Euangelij attendamus, profecto incōparabilis amor Christi erga nos manifestatur, qui in tantum humilitatis excessum deduxit Christum Redemptorem nostrum, vt habitu seruili præcinctus, & ad pedes Discipulorum procumbēs illis purissimis manibus, quibus creauit cœlos suscitauit mortuos, sanauit infirmos, illis, inquam, manibus, de quibus in Euangelio dicitur, *Omnia dedit ei Pater in manus*, cœpit hodie lauare, & extergere sordidos pedes Discipulorum. Abraham, sicut notauit Origenes in illo tom. 32. super Ioannem, non ipse suis manibus lauit pedes eorum, quos suscepit hospitio: neq; promisit, se pedes eorum lauare, sed dixit; *Lauentur pedes vestri.* Quod si propriis manib^9 pedes eorū lauisset, nō esset admodū mirabile

Origenes.

erāt enim pedes Sanctorum, pedes Angelorum, imo & pedes ipsius Dei, qui in illis tribus Angelis abscondi-tus veniebat. Sed quod ipsemet Deus homo factus, ita suscipiat hospitio Discipulos, & seruos suos, vt diuinis manibus pedes eorum impuros lauet, linteo extergat, & pretiosis labiis osculetur, hoc est, quod in admirationem, atque tremorem adducit, non solum homines, sed etiam Angelos. Lauat enim sacratis manibus pedes Apostolorum, qui ipsa eadem nocte dispergendi erāt, sicut oues errantes, & deserentes pastorem, & de quibus in Euangelio scriptum est; *Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Et, quod magis stupendum est, lauat, pedes impios, & proditores Iudæ, qui ipsa eadem nocte futurus erat dux eorum, qui venturi erant, vt comprehenderent eum: & de quibus per Esaiam dicitur; *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem.* Vt quid ergo, piissime Iesu, huius impiissimi hominis lauas pedes? *Homo, inconuertibilis est* (vt sanctus Leo illum vocat, sermon. 3. de Passione) spiritus vadens, & non reuertens, proditionem tui, quā cœpit tenere, non deseret. Fateor, aliquando fuisse hominem pacis tuæ, & à te lotum à peccatis, atque baptizatum: sed, sicut Salomon ait, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid prodest lauatio eius?* Et tu, Domine, quid proficis humiliando te vsque ad sordidissimos pedes impij proditoris tui? Nonne melius est, vt *Qui in sordibus est sordescat adhuc?* (vt S. Ioan. in Apocalyp. dicit) quam quod purissimis manibus contingas impiissimas sordes illius, qui, etiam cum à te ipso lauatur, impurior, atque sordidior sua culpa fit? Sed Christus Dominus, humilitatis, & patientiæ magister, propterea lauit etiam hos pedes, vt ostenderet in illo peccatore omnem patientiam, & doceret nos omnem humilitatem, & omnem dilectionem erga inimicos, quibus *Non malum pro malo reddamus*, sed è contrario potius bonum pro malo, sicut Apostolus præcipit. Vnde & D. Ambrosius recte dixit, sermo. 10. *Hæc nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Et qui fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in Regno.*

*Matth. 26.* *Esai. 59.* *Leo.* *Eccles. 34.* *Apoc. 22.* *Rom. 12.* *Ambros.*

Non solum lauit pedes peregrinorum Abraham;

quos suscepit hospitio, sed addidit; *Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Sed multo excellentius noster Iesus, ardore charitatis accensus, diuina sua virtute buccellam panis conuertit in corpus suum, in vitulum tenerrimum, & optimum, quo Apostolos post modicum peregrinaturos per totum orbem & Angelos pacis futuros in Gentibus, aleret, & confortaret aduersus omnes persequutores Christi, & Euangelij hostes, atque vt in fortitudine illius panis cœlestis vincerent omnes labores, & difficultates superarent. Hanc buccellam panis, Iudas Iscariotes indigne comedit: & post ipsam introiuit in eum Sathanas, vt nouo sathanico spiritu illum instigaret, citius festinare ad proditionem Christi, & ad perditionem sui ipsius. In hoc ergo opere similiter ostendit Christus Dominus, & omnem patientiam in Iuda proditore, cui sacratissimæ bucellæ panis communionem non denegauit: & omnẽ dilectionem in cæteris Discipulis, quibus tam magnifice panem Angelorum tanquam Angelis manducandum dedit, vt in fortitudine, & hilaritate, atque dulcedine illius panis constanter prosequerentur munus Apostolicum, & Euangelicum, & exultantes, atque gloriantes in tribulationibus, non formidarent pro nomine Iesu contumeliam, & mortem pati. Hucusque enim peruenit ardentissimus Christi amor in Discipulos, & in totam Ecclesiam fidelium. *In finem dilexit eos*, & in ipso feruore diei: cum Sol iustitię Christus ad summum caloris, & ardoris sui gradum peruenisset, tunc instituit hoc diuinum sui corporis, & sanguinis Sacramentum, & apposuit sacratissimam bucellam panis: *Panis*, inquam, sicut Sanctus Cyprianus inquit, *caloris continui, status integri, qui in sapore dulcissimo, et candore purissimo, semper perseuerat.* Profecto non incongrue de hac institutione diuinissimi Sacramenti dici potest id, quod habetur in Deuteronomio, *In terra ostendit tibi ignem suum maximum.* Quia Christum Dominum, qui ignis diuinus, & maximus est, ostendit nobis Deus in hac die in terra quasi proiectum atque prostratum ad pedes Discipulorũ, & lauantem sordes pedum illorum in spiritu tantæ humilitatis: & (vt vtar verbis Esaiæ Prophetæ) *In spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Præterea etiam

*Cyprianus.*

*Deuter. 4.*

*Esai. 4.*

etiam ostendit nobis ignem suum maximum in terra panis, & vini, quam ille Deus noster, *Ignis consumens*, sua virtute conuertit in corpus, & sanguinem suum: vt panem hunc caloris diuini, atque perpetui, semper haberet Ecclesia, & iste diuinus ignis semper arderet in altari sacro-sancto illius, sicut olim in figura præcepit in Leuitico Dominus. Nam quod ille ignis semper ardens in altari, sit ipse Christus, docet Cyrillus, lib. 12. de Adoratione in spiritu, &c. Hūc ergo maximum ignem in terra Dominus nobis ostendit, & in altari Ecclesiæ reliquit, vt virtute, & feruore illius in altari cordis nostri ignis diuini amoris erga ipsum perpetuus, & ardēs, & maximus etiam sit: sic adeo, vt & nos in finem diligamus Deum, sicut ipse prior dilexit nos. *Leuit. 6.* *Cyrillus.*

Sed & propter aliam causam voluit Christus Dominus, non solum lauare pedes Discipulorum, sed etiam apponere illis mensam diuini Sacramenti corporis, & sanguinis sui: nempe, vt quoddam quasi prælúdium faceret, & memoriam renouaret illius cruenti sacrificij, quod altera die peracturus erat in cruce, & per quod transiturus erat ex hoc mundo ad Patrem: & vt de nouo quasi se obligaret, atque promitteret hominibus, moriturum se, & passurum pro salute humani generis. Vnde in typo huius veritatis de immolatione agni Paschalis dicitur in Exodo? *Victima transitus Domini est*: quia illa mystica cœna Sacramenti corporis, & sanguinis Christi, sacrificium fuit commemoratiuū, & repræsentatiuum transitus Christi per mortem ad Patrem: & in quo (vt cum debita reuerentia, & deuotione loquamur) hanc mortem Christus quasi meruit, & illius se reum fecit, quia suscepit hospitio peregrinos homines, lauit pedes eorum, & conuiuium eis fecit carnis suæ innocentissimæ. Notissimum fere omnibus est illud celebre ænigma, quod Nathan proposuit Regi Dauid, libro 2. Regum, de Diuite, & paupere, de oue, & peregrino: & sententia, quam ipse Dauid protulit in fauorem pauperis, aduersus diuitem: quæ omnia in ipsa sacra Historia videri possunt, quia perspicua, & plana sunt. Iste diues, & pauper, est Christus Dominus, secundum duas naturas, diuinam, & humanam, in vna persona Dei, & hominis, atque ex consequenti *Exod. 12.* *2. Reg. 12.*

diuitis,& pauperis iuxta quod Apostolus dicit,in 2. ad
2. Cor.8. Corinth. *Propter vos egenus factus est,cùm esset diues*. D.
Cy illu. Cyrillus,lib.2.de Fide ad Reginas, docet,his verbis Apostoli explicari ea,quæ sunt propria Dei, & propria hominis,in Christo. Deus enim in illo, siue deitas,diues est,&infinitus diuitiarum thesaurus:humanitas verò pauper est,quæ à se nihil habet,sed omnia à Deo data sunt ei. Sed *Diues vt Deus* ( ait Cyrillus ) *voluntariè pauper factus est,& nobis similis, vt posthàc hominis natura in suæ eminentiæ fastigium euecta, paupertatis confusionem amoueat*. Ouis verò illa,caro Christi est innocentissima, & destinata sacrificio pro salute humani generis: de
Esai. 53. qua per Esaiam dicitur; *Sicut ouis ad occisionem ducetur*.
& Actor 8. Hanc ille pauper tam tenerè diligebat, tam delicatè
secund. Septuaginta. nutriebat, vt Scriptura dicat; *Cùm filijs eius de pane illius comedens,& de calice bibens*:quia quamuis Christus Dominus secūdùm corpus,& portionem inferiorem erat viator,& peregrinus,tamen secundùm animam,& portionem superiorem,ab instanti Incarnationis beatitudinem comprehensoris habuit,& in cœlo,cum sanctis Angelis, qui sunt Filij Dei, comedebat,& bibebat super mensam eius,non aliter,quàm modò māducat panem in Regno Patris sui , panem illum inuisibilem, atque beatificum.Vnde subditur; *Et in sinu illius dormiens*. Quod certè id ipsum est, quod S.Ioannes Euā-
Joan.1. gelista dicit; *Vnigenitus qui est in sinu Patris* Quib⁹ ver-
Cyrillus. bis,teste Cyrillo,lib. 1.sup.Ioan.c.22.declaratur,Christum secundùm diuinitatem esse naturalem Filium Dei Patris, & ei consubstantialem,atque ex eius substantia ab æterno genitum , & natum,sicut fides Catholica profitetur:imò verò & secundùm humanitatem Christus in sinu Dei erat,cui eius humanitas personaliter erat vnita,Vnde August.super Psalm.34. con-
August. cione 2.tractans illa verba; *Oratio mea in sinum meum conuertetur*, dicit; *Hoc intelligo dictum, quod in sinu suo Iesus habebat Patrem, in se habebat, quem deprecaretur: non erat longe ab illo, quia ipse dicit; Ego in Patre, & Pater in me est. Sed quia oratio ad ipsum mag is hominem pertinet (secundum enim quod Verbum est Christus non erat,*
Joan.14. *sed exaudit cum Patre, & subuenit omnibus) quid est, Oratio mea in sinum meum conuertetur, nisi, Humanitas in*

*meipso interpellat diuinitatem?* Hoc soli Dei Filio proprium est. Et propterea sequitur; *Erátque ei sicut filia.* Est enim Christus Dominus, naturalis, & dilectissimus Dei Filius, non adoptiuus: de quo Ioannes Euangelista dixit; *Vidimus, gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre.* Vbi illa dictio, *Quasi*, non pro similitudine ponitur, sed pro veritate: vt Gregorius libro 18. Moralium cap. 6. & sicut Chrysostomus dicit, Homilia 11. super Ioannem non similitudinis est, neque parabolæ, sed confirmationis, & definitionis certissimæ: quasi dicat; *Vidimus gloriam, qualem deceat, & credibile sit habere Vnigenitum, & dilectissimum omnium Regis* Dei *Filium.* Joan. 1. Gregor. Chrysost.

Peregrinus, qui venit ad diuitem, Chorus Apostolicus fuit, cœtus illorum Angelorum, qui peregrinaturi erant per totum orbem, prædicantes Euangelium Christi. Peregrinus etiã ille est genus humanum, quod propter peccatum primi parentis peregrinatur, & exul est à Paradiso Dei, & in hac vita, quæ tota peregrinatio est, ambulat, per fidem tendens ad patriam claritatis æternæ, sicut Apostolus ad Corinthios scribit, *Peregrinamur à Domino Per fidem enim ambulamus, &c.* 2. Cor. 5. Et vniuersi viri sancti ingenuè fatentur, quod *Peregrini, & hospites* sunt super terram, sicut etiam Paulus ad Hebræos scribit. Quid igitur fecit diues ille, cùm peregrinum suscepit hospitio? Audi Scripturam: *Parcens ille sumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad se.* Non aliter Filius Dei, qui diues est in misericordia, vt sacrum conuiuium præpararet, noluit sumere oues, & boues, animalia, & sacrificia veteris legis, quæ nec satietatem veram, nec salutem dare poterant homini, sed tulit innocentissimam ouem carnis suæ, & ex ea præparauit hominibus cibum illorum, & conuiuium sanctum fecit peregrinis in Cœna noui testamenti, sicut & Paulus etiam ad Hebræos scribens, refert, *Hostias, & oblationes noluisti, nec tibi placuerunt: corpus autem aptasti mihi.* Relictis enim oblationibus, & hostiis antiquæ legis, quasi iam infirmis, & inutilibus, corpus suum aptauit, & præparauit Apostolis, & fidelibus in cibum, & sanguinem suum Heb. 11. Heb. 10.

cū miseris, in his, in quibus tentatus fuero, succurrere & auxiliari. Libet profecto in vocem admirantis prorumpere, & in vocem acclamationis Regi nostro, & Christo nostro, qui sit per omnia benedictus, qui venit in nomine Domini, vt tam mirabiliter humanum genus magnificaret, & exaltaret. *Quid est homo* (ait Sanctus Iob) *quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quasi diceret, Quis homo est, aut quæ illius merita, quæ opera, quæ virtutes, vt sic eum magnificare volueris, & exaltare, assumendo carnem eius, ita vt diuinum cor tuum iuxta illam carnem apposueris, & dederis illud hominifactum cor carneum: Diuus Chrysostomus, Homilia 5. super Epistolam ad Hebræos, dicit, *Hoc sibi esse magnum, & admirabile, & stupore plenum, quod Filius Dei, qui tam magnus est, qui est splendor gloriæ, qui sæcula fecit, qui est in dextera Patris, iste voluit frater noster in omnibus fieri, vt misericors esset. Propter hoc enim carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, vt misereretur nostri. Non est enim alia causa dispensationis, quam hæc sola. Vidit quippe humi iacere proiectos, percuntes mortisque tyrannidem patientes, & misertus est* Hæc Chrysostomus. Sic magnificauit hominem, sic apposuit erga eum cor suum, assumens cor carneum: vt in eo experiretur nostras miserias, & in eis disceret misericors esse, & mansuetus Rex. Hinc enim processit in Christo misericordia, & mansuetudo erga homines: quia in carne sua, & corde suo carneo didicit experimento labores, & dolores nostros, & simul imbecillitatem, & infirmitatem carnis nostræ. Vnde Dauid de ipso dicit in Psalmo, *Quo modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Proculdubio pater, cū filios suos videt in aliquos defectus incidisse, aut miserias, & labores pati, propterea ad misericordiam, & compassionem flectitur, quia cum sit eiusdē naturę, & carnis cum filiis, considerat se aliquando in huiusmodi mala aut incidisse aut incidere potuisse. Animaduertit, se hominē esse, similem filiis, fragilē, & ad miserias propensum, & ad defectus pronū, humani à se nihil alienū putat. Agnoscēs ergo in se ipso imbecillitatē, & fragilitatē carnis humanæ, qua vestitus est, filiis eiusdē carnis cum in miserias humanas inciderint

Margin notes: Chrysost. — Psal. 102.

facile cõdonat offensas ac miseretur eorum, atq; ex corde cõpatitur eorũ necessitatibus, & succurrit. Nõ aliter Christus Dominus Rex mãsuetus, se habet erga hominũ miserias, quã pater erga filios. Aristoteles docet 3. li. Politicorũ, ca. 11. quod Rex in suo Regno administrando est quasi pater familias in administranda domo, & filiis. Itaq; qui Rex est, idẽ & pater, & pastor esse debet. Sicut ergo pater miseretur filiorum, propterea quod eandẽ naturam, & carnẽ communem cũ illis habet, ita & Dominus noster, & Rex mansuetus Iesus Christus, miseretur hominibus, qui tanquam filij eum timẽt, etsi quãdo ex humanę carnis fragilitate deficiãt, aut in miserias incidãt: quia, cũ habeat cor carneũ & circũdatus sit infirmitate, experimẽto suo didicit misericordiã, & cõpassionem: *Quoniam ipse cognouit figmentũ nostrum*, hoc est, quã fragiles, ac debiles nos creauerit, quos de limo terræ produxit, & carne infirma vestiuit, qua & ipse propter nos indui nõ est dedignatus. Nam vt Greg. docet, li 13. Moral. c. 9.) ideo etiã dicitur cognouisse figmentũ nostrum, quia naturã nostram humanã, & infirmã, non solũ creando cognouit, sed etiam in seipso ex pietate assumendo. Sic ergo recordatus est, quoniã puluis sumus, & factus est misericors pater, pius pastor, & benign⁹ Rex, clemẽs, atq; mãsuetus in omnes homines. Aristotel. Gregorius.

Sed & alio sensu dici potest, *Rex mãsuetus*. Quia ad hoc ingressus est in mundum, assumpta carne, Filius Dauid, & memor omnis mãsuetudinis eius, vt vniuersos homines doceret mansuetos esse in omnibus, & humiles, atq; eius exemplo, & ductu, qui (sicut Esaias inquit) *Sicut agnus coram tondente se sine voce, non aperuit os suum*, cũ omni mansuetudine post ipsum incedere per viam omniũ virtutum, non pertimescentes vllam contradictionem, aut labores, aut mortẽ. Rex mansuetus quiquasi in frõte scriptũ defert, *Discite à me, quia mit is sum, & humilis corde*: ita vt etiam Apostolus Paulus obsecraret fideles, *Per mansuetudinem, & modestiam Christi*, quasi hæc posita sit omnibus fidelibus in exẽplum totius virtutis, & perfectionis. Propterea & S. Dauid in spiritu dicebat Christo Regi mansueto, *Intende, prospere, procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam.* Quia ex quo intrauit in mundum, & viam humanæ vitæ am- Esai. 53. Matt. 11. 2. Cor. 10. Psal. 44.

bulauit vsque ad mortem crucis, ideo in omnibus prospere processit, atque regnauit, quia etiam in omnibus veritatem operatus est, & mansuetudinem, & iustitiam cæterasque omnes virtutes, vt verbo, & exemplo nos dirigeret, & post se duceret in viam salutis. *Propter veritatem* (sicut docet August. sermone 47. de verbis Domini) *vt Doctor: propter mansuetudinem, vt liberator: propter iustitiam, vt omnium cognitor.* Aut certe propter veritatem, sicut alijs verbis dixit Paulus, *Propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum.* Et S. Dauid. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, &c.* Propter mansuetudinem, erga populum Gentium, vt & Gentes super misericordia, & benignitate honorent Deum: & non tantum super asina, sed etiam super pullum sederet, & ambos populos simul congregans in cœlestem Hierusalem introduceret secum. Propter iustitiã vero, quia iste Rex mansuetus sic anteceßit nos in omnibus vijs iustitiæ, & virtutum, vt exemplo suo meruerit trahere post se omnes electos, tanquam dux, & pastor, quotquot intraturi sunt in vitam æternam. Propterea de hoc Rege mansuetißimo dictum est per Esaiam, *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius.* D. Amb. lib. 3. de fide, c. 4. legit, *Cuius principium super humerum eius*, & dicit, *Principium illud crux Domini est, principium fortitudinis, quo reserata est via sanctis Martyribus ad sacri certaminis paßionem.* Et paulo superius dixerat, *Principium nostræ virtutis est Christus, principium integritatis, principium humilitatis, patientiæ, paupertatis, & totius perfectionis est Christus, & crux eius.* Ideo Rex noster mansuetus super humerũ suum posuit crucis insigne, & nostræ salutis principium, atque totius virtutis, vt & nos similiter faciamus, sequentes eum in omnibus vijs suis. De Abimelech narrat Scriptura sacra in lib. Iudicũ, quod destructurus turrim Sichimorum, *Præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios, Quod me videritis facere, cito facite. Qui, ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem, &c.* Abimelech interpretatur *Pater Rex*, vel, *Pater meus Rex*, vel, *Patris mei Regnum*, sicut Hieronymus, & Augustinus dicunt, super Psal. 33. Iste est Christus Dominus, qui secundum diuinitatem

(Margin notes: August. — Rom 15. — Psalm. 131. — Esai. 9. — Ambros. — Iudic 9. — Hieronym. — August.)

est pater noster, qui fecit nos, & creauit nos & secundum humanitatem est Rex noster, per Incarnationem, & passionem suam: in qua propterea accepit, & posuit super humerum suum, non ramum tantum, sed totam, arborem sanctæ Crucis, vt suo exemplo doceret nos, & incitaret, vt accipientes ramum crucis nostrę super humerum nostrum, sequamur ipsum, & imitemur, ad expugnandos vniuersos hostes ipsius Christi, & animarum nostrarum: quasi diceret nobis, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quem locum explicat egregie Diuus Basilius in Regulis diffuse explicatis, Regula 6. Hoc ipsum nos docent turbæ, quæ processerunt obuiam Christo, & sequutæ sunt eum euntem in Hierusalem, cum tanto apparatu, & gloria: de quibus S. Ioannes dicit, quod *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.* Palma (vt Sancti, & Interpretes sacræ Scripturæ docent) significat crucem Christi, aut etiam sanctorum cruces: quia sicut palma habet difficilem ascensum, eo quod habet figuram, non rotundam, sed cultellatam (quæ Hispane dicitur *Esquinada*) sed fructus habet dulcissimos, ita & crux Christi, & Sanctorum, difficilis est, & aspera, atque laboriosa, sed fructus eius suauissimus est, & cælestis. Hoc igitur pacto necesse est ire post Christum, & ipsum sequi euntem in Hierusalem, spoliantes nos vestimentis veteris hominis, & accipientes in manibus ramos palmarum, videlicet cruces nostras, & mortificationes nostras, ad imitationem Christi Regis nostri mansueti, qui propter nos sustinuit crucem, atque in ea moriens victor mortis euasit. Sic sequutæ sunt Christum venientem in Hierusalem turbæ populorum, ait Ambrosius, sermone 24. offerentes ei palmas. Non enim habuit maius præmium, nisi palmas, quod ei deuotio plebis offerret: significans, ipsum mundi esse victorem. Denique hic maximus honor est, & magna gratia Christiani hominis, hos palmarum ramos, & hanc partem crucis Christi in manibus accipere, & sic Christum ducem, ac Regem suum sequi, & imitari, vt possit dicere cum Salomone in Ecclesiastico, *Rami mei, honoris & gratiæ sunt:* quia nulla maior gratia conferri

*Matth. 16.* *Basilius.* *Ioan. 12.* *Ambrosi.* *Eccles 24.*

potest viro Christiano, nullus honor maior, & triumphus, quam vt imitator Christi sit, ipsumque sequatur,
Eccle. 23. tollens crucem suam, & pro ipso passionem sustinens, & si opus fuerit, mortem. Vnde & Salomon in Ecclesiastico dicit, *Gloria magna est, sequi Dominum*. Quam gloriam vehementer cupiens obtinere diuinus Ignatius, ardentissimus Christi amator, dicebat in epistola.
Ignatius. 15. quæ est ad Romanos, *Conceditemihi, vt sim imitator passionum Dei mei.* Sed, proh dolor, his nostris temporibus, non sine mœrore animi videmus id, quod olim Propheta Eze. vidit in templo Domini. Sic enim dicit, *In vestibulis fenestra, & ante frontes pictura palmarum*. Non veras palmas vidit, sed pictas ante frontes fenestrarum.
Ezech. 40. Multos siquidem fideles in Ecclesia Christi videbimus, quasi fenestras Ecclesiæ, per quas intrat lux doctrinæ ad cæteros fideles. Sunt enim sapientes, & Doctores animarum: sed si ad ramos palmarum, qui in illis fenestris sunt, respiciamus: nihil aliud videbimus, quam imagines, & picturas palmarum. Non est in eis vera crux Christi, aut mortificatio, & pœnitentia ad imitationem Christi, sed figuram tantum, & exteriorem apparentiam discipulorum Christi habent, & tantum distant à veris sectatoribus Christi, quantum distat à veritate imago, aut pictura. Non sic Apostoli, & turbæ populorum, qui cum ramis palmarum obuiauerunt Christo, & acclamauerunt ei, *O sanna Filio Dauid*. Non sic & alij amatores Christi, Martyres, & Sancti, quos in spiritu vidit S. Ioannes Euangelista, & de quibus dicit, *Palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna*
Apoc. 7. *dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* Hi enim vere sequuntur Christum, agnum mansuetum, & Regem, qui simul illi promunt O sanna pium, & palmas habent in manibus: qui voces, & opera discipulorum Christi habent mortificationem, & confessionem illius: hi denique cum Christo victores exultant, atque intrant in ciuitatem Hierusalem cœlestis. Qui vero solam picturam palmarũ habuerint audient profecto, quod Dauid dixit, *Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Nam in
Psalm. 72. illa cœlesti ciuitate cessabunt imagines, & figuræ, nullæ erunt picturæ, vbi totum erit beatitudo, & gloria, & veritas, quæ Christus est. Qui cum Patre &c. Amen.

# DE MANDATO, ET COENA DOMINI.

## CONCIO I.

*Ante diem festum Pascha, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

IOAN. 13.

HAc Die, per vniuersum orbem celeberrima, celebrat sancta mater Ecclesia illud admirabile opus, & merito cardinale, ac præcipuum Christi Domini, quod communi fidelium voce appellatur, *Mandatum* ipsius: siue dicatur Mandatum, propter illud mandatum, quod Christus reliquit Apostolis, cæterisque fidelibus, de dilectione charitatis mutua inter seipsos, quod tantopore commendatur in hoc capite 13. *Mandatum*, inquit, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Vocat autem nouum istud dilectionis mandatum (sicut docet Augustinus tractat. 65.) *Quia exuto vetere, induit nos nouum hominem. Innouat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat.* Et paulo inferius, *Dilectio ista nos innouat: vt simus homines noui, & hæredes testamenti noui, cantores cantici noui. Hæc dilectio etiam tunc iustos, tunc Patriarchas, & Prophetas, sicut postea beatos Apostolos innouauit ipsa & nunc innouat gentes.* August.

*Et ex vniuerso genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarũ, facit, & colligit populum nouum, &c.* Quia ergo dilectio vera Dei, & proximorũ, efficit in homine cor nouũ, & spiritũ nouum propterea merito vocatur, *Mandatum*
Ezechi. 36. *nouum*. Vnde & apud Ezech. promisit Dominus, se daturum fidelibus hanc dilectionẽ, quæ nouum efficit cor hominis, inquiens, *Dabo vobis cor nouũ, & spiritum nouum ponam in medio vestri.* Aut vocatur *Mandatum nouum*, iuxta
Cyrillus. doctrinam Cyrilli, libro 9. super Ioannem capite 23. propter illam particulam, *Sicut dilexit vos.* Ait ergo Cyrillus, *Vt ergo nouitatem præcepti facile intelligamus, rimemur diligenter, quomodo nos Christus amauit. Cum in*
Philip. 2. *forma* Dei *esset* (sicut ait Paulus) *seipsum exinaniuit, formam serui accipiens: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem crucis.* Præterea (sicut ipse Paulus alibi
2. Cor. 8. testatur) *cum esset diues, propter nos egenus factus est. Vides nouum, atque inauditum dilectionis modum. Lex enim, fratrem diligendum esse, ait, sicut seipsum: Christus autem magis nos, quam seipsum amauit. Nam aliter, nequaquam ad nostram humilitatem descendisset, nequaquaquam tam acerbum pro nobis crucis patibulum sustulisset. Non fuisset factus pauper, nisi nos magis quam seipsum amasset. Nouus, atque inauditus huius dilectionis modus, quo nos affici iubet, nihil omnino dilectioni fratrum anteponentes, non gloriam, non diuitias, non corporis huius mortem, si opus fuerit, pro salute fratrum, &c.* sicut Paulus dicebat Corinthijs,
2. Cor. 15. *Quotidie morior pro vestra gloria, fratres.* Et Sanctus Ioannes in 1. Canonica inquit, *In hoc cognouimus cha-*
1. Joan. 3. *ritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Aut fortasse id circo hoc solennissimum Christi opus appellatur *Mandatum*: quia, sicut Diuus Tho-
D. Thom. Hieronym. mas insinuat 12. Quæst. 99. artic. 5. & Diuus Hieronymus, in Prologo super Marcum, in præcepto est debitum, & iustitia, in mandato vero magis est amor, & charitas. Et quid, obsecro, minus debitum, quam quod Christus Dei Filius humiliaret se, atque procumberet ad lauandos pedes Discipulorum, & seruorum suorum, vt nobis relinqueret tam singulare, & nouum exemplum? Aut quæ maior dilectio, & charitas, quam quod instante hora mortis suæ ordinauerit, & insti-

tuerit sacratissimum Sacramentum corporis,& sanguinis sui,ad salutem,& vitam nostrarum animarum? Profecto mandatum fuit dilectionis,& amoris Christi maximum, & latissimum inter omnia, quæ Christus reliquit fidelibus suis. *In finem dilexit eos*. Nam in fine vitæ, & prope mortem suam, in hoc mirabili opere, & Mandato, monstrauit Christus magnitudinem amoris sui, multo plus, quam quispiam hominum, aut Angelorum monstrare potuisset, atque excogitare. Propterea Dauid dicebat; *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis*. Vocat hoc loco *Consummationem*, id quod est summum, & vltimum, & consummatum in dilectione, & amore hominum erga Deum: etiam illorum, qui pro Dei amore contempserunt honores & diuitias; imo vero & eorum, qui mnias hominum, & tormenta contempserunt, fuderunt sanguinem, & posuerunt animas suas pro Christi nomine. Vidit, quousque peruenit dilectio Apostolorum, & Martyrum, & aliorum Sanctorum, qui dilexerunt Dominum vsque ad mortem: & fatetur, inuenisse se finem,& terminum, ad quem peruenit eorum dilectio erga Deum: & propterea subdit; *Latum mandatum tuum nimis*. Quia hoc Mandatum Christi Domini, tum humilitatis in lotione pedum Discipulorum suorum,tum etiam dilectionis, & amoris in institutione diuinissimi Sacramenti corporis, & sanguinis sui, tam magnum est, tam latum, tam consummatum,vt finem non habeat, quia infinitum quoddam mandatum est. *Psalm.118.*

Celebre fuit,& maximè vsitatum apud antiquos Patres hospitalitatis amatores, quando suscipiebant hospitio peregrinos,primo lauare pedes eorum, & postmodum apponere illis mensam,& instruere cõuiuium. Et inter multa huius rei exempla præcipuum est, magisque celebratum,hospitium illud Abrahæ,quo suscepit Angelos,sicut in Genesi refertur his verbis. *Apparuit Dominus Abrahæ in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum. Quos cum vidisset,occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram, & dixit: Domine, si inueni gratiam in* *Genes.18.*

*oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed adferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis, &c.* Hæc omnia tunc gesta sunt in vmbra illius arboris mystice, sed modo in veritate, & multo altius, atque perfectius in Christo, & Apostolis, atque in eius passione, & cruce sacratissima.

Erat iam Christus Dominus, vicinus passioni, & morti: &, vt sanctum Euangelium dicit: *Sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Vbi passionem suam, & mortem, vocat Horam suam: quia sibi erat dilectissima, & desideratissima propter dilectionem, & redemptionem nostram: sicut Paulus, scri-
2.Timot.1. bens ad Timotheum, vocat catenam *suam*, inquiens de Onesiphoro; *Sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit.* Catenam suam vocat, quia in illa gloriabatur, & chariorem habebat propter Christum omni regio diademate aureo. Similiter Apostoli quasi in via erant, & in procinctu, vt transirent à Iudæa ad gentes, vt prædicarent illis Euangelium crucis, & verbum crucis eius.
Tertull. Quapropter necesse fuit, vt eorum pedes lauarentur à Christo Domino. Et quidem primo (vt Tertullianus docet in lib. de Trinitate) voluit Christus Dominus lauare pedes Apostolorum, & apponere illis sacram mẽsam, vt mutuam vicem redderet sancto Abrahæ, qui in vmbra, & figura, lauerat pedes eius, & apposuerat ei buccellam panis, & vitulum tenerrimum, & optimum: atque hoc beneficio singulari recompensaret filiis eius illud seruitium, quod olim sanctus Patriarcha ei exhibuerat cum tanto amore, & reuerentia: & (vt verbis Tertulliani vtar) *Reddens in filiis ius hospitalitatis, quod aliquando illi fænerauerat pater.* Quamuis enim Abraham in illis tribus Angelis cognouit, & adorauit tres per-
August. sonas sanctissimæ Trinitatis in vna essentia (vt D. Augustinus docet, lib. 2. de Trinitate, cap 11. & sermo. 70. de tempore) tamen specialiter intellexit, futurum esse, vt persona Filij Dei post modum assumeret humanam carnem, quæ & pedes haberet lauandos, & cibo indigeret, & in cruce moreretur pro salute humani generis. Ad hanc personam in spiritu, & in illo opere hospitalitatis specialius direxit oculos: & quasi qui iam

videret in spiritu diem eius, lauit ei pedes, & apposuit buccellam panis in feruore spiritus multo magis, quam in feruore illius diei. Huius ergo hospitalitatis memor Christus Dominus, quasi hospitio suscepit filios Abrahæ sanctos Apostolos, Angelos pacis, hæredes fidei, & promissionis Abrahæ: & in spiritu inauditæ humilitatis lauat pedes eorum, & in feruore summæ charitatis apponit ei mensam, non solum illius veteris agni, quē antiqua traditio proponebat, sed multo magis sacratissimi corporis sui, quasi agni nouelli, & immaculati, & optimi, quem sequenti die in arbore sanctæ crucis immolaturus erat, vt per seipsum, & in seipso perfecte adimpleret, quod olim S. Abraham in illo opere hospitalitatis adumbrauerat.

Aut secundo, propterea voluit Christus Dominus lauare pedes Discipulorum, vt illi pedes Apostolici, pedes Angelorum, & nuntiorum eius ad Gentes, mundi essent, & speciosi, quos cum viderent nationes, possent dicere cum Esaia (sicut etiam refert Apostolus, scribēs ad Romanos) *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Propterea ergo lauit pedes eorum Iesus, sicut docet Origenes, tom. 32. in Ioann. vt hæc Prophetia compleretur, & vt loti, & mundati manibus Christi Iesu, non solum incedere possent per viā sanctā, & Euangelicam ad imitationem Christi Domini, sed etiam prompti essent, & pulchri ad Euangelizādum bona, & prædicandam hominibus pacem, & salutem. Iam enim prope aderat etiam hora illorum vt transirent à Iudæa ad Gentes, & prædicarent Euangelium Christi in vniuerso orbe. Neque decens erat, vt hoc munus Euangelicum, & Apostolicum, immundi, & sordidi pedes deferrent ad nationes, ne quod offendiculum daretur Euangelio Christi. Scriptum est enim; *Via iustorum, absque offendiculo.* Vnde & magnus Apostolus Paulus etiam ab his, quæ sibi interdicta non erant, aliquando abstinebat, sicut ipse scribit ad Corinth. *Ne quod offendiculum daret Euangelio Christi.*

*Esai. 52.* *Rom. 10.* *Origenes.* *Prouerb. 15.* 1. *Cor. 9.* *August.*

Aut denique tertio, lauit pedes Discipulorum, sicut Augustinus docet, serm. 70. de tempore, tractans de Abraham: vt ab illo discamus, hospites pauperes, & peregrinos libenter excipere, pedes eorum cum hu-

militate,& pietate lauare. *Lauate, inquam, sanctorum peregrinantium pedes, ne forte in illis remaneat puluis, quem ad iudicium vestrum possint de pedibus suis excutere. Sic enim in Euangelio dixit; Qui non susceperit vo , exeuntes, excutite puluerem de pedibus vestris, &c. Hoc ergo praeuidebat in spiritu Abraham: & ideo volebat praeuenire, & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum, posset in die iudicij reseruari. Ecce B. Abraham, dum homines feruenter exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in* Matth. 25. *Euangelio Christus confirmauit, dicens: Hospes fui, & suscepistis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne forte, quem non excepistis, ipse sit Christus:* dicet enim; *Hospes eram, & non collegistis me.* Neque vero contentus fuit Christus Dominus illa sua incredibili humilitate, qua voluit lauare pedes Discipulorum, sed simul etiam apposuit eis mensam, & buccellam panis cœlestis : vt illo pane tanquam diuino viatico confortati, non tantum mundis pedibus, sed etiam confirmato corde, in fortitudine cibi illius ambulare possent, atque discurrere per totum orbem Euangelizantes, & prædicantes vbique.

In hoc admirabili Christi opere, & Mandato, tam quod secundum Historiam Euangelicam gestum est, quam quod secundum spiritum significandum est, satis aperte nobis declarat charitatem nimiam, & ardentissimum amorem, quo dilexit nos, quia *In finem dilexit nos,* nec potuit amplius diligere. Si enim ad nudam historiam Euangelij attendamus, profecto incōparabilis amor Christi erga nos manifestatur, qui in tantum humilitatis excessum deduxit Christum Redemptorem nostrum, vt habitu seruili præcinctus, & ad pedes Discipulorum procumbēs illis purissimis manibus, quibus creauit cœlos suscitauit mortuos, sanauit infirmos, illis, inquam, manibus, de quibus in Euangelio dicitur, *Omnia dedit ei Pater in manus,* cœpit hodie lauare, & extergere sordidos pedes Discipulorum. Abraham, sicut notauit Origenes in illo tom. 32. super Ioannem, non ipse suis manibus lauit pedes eorum, quos suscepit hospitio: neq; promisit, se pedes eorum lauare, sed dixit; *Lauentur pedes vestri.* Quod si propriis manib⁹ pedes eorū lauisset, nō esset admodū mirabile

Origenes.

erāt enim pedes Sanctorum, pedes Angelorum, imo & pedes ipsius Dei, qui in illis tribus Angelis absconditus veniebat. Sed quod ipsemet Deus homo factus, ita suscipiat hospitio Discipulos, & seruos suos, vt diuinis manibus pedes eorum impuros lauet, linteo extergat, & pretiosis labiis osculetur, hoc est, quod in admirationem, atque tremorem adducit, non solum homines, sed etiam Angelos. Lauat enim sacratis manibus pedes Apostolorum, qui ipsa eadem nocte dispergendi erāt, sicut oues errantes, & deserentes pastorem, & de quibus in Euangelio scriptum est; *Tunc Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Et, quod magis stupendum est, lauat, pedes impios, & proditores Iudæ, qui ipsa eadem nocte futurus erat dux eorum, qui venturi erant, vt comprehenderent eum: & de quibus per Esaiam dicitur; *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem.* Vt quid ergo, piissime Iesu, huius impiissimi hominis lauas pedes? *Homo, inconuertibilis est* (vt sanctus Leo illum vocat, sermon. 3. de Passione) spiritus vadens, & non reuertens, proditionem tui, quā cœpit tenere, non deseret. Fateor, aliquando fuisse hominem pacis tuæ, & à te lotum à peccatis, atque baptizatum: sed, sicut Salomon ait, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid prodest lauatio eius?* Et tu, Domine, quid proficis humiliando te vsque ad sordidissimos pedes impij proditoris tui? Nonne melius est, vt *Qui in sordibus est sordescat adhuc?* (vt S. Ioan. in Apocalyp. dicit) quam quod purissimis manibus contingas impiissimas sordes illius, qui, etiam cum à te ipso lauatur, impurior, atque sordidior sua culpa fit? Sed Christus Dominus, humilitatis, & patientiæ magister, propterea lauit etiam hos pedes, vt ostenderet in illo peccatore omnem patientiam, & doceret nos omnem humilitatem, & omnem dilectionem erga inimicos, quibus *Non malum pro malo reddamus,* sed è contrario potius bonum pro malo, sicut Apostolus præcipit. Vnde & D. Ambrosius recte dixit, sermo. 10. *Hæc nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Et qui fuerit patientior ad iniuriam, potentior constituetur in Regno.*

Non solum lauit pedes peregrinorum Abraham,

*Matth. 26.* *Esai. 59.* *Leo.* *Eccles. 34.* *Apoc. 22.* *Rom. 12.* *Ambros.*

quos susceptit hospitio, sed addidit; *Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Sed multo excellentius noster Iesus, ardore charitatis accensus, diuina sua virtute buccellam panis conuertit in corpus suum, in vitulum tenerrimum, & optimum, quo Apostolos post modicum peregrinaturos per totum orbem & Angelos pacis futuros in Gentibus, aleret, & confortaret aduersus omnes persequutores Christi, & Euangelij hostes, atque vt in fortitudine illius panis cœlestis vincerent omnes labores, & difficultates superarent. Hanc buccellam panis, Iudas Iscariotes indigne comedit: & post ipsam introiuit in eum Sathanas, vt nouo sathanico spiritu illum instigaret, citius festinare ad proditionem Christi, & ad perditionem sui ipsius. In hoc ergo opere similiter ostendit Christus Dominus, & omnem patientiam in Iuda proditore, cui sacratissimæ bucellæ panis communionem non denegauit: & omnẽ dilectionem in cæteris Discipulis, quibus tam magnifice panem Angelorum tanquam Angelis manducandum dedit, vt in fortitudine, & hilaritate, atque dulcedine illius panis constanter prosequerentur munus Apostolicum, & Euangelicum, & exultantes, atque gloriantes in tribulationibus, non formidarent pro nomine Iesu contumeliam, & mortem pati. Hucusque enim peruenit ardentissimus Christi amor in Discipulos, & in totam Ecclesiam fidelium. *In finem dilexit eos*, & in ipso feruore diei: cum Sol iustitię Christus ad summum caloris, & ardoris sui gradum peruenisset, tunc instituit hoc diuinum sui corporis, & sanguinis Sacramentum, & apposuit sacratissimam bucellam panis. *Panis*, inquam, sicut Sanctus Cyprianus inquit, *caloris continui, status integri, qui in sapore dulcissimo, et candore purissimo, semper perseuerat.* Profecto non incongrue de hac institutione diuinissimi Sacramenti dici potest id, quod habetur in Deuteronomio, *In terra ostendit tibi ignem suum maximum.* Quia Christum Dominum, qui ignis diuinus, & maximus est, ostendit nobis Deus in hac die in terra quasi proiectum atque prostratum ad pedes Discipulorũ, & lauantem sordes pedum illorum in spiritu tantæ humilitatis: & (vt vtar verbis Esaiæ Prophetæ) *In spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Præterea etiam

*Cyprianus.*

*Deuter.4.*

*Esai.4.*

etiam ostendit nobis ignem suum maximum in terra panis, & vini, quam ille Deus noster, *Ignis consumens*, sua virtute conuertit in corpus, & sanguinem suum: vt panem hunc caloris diuini, atque perpetui, semper haberet Ecclesia, & iste diuinus ignis semper arderet in altari sacro-sancto illius, sicut olim in figura præcepit in Leuitico Dominus. Nam quod ille ignis semper ardens in altari, sit ipse Christus, docet Cyrillus, lib. 12. de Adoratione in spiritu, &c. Hūc ergo maximum ignem in terra Dominus nobis ostendit, & in altari Ecclesiæ reliquit, vt virtute, & feruore illius in altari cordis nostri ignis diuini amoris erga ipsum perpetuus, & ardēs, & maximus etiam sit: sic adeo, vt & nos in finem diligamus Deum, sicut ipse prior dilexit nos. *Leuit. 6.* *Cyrillus.*

Sed & propter aliam causam voluit Christus Dominus, non solum lauare pedes Discipulorum, sed etiam apponere illis mensam diuini Sacramenti corporis, & sanguinis sui: nempe, vt quoddam quasi præludium faceret, & memoriam renouaret illius cruenti sacrificij, quod altera die peracturus erat in cruce, & per quod transiturus erat ex hoc mundo ad Patrem: & vt de nouo quasi se obligaret, atque promitteret hominibus, moriturum se, & passurum pro salute humani generis. Vnde in typo huius veritatis de immolatione agni Paschalis dicitur in Exodo? *Victima transitus Domini est*: quia illa mystica cœna Sacramenti corporis, & sanguinis Christi, sacrificium fuit commemoratiuū, & repræsentatiuum transitus Christi per mortem ad Patrem: & in quo (vt cum debita reuerentia, & deuotione loquamur) hanc mortem Christus quasi meruit, & illius se reum fecit, quia suscepit hospitio peregrinos homines, lauit pedes eorum, & conuiuium eis fecit carnis suæ innocentissimæ. Notissimum fere omnibus est illud celebre ænigma, quod Nathan proposuit Regi Dauid, libro 2. Regum, de Diuite, & paupere, de oue, & peregrino: & sententia, quam ipse Dauid protulit in fauorem pauperis, aduersus diuitem: quæ omnia in ipsa sacra Historia videri possunt, quia perspicua, & plana sunt. Iste diues, & pauper, est Christus Dominus, secundum duas naturas, diuinam, & humanam, in vna persona Dei, & hominis, atque ex consequenti *Exod. 12.* *2. Reg. 12.*

diuitis,& pauperis iuxta quod Apostolus dicit,in 2. ad
1. Cor. 8. Corinth. *Propter vos egenus factus est, cùm esset diues.* D.
Cyrillus. Cyrillus,lib. 2. de Fide ad Reginas, docet,his verbis Apostoli explicari ea,quæ sunt propria Dei, & propria hominis,in Christo. Deus enim in illo, siue deitas,diues est,&infinitus diuitiarum thesaurus: humanitas verò pauper est,quæ à se nihil habet,sed omnia à Deo data sunt ei. Sed *Diues vt Deus* ( ait Cyrillus ) *voluntariè pauper factus est, & nobis similis, vt posthàc hominis natura in suæ eminentiæ fastigium euecta, paupertatis confusionem amoueat.* Ouis verò illa,caro Christi est innocentissima, & destinata sacrificio pro salute humani generis: de
Esai. 53. & Actor 8. secund. Septuaginta. qua per Esaiam dicitur; *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Hanc ille pauper tam tenerè diligebat, tam delicatè nutriebat, vt Scriptura dicat; *Cùm filijs eius de pane illius comedens, & de calice bibens:* quia quamuis Christus Dominus secũdùm corpus,& portionem inferiorem erat viator,& peregrinus,tamen secundùm animam,& portionem superiorem,ab instanti Incarnationis beatitudinem comprehensoris habuit,& in cœlo,cum sanctis Angelis, qui sunt Filij Dei, comedebat,& bibebat super mensam eius,non aliter,quàm modò mãducat panem in Regno Patris sui , panem illum inuisibilem, atque beatificum. Vnde subditur; *Et in sinu illius dormiens.* Quod certè id ipsum est, quod S. Ioannes Euã-
Ioan. 1. gelista dicit; *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Quib⁹ ver-
Cyrillus. bis, teste Cyrillo, lib. 1. sup. Ioan. c. 22. declaratur, Christum secundùm diuinitatem esse naturalem Filium Dei Patris, & ei consubstantialem,atque ex eius substantia ab æterno genitum , & natum,sicut fides Catholica profitetur: imò verò & secundùm humanitatem Christus in sinu Dei erat,cui eius humanitas personaliter erat vnita, Vnde August. super Psalm. 34. con-
August. cione 2. tractans illa verba; *Oratio mea in sinum meum conuertetur*, dicit; *Hoc intelligo dictum, quod in sinu suo Iesus habebat Patrem, in se habebat, quem deprecaretur: non erat longe ab illo, quia ipse dicit; Ego in Patre, & Pater in me est. Sed quia oratio ad ipsum magis hominem pertinet (secundum enim quod Verbum est Christus non erat,
Ioan. 14. sed exaudit cum Patre, & subuenit omnibus) quid est, Oratio mea in sinum meum conuertetur, nisi, Humanitas in*

*meipso interpellat diuinitatem?* Hoc soli Dei Filio proprium est. Et propterea sequitur; *Eratque ei sicut filia.* Est enim Christus Dominus, naturalis, & dilectissimus Dei Filius, non adoptiuus: de quo Ioannes Euangelista dixit; *Vidimus, gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre.* Vbi illa dictio, *Quasi*, non pro similitudine ponitur, sed pro veritate: vt Gregorius libro 18. Moralium cap. 6. & sicut Chrysostomus dicit, Homilia 11. super Ioannem non similitudinis est, neque parabolæ, sed confirmationis, & definitionis certissimæ: quasi dicat; *Vidimus gloriam, qualem deceat, & credibile sit habere Vnigenitum, & dilectissimum omnium Regis* Dei *Filium.* Ioan. 1. Gregor. Chrysost.

Peregrinus, qui venit ad diuitem, Chorus Apostolicus fuit, cœtus illorum Angelorum, qui peregrinaturi erant per totum orbem, prædicantes Euangelium Christi. Peregrinus etiã ille est genus humanum, quod propter peccatum primi parentis peregrinatur, & exul est à Paradiso Dei, & in hac vita, quæ tota peregrinatio est, ambulat, per fidem tendens ad patriam claritatis æternæ, sicut Apostolus ad Corinthios scribit, *Peregrinamur à Domino Per fidem enim ambulamus, &c.* Et vniuersi viri sancti ingenuè fatentur, quod *Peregrini, & hospites* sunt super terram, sicut etiam Paulus ad Hebræos scribit. Quid igitur fecit diues ille, cum peregrinum suscepit hospitio? Audi Scripturam: *Parcens ille sumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad se.* Non aliter Filius Dei, qui diues est in misericordia, vt sacrum conuiuium præpararet, noluit sumere oues, & boues, animalia, & sacrificia veteris legis, quæ nec satietatem veram, nec salutem dare poterant homini, sed tulit innocentissimam ouem carnis suæ, & ex ea præparauit hominibus cibum illorum, & conuiuium sanctum fecit peregrinis in Cœna noui testamenti, sicut & Paulus etiam ad Hebræos scribens, refert, *Hostias, & oblationes noluisti, nec tibi placuerunt: corpus autem aptasti mihi.* Relictis enim oblationibus, & hostiis antiquæ legis, quasi iam infirmis, & inutilibus, corpus suum aptauit, & præparauit Apostolis, & fidelibus in cibum, & sanguinem suum 2. Cor. 5. Heb. 11. Heb. 10.

in potum pretiosissimum. Respondeat ergo nobis iudicium Rex Dauid, proferat sententiam in hac causa,& dicat, quid mereatur, quo præmio,vel supplicio dignus est diues ille, qui hoc opus tam peregrinum fecit, vt hominem peregrinum susciperet hospitio, & pararet illi splendidam mensam, & tam pretiosum exhiberet conuiuium. *Viuit Dominus* (ait Rex Dauid) *quoniā filius mortis est vir, qui fecit hoc, Ouē reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud.* O diuina magis quam humana, sententia, & prophetico spiritu plena! Decernit enim in spiritu veritatis Filium Dei, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit peregrinum hominem, tradendum esse morti, & obnoxium se fecisse, atque, vt ita cum debita reuerentia dicamus, meruisse mortem illam, atque, illius reum se fecisse, propterea quod tam nouum, tam singulare conuiuium parauit peregrino. Considera, obsecro, Christum Dominum iam passioni, & morti tradendum ab impiis, & videbis, quod nullam causam mortis inuenientes in eo, sicut sancti Euange-

*Matth.26.* listæ affirmant, *Omnes condemnauerunt eum reum esse mor-*

*& Mar.14.* *tis.* Proculdubio quia nulla alia causa mortis, nullum aliud crimen esse poterat, nisi quod ardenter amauit peregrinum, quod in finem dilexit eum, quod parauit ei mensam carnis, & sanguinis sui: in quo opere mirabili ipse voluntarie se fecit obnoxium morti pro salute humani generis, quod peregrinum erat à vera, & æterna salute. Vnde, quādo Christus in cœna de dit A-

*Luce 22.* postolis Sacramentū corporis, sicut S. Lucas dicit, ipse dixit eis; *Accipite, & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: quia illa communicatione corporis sui in cœna, quasi obligatum, & reum misericorditer se fecit ad tradendum illud corpus morti, & supplicio crucis pro redemptione, & salute omnium, quos ita dilexit, vt corpori suo, & sanguini non pepercerit vsque ad mortem.

Deinde sequitur in iudicio, & sententia Dauid: *Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbū istud.* Quatuor excellentias insinuat, quas Christus contulit huic Sa-

*D.Thom.* cramento: & eas commemorat D. Thomas 3. parte quæst.73. artic. 4. Est enim primo, conuiuium quod-

dam cœleste, in quo Christus Dominus vere, & sacramentaliter continetur, & sumitur: & quo alimento, & cibo anima viuit, & nutritur spiritualiter, conseruatur, & crescit in gratia, & virtutibus, & ad omne opus bonum confortatur, & corroboratur. Secundo, est sacrificium sanctum, & incruentum, atque immaculata hostia, quæ in altari Ecclesiæ offertur Deo Patri, in memoriam illius cruenti sacrificij, quod ipse Christus obtulit in cruce pro redemptione humani generis. Vnde & Paulus in 1. epistola ad Corinthios scribit. 1. Cor. 11.
*Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Vnde sacrificium hoc in sancta Ecclesia (sicut Conc. Trident. docet) Sess. 22 Concil. Trid.
tractatu de sacrificio Missæ, cap. 2. & Canon. 3. non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite iuxta Apostolorum traditionem offertur. Tertio, est sacramentum communionis; quia vt Damascenus dicit, Damasce.
lib. 4. de Fide, cap. 14. per eam communicamus Christo, & participamus eius carne, & diuinitate, & quia communicamus, & vnimur inuicem per illam, secundum quod Apostolus ad Corinthios scribit, *Quoniam vnus panis, & vnum corpus, multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Et propterea à sanctis Conciliis, & Patribus solet appellari, *Sacramentum vnitatis, & vinculum charitatis, & pacis.* Quarto deni- 1. Cor. 10.
que, & viaticum, quod sua virtute præbet spirituales vires animæ ad perambulandum difficilem viam huius vitæ, & ad perueniendum in fortitudine cibi illius vsque in vitam æternam, secundum quod Christus in Euangelio Ioannis dicit; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; hoc est, perueniet in vitam æternam. Ioan. 6.
Propterea enim Christus Dominus transiturus de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, & accepit, & Discipulis dedit sumendum, vt doceret nos, illud esse vnicum, & singulare viaticum, confortans, & confirmans cor hominis, tã in vita ista, quàm in hora trãsitus ex hoc mundo per mortem: quemadmodùm & S. Abraham dicebat peregrinis, quos suscepit hospitio;

*Confortetur cor vestrum, & postea transibitis.* Certe à labore ad requiem, à peregrinatione ad patriam, à morte ad æternam vitam, quæ Christus est. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto, &c. Amen.

---

## DE EODEM MYSTERIO.

### CONCIO II.

*Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c.* IOAN. 13.

MErito à quibusdam sanctis Patribus mysterium huius diei vocari solet *Sacramentum sacramentorum, amor amorum:* quoniam hac die Ecclesia celebrat Mandatum Christi Domini, & nouum testamentum, atque postremum dilectionis eius: in quo modis omnibus manifestare voluit excessum ardentissimi amoris sui erga homines, non solum verbis suauissimis, sed etiam admirabili opere & plena veritate omnium illarum promissionum, quas promisit, qui non mentitur, Deus, per os Sanctorum,

1. Joann. 3. qui à sæculo sunt, Prophetarum eius. *Filioli mei* (ait S. Ioannes Euangelista) *Non diligamus verbo, neque lingua*

August. *sed opere, & veritate*: hoc est, non diligamus lingua tantũ, & verbo, vt Augustinus ibi exponit, Tractatu 5. & 6. sed bonis operibus mutuis, atq; his ex vera charitate procedentibus. Sic enim Christus Dominus in mysterio huis diei omnibus modis demonstrauit Apostolis: & toti Ecclesiæ suæ, excellentiam summi amoris quo vsque in finem dilexit nos.

Nam primo, verbo, & lingua, ostendit eis maximã dilectionem suam in illo sermone, quẽ ad ipsos habuit per acta Cœna, atque Mandato Qui sermo Dominicus plenus est verbis sũmæ sapiẽtiæ & eximiæ dilectionis, & cõsolationis maximę, in quo ad ipsos loquitur Dominus

Zachar. 1. (vt vtar verbis Zachariæ Prophetæ, *Verba bona, verba*

*consolatoria*. Nam ad mutuã dilectionem eos hortatur, Discipulos, & amicos vocat, & locũ se illis præparaturũ in cœlis promittit, & missurũ se ad eos Spiritũ sanctũ Paracletũ, neque vnquam relicturum eos orphanos: & alia id genus multa, quę plena sunt diuina sapiētia, amore, & consolatione: in quibus (vt vtar verbis Salomonis) *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clemētiæ in lingua eius*. Quia totum hoc Christi Mandatum, quasi lex quædam sapiētiæ, & veritatis, dilectionis, & clemētiæ in ore Christi Domini fuit: & propterea per excellentiã quandam *Mandatum dilectionis, & amoris*, appellatur: & quod (vt verbis vtar D. Bernard. serm. 79. in Cant.) *Non verbis sit æstimandum, aut lingua, sed opere, & veritate. Amor vbique loquitur: & si quis horum, quæ leguntur, cupit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra ad audiendum, legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium, frigidum pectus. Quomodo enim Græce loquentē non intelligit, qui Græcum non nouit, nec Latine loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris, sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Prou. 31. Bernardus.

Sed in Christi Domini dilectione, qua dilexit nos nõ solum *Labia eius* fuerũt *lilia, distillantia myrrham primã* (vt Sponsa dicit in Cantic.) hoc est, puram, & synceram veritatem, quæ hominibus amara esse solet: sed etiam *Manus eius aureæ* fuerunt, & *plenæ hiacinthis:* quia non tantum lingua, & verbis manifestauit nobis dilectionem suam sed operibus virtutum perfectis, cum ex profundissima humilitate lauit pedes Discipulorum purissimis suis manibus, & ex summa charitate eisdē manibus largitus est illis Sacramentũ corporis, & sanguinis sui: atq; hoc iã non in typo, & figura sed veritate. Omnia enim opera, quę anteà Deus fecerat pro nostra salute, & amore, in vmbra, & figura contingebãt nobis: quia nõ dũ aduenerat veritas, quæ per Christũ facta est, nondũ dilexerat nos Deus in finē, quousq; adueniret Christus, de quo Paul. ad Rom. dicit, *Finis legis Christus in salutem*, Anteà enim, vt dicebam, sola vmbra, & figura præcesserat, solus odor quidã suauis eorũ, quæ Christus hac die suis manibus gessit in Cœna, & altera die consummaturus erat in cruce, vt opus redemptionis perficeret. Cant. 5.

Exod. 30. In exodo præceperat Deus, fieri *Labium æneũ*, in quo missa aqua lauarent sacerdotes manus suas, ac pedes, quando accessuri erant ad altare, vt offerrent in eo thymiama Domino: ad significandũ id, quod hodierna die à Christo Domino actũ est, qui propriis manib⁹ lauit pedes discipulorũ, & sacerdotum suorũ, antequã accederẽt ad offerendũ, & sumendũ in altaris mẽsa illud sacratissimũ & suauissimũ sacrificium corporis, & sanguinis eius. Quod sacrificium Domini per illud thymiama diuinũ & suauissimũ, significabatur: quia olim Deus ipse & sancti Patres antiquæ legis, solum percipiebant odorem quendam suauẽ huius diuini sacrificij, quod Christus in hac cœna, & postea in passione sua opere, & veritate mirabiliter consummauit. Vnde in Exodo præcipiebat Moyses, *Offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino odor suauissimus victimæ Domini.* Cuius, obsecro, victimæ Domini? Sine dubio illius victimæ, quã Dominus Iesus instituit hac die in sacrificio corporis & sanguinis sui, & posteà consũmauit in cruce: cuius victimæ odorẽ suauissimũ præsentiebat De⁹ in sacrificiis & oblationibus antiquæ legis, & propterea acceptabat sacrificia, & oblationes, & holocausta, & gratissima illi erãt, quia suauissimũ odorem illi pręstabat victimę illius, quã Christus oblaturus erat pro nobis. Eũdem odorẽ sẽsit Dominus post diluuiũ, quando Noë obtulit ei sacrificiũ placationis, & laudis, sicut Scriptura dicit, *Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait, Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem.* Vbi enim sensit fragrantiã, & suauem odorem illius sacrificij, statim quieuit ira eius, & placatus est, atque fœdera amicitiæ, & pacis statuit cum homine. Hoc autem totum factum est propter suauissimum odorem illius sacrificij quod Christus Dei filius opere, & veritate oblaturus erat in remissionem peccatorum nostrorum. Cuius sacrificii solo odore tũc delectatus Dominus placabatur hominibus, & remittebat peccata, & saluabat animas. Vnde & de sacrificio quod offerebatur pro peccato, dicitur in Leuitico, *Ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino.* Quoniam illud sacrificium veteris legis nihil aliud erat, quàm memoriale quoddam coram Domino, & recordatio illius diuini holocausti, & sacrificii saluta-

Exod. 29.

Genes. 8.

Leuit. 2.

ris, quod Christus oblaturus erat in cruce, & relicturus in altari Ecclesię: memoriale infiniti amoris sui, & in quo *Memoriam fecit omnium mirabilium suorum.* Huius odorem sacrificii statim, vt sentiebat Deus, in fide, & virtute illius, remittebat peccata, & iustificabat homines.

Similem odorem, atque fragrantiam sentiebant sancti Patres in illis sacrificiis, & oblationibus, quas offerebant Domino, & illo, in spiritu percepto, gaudebant & vehementer consolabantur, expectantes beatam spem, & aduentum magni Dei, & mediatoris Iesu Christi, quem ille diuinus odor significabat venturũ, & nos videmus iam venisse: atque, sicut Greg. dicit, li. 9. Moral. ca. 16. *Quod illi odorati sunt expectando, hoc nos cernendo, & percipiendo satiamur.* Sanctus Isaac senex, cum comedisset carnẽ, & bibisset vinũ, in illo mystico conuiuio, quod illi apposuit filius suus Iacob, statim vt sẽsit fragrantiam vestimentorum eius, eleuata voce dixit, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, &c.* Quasi diceret? *Ecce odor*, non Iacob, sed Iesu Christi Filii Dei, qui futurus est & filius meus secundum carnem Quia, vt optime Bernard dicit, sermone 47. in Cantica, *Nondum speciem suam ille flos agri induerat & iam dabat odorem suum quando hoc præsensit spiritu sanctus Patriarcha, caligans visu, sed odoratu sagax.* Sensit igitur sanctus Patriarcha suauissimum odorem illius agri pleni gratia, & veritate, pleni benedictione diuina, pleni Spiritu sancto, & donis eius, atque virtutibus. Sensit odorem illius sacri conuiuii, in quo carnem Christi manducamus, & sanguinẽ bibimus, & præsentem habemus in altari: cuius etiam fragrantia Pater æternus mire recreatus, & delectatus mille benedictionibus dulcedinis consolatur nos in quacunque necessitate nostra. Sensit odorẽ vestimentorũ Christi Domini, quibus quasi coopertus est, atque vestitus in Sacramẽto altaris, quæ vestimenta sunt accidẽtia panis, & vini, quæ diuina, atque mirabili virtute operiunt, & cõtinent Christum absconditũ in illo mysterio. Hæc etiã vestimenta dederũt odorẽ suũ, etiam antiquis tẽporibus, ita vt non solus Israël sentiret illorũ fragrantiã, sed etiam ipse Dei Filius, & humanæ naturæ Spõsus diceret Sponsæ in Canticis, *odor vestimentorum*

Gregor.

Genes. 72.

Bernar.

Cant. 4.

*tuorum, sicut odor thuris:* quia in hoc mirabili Sacramento omnia sunt diuina, & cœlestia, & omnia redolent Christum: etiam ipsa accidentia. propter admirabilem virtutem, quam habent exhalant incredibilem suauitatem odoris. Denique sensit S. Isaac odorem illius oblationis, quem verus Iacob, super quem posuit Dominus, non pelliculas hædorum, sed *Iniquitates omnium nostrum* (vt Esaias ait) oblaturus erat in agro Hierusalem, vt omnem maledictionem depelleret ab humano genere, & æternam benedictionem, cœlestem, & abundãtem, illi obtineret sacrificio mortis suæ.

Esai. 53.

Hæc omnia operabatur, priscis illis temporibus, solus odor huius sacratissimæ victimæ, quam Christus in hac mystica Cœna instituit, & illius sacrificij, quod in cruce obtulit pro expiatione omnium peccatorum: sed quando opere, & veritate, hæc à Christo Domino exhibita nobis sunt, tunc etiam exhibuit nobis ardentissimum amorem suum, & extremum, dilectionis suę, qua in finem dilexit nos: tunc eius mira fragrantia, talem dedit Deo Patri suauitatem odoris, quod statim omnino placatus est humano generi, aperuit cœlos, atque cum hominibus ęternam pacem, & inuiolabilis amicitiæ fœdus composuit Propterea Apostol. scribens ad Ephesios, dicit, *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Sic enim dilexit nos Christus Dominus in finem, quando sacratissimũ altaris Sacramentum, & hostiam instituit: & quando semetipsum in cruce obtulit sacrificium vespertinum, vt factus sit Deo Patri pro nobis thymiama pretiosissimum, & diuinissimus odor, atque suauissimus excelso Principi. Propterea in Exodo dicitur, *Thymiama, Sanctũ sanctorũ est.* Quod, vt S. Cyrillus docet, li. 9 de Adoratione in spiritu, &c nõ potest aliud esse, quã Christus Dominus: qui solus ita sanctus est, vt sit omniũ aliorũ sanctificator, & redẽptor qui sancti sunt: ipse thymiama est, mirabiliter compositũ ex diuina, humanaq; natura in personę vnitate per ineffabilẽ gratiã spirit⁹ sancti. Ipse ẽtiã est diuinũ thymiama, quod incõparabili suauitate odoris fragrat ante Deũ: sicut & S. Dionysius dicit, li. de Ecclesiastica Hierar. ca. 4. parte 3. *Scimus autẽ,* inquit, *augustissimũ Jesũ supersubstantialiter*

Ephes. 5.

Exod. 30.
Cyrillus.

Dionysius.

*odoriferum esse.* Quemadmodum ergo compositio thymiamatis, seu vnguenti, collectio quædam est suauiter spirantium materiarum, & habentium in se odoriferas qualitates, sic existimandum est in præsenti mysterio, quod omnes Christi virtutes, & sacratissima opera, ac merita, vniuersi dolores, quos in passione pertulit, & iniuriæ, quas patienter sustinuit, & cętera omnia bona, quæ pro nobis operatus est, concremata in camino ardenti illius summi amoris, quo dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, efficiunt diuinum thymiama suauissimi odoris: quem cum senserit æternus Pater, statim placatus peccata nobis dimittit, & benedictionem confert, & sanctificationem gratię salutaris.

Huius sacri thymiamatis, & vnguenti participatione sancti sunt omnes, qui ab ipso Christo sanctificationem, & vnctionem gratiæ participant, & imitatores sunt illius in omnibus operibus, vel virtutibus, quibus suauissimum illum odorem dedit ipse Deo Patri. Vnde & Paulus dicebat, scribens Corinthijs *Christi bonus odor sumus Deo, &c.* Quia ipse odor Christi, & virtutum eius, communicatur Apostolis, & Sanctis: & in odorem huius vnguenti currunt post Christum, sequentes vestigia eius, in humilitate, in dilectione, in patientia, sicut etiam in Euangelio ipse dicit, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*: non solum in lauandis pedibus alterutrum, & diligendis fratribus, sed etiam in alijs virtutibus, & tota vita Christi, & in passione, ac morte, si opus fuerit, pro eius amore, & gloria. Nam ad hoc vsque peruenit charitas Christi, qui in finē dilexit nos. Ecce ergo quomodo Christus dilexit nos, & manifestauit charitatem suam, non verbis suauissimis tantum, sed admirandis operibus, & pura, ac certa veritate, qua monstrauit incredibilem amorem, quo dilexit nos vsq; ad mortem. Et quidem iste amor tunc ad finē, & perfectionem deductus est, cum in die Paschæ Pascha nostrum immolatus est Christus, & in altari sanctæ crucis oblatus, dedit suauissimum odorem nostræ redemptionis. Sed quid etiam in hac die ad vesperam Paschæ Christus egerit pro nostra dilectione, & salute, & vt exemplum admirandæ humilitatis nobis relinqueret imitandum, audiamus ex sancto Euangelio: quod sic inquit.

2. *Cor.* 10.

*Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Pascha vocat non solum illud legale, in quo, iuxta ritum legis Mosaicæ, agnum cum Dicipulis manducauit: sed etiam Pascha nostrum, in quo ipse Dominus corporis, & sanguinis sui ordinauit Sacramentum, vt (sicut S. Leo dicit, ser. 7. de Passione) *Ouem figuratiuam ouis vera remoueret, & vno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum vt vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur.* Propterea autem vocat Pascha, & festum, quia ex ardentissimo desiderio salutis nostræ, & ex infinita charitate, qua dilexit nos, immolaturus erat seipsum, & daturus in Sacramento hostiæ salutaris, & postmodum in altari crucis, vbi consummandum erat holocaustum totius redemptionis humanæ, & immolandum Pascha, non agni legalis, sed ipsius Christi, de quo Paulus dicit? *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Quanto autem desiderio, & quam ardenti siti salutis nostræ, quam ingenti gaudio, & alacritate, Christus seipsum traderet pro nobis hostiam in Sacramento altaris, & immolandum in cruce, ipse significauit per sanctos Euangelistas. Dicit enim in Euangelio Lucæ, *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Et in Euangelio Marci, *Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum Discipulis meis manducem?* Quibus verbis aperte manifestat Christus Dominus, quam multiplici desiderio desiderauerit instituere hoc nouum Pascha sui corporis, & sanguinis in Sacramento, quod nobis sumendum reliquit. Ideo enim illud vocat, refectionem suam, quia propter nimiam charitatem, qua diligebat nos quasi refectionem suam iudicabat, & animi refrigerium, & recreationem, tribuere nobis seipsum in illo Sacramento, & postea morti se tradere propter delicta nostra, & per mortem transire de hoc mundo ad Patrem.

Leo. | 1. Cor. 5. | Luc. 22. | Marc. 14.

Deinde etiam Pascha vocat, & festum, & *Horam suam:* quia in illa hora transiturus erat ex hoc mundo ad Patrem, hoc est, ad gloriam, & immortalitatem sui

corporis, quam per passionem, & crucem sibi promeruit. Hoc enim significat ille transitus, videlicet mutationem quandam in me liorem, ac perfectiorem statum, & innouationem futuræ gloriæ. Sic docet Hieronym. libro 14. Commentariorum super Esai. capite 51. & sic intelligit illud Matth. 24. *Cælum, & terra, transibunt.* Ibi enim *Transitus*, non interitum sonat, sed mutationem in melius, & renouationem: ita vt merito in Apocalypsi dicatur, *Cælum nouum, & terra noua.* Quod etiam de Christo Domino non inconuenienter dicere possumus, quod per passionem, & mortem, transiuit ex hoc mundo ad Patrem, hoc est, à statu mortalitatis in meliorem, ac nouum statum immortalitatis, & gloriæ. In quo transitu cœlum, & terra, renouata sunt, & transierunt, & facta sunt noua. Nam in Christo ante mortem, cœlum, hoc est, anima, secundum quod informabat corpus passibile, tristabatur, timebat, dolebat. Terra etiam, hoc est, caro sanctissima, patiebatur, esuriebat, sitiebat, flagellabatur, & fundebat sanguinem. At in illa hora passionis suæ Christus Dominus sic transiuit ex hoc mundo ad Patrem, & de morte ad vitam nouam, & immortalem, quod neque anima sanctissima sentire potuit amplius tristitias, aut dolores, neque caro eius iam gloriosa pati quidquam molestiæ huius vitæ corruptibilis. Vnde post Resurrectionem suam dixit ipse Christus Apostolis, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* hoc est, in anima, & corpore. Priusquam enim moreretur, & transiret noster Iesus, mors illi quodammodo dominabatur, & potestatem habebat in eum tristitia, & dolores, & alij huius vitæ mortalis defectus, quos ipse voluntarie assumpsit, & quia voluit, passus est. Potestatem habebant in eum Iudæi persequentes, & milites crucifigentes, & impijssimus Iudex, qui ausus est ei dicere, *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te. &c?* At, vbi transiuit ex hoc mundo ad Patrem, data est illi omnis potestas in cœlo, & in terra: quia anima eius, & caro, liberata est à seruitute corruptionis, & mortalitatis, & translata in omnimodam libertatem gloriæ, & immortalitatis perpetuæ.

*Hieronym.* *Matth. 24.* *Apoc. 21.* *Matth. 28.* *Ioan. 18.*

ipse quasi nesciens dissimulat peccata illorum, aut propter pœnitentiam, aut (quod dolendum est) vt accipiant maius iudicium, qui tam indigne accedentes, & toties, *Iudicium sibi manducant, & bibunt*, sicut Apostolus ad Corinthios scribit. Et bene profecto dicitur hic subcineritius panis, qui non reuersatur: quia veniet dies iræ, & iudicij, quando idem ipse panis subcineritius reuersabitur, & *Deuoluetur* (sicut dicitur Iudicum 7.) in castra Madian, & *percutiet illa, atque subuertet*: eritque impijs, ac reprobis tunc non panis, sed gladius Domini, qui deuorabit carnes, & animas eorum. *Ad hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est* (ait Augustinus lib. 50. Homiliarum, Homil. 50.) *multi scelerati possunt accedere, quoniam Deus commendat in hoc sæculo patientiam suam, vt in futuro exerceat seueritatem suam. Ad illud autem altare, quo præcursor pro nobis introiuit Iesus, nullus eorum accedere poterit, de quibus dixit Apostolus ad Galatas, Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur. Hæc ergo cogitantes, fratres charissimi*, ait idem Augustinus, serm. 250. *tam casti, & tam sobrij, & tam pacifici ad istud altare, Deo auxiliante, studeamus accedere, vt ab illo æterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad istud altare casto corpore, & mundo corde, cũ munda, & secura conscientia venit ad illud altare, quod in cælis est, fælici transmigratione perueniet.* Hæc Aug. *Beati qui manducabunt hunc panem in Regno Dei* (vt S. Lucas dicit) vbi iam non subcineritius erit, sed reuersatus ostendet se omnibus in maiestate, & gloria, sicut est. Tunc neq; alieni; neq; inimici comedent panem eius, aut bibent vinum eius, sed tantum sui, & filij, & amici, comedent, & bibent super mensam eius in Regno suo. Sic enim iurauit Christo diuinus Pater per Esaiam, *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: & si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti.* Quem locum posse intelligi de Sacramento corporis, & sanguinis Christi, D. Hieron. docet ibidem, l. 17. Commentar. in Esai.

1. Cor. 11.

Iudic. 7.

August.

Galat. 5.

Luc. 14.

Esai. 62.

Hieronym.

*Et Cæna facta, cũ diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Ischariotes: sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à Cæna, & ponit vestimẽta sua. Et cum accepisset linteum*

*præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Bene profectò dicitur surrexisse à cœna illa veteris testamenti, qui surrexit ad opus altissimæ charitatis, & nouæ, atque hactenus inauditæ dilectionis, simulque ad opus humilitatis profundissimæ, & in quo nihil minus exinaniuit seipsum, quam cum humiliauit se vsque ad mortem crucis. Quæ enim maior, ac profundior humilitas esse potuit, quam quod Dei Filius, & *Cui omnia dedit Pater in manus*, & de quo scriptum est, *In*
Psalm. 94. *manu eius sunt omnes fines terræ*, eisdem sacratissimis manibus formam, & habitum serui accipiens, prosterneret se ad lauandos pedes seruorum suorum, & extergendos linteo, quo erat præcinctus? Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile in operibus hominum? Nisi Christus Dominus hoc maximum humilitatis opus suis manibus exhibuisset, vt nobis hoc exemplum imitandum relinqueret, incredibile prorsus apud homines visum fuisset Sed, vt S. Lucas dicit, *Cœpit Iesus facere, & docere:* & idcircò S. Ioannes in Euangelio di-
Actor. 1. cit etiã de Christo Domino; *Cœpit lauare pedes Discipulorũ, & extergere linteo:* quia ipse, qui cœpit in nobis omne op⁹ bonũ, cœpit per seipsum exercere hoc opus tãtæ humilitatis, quod à sæculo non erat auditũ, quousque ab ipso Christo exibitum est pro nostra exhortatione, & exemplo, & salute. Nec minùs exinaniuit se, & humiliauit Christus Dominus, cùm instituit in hac Cœna Sacramẽtum corporis, & sanguinis sui, & eisdem sanctis manibus, quibus lauerat pedes Discipulorum, dedit eis seipsum, abscõditum sub specierum vilium, & terrenarum velamine, vt manducarent carnem eius, & sanguinem biberent. Quod profectò humilitatis summæ indicium fuit, & in qua adhuc magis sese Christus humiliauit, quàm cum formam serui accepit in similitudinem hominum factus. Surrexit etiam à Cœna, vt ostenderet nobis opus excellentissimæ charitatis suæ qua in finem dilexit nos quibus non solum pedes lauit, sed etiam semetipsum tradidit manducandum in Sacramento, quod instituit. Si enim maior largitas, & dilectio apud homines esse non potest, quam cum quis tribuit alteri seipsum: qualis, obsecro, & quanta erit

erit largitas, & dilectio; per quam Christus Iesus, Deus, & homo, vt pote *Qui à Deo exiuit, & ad Deum vadit*, semetipsum tribuit fidelibus in Sacramento corporis, & sanguinis sui, vt comedant illud, & bibant, non vna die tantum, sed vsque ad consummationem sæculi? *Nam Christiani* (vt Origenes dicit, Homil. 10. in Genes.) *omni die carnes agni comedunt, quia carnes Verbi Dei quotidie sumunt.* Imo vero, & quando pedes Discipulorum lauit (sicut S. Clemens docet, libro 3. de Const. Apost. capite 19.) *Hoc faciens, non sermone, sed opere, demonstrabat nobis fraterni amoris charitatem, vt nos quoque inter nos idem faceremus*, exemplum Domini, & Magistri nostri imitantes. *Origenes.* *Clemens.*

*Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus, Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.* Hoc loco Diuus Petrus ostendit se imitatorem humilitatis, & dilectionis Christi Magistri sui. Nam ex humilitate cœpit expauescere, cœpit formidare, & recusare, vt sibi pedes lauarentur à Domino, inquiens, *Domine, tu mihi lauas pedes? His manibus* (ait Chrysostomus. Homil. 69. in Ioannem) *quibus oculos aperuisti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti? Habet enim hæc particula magnam significationem, quare non oportuit, aliud dicere, quam tu: quod per se verbum sufficiens fuit, quo omnia demonstrantur.* Sed hoc, quod ex humilitate, & reuerentia ad Christum, hoc loco Petrus agere conabatur, ad maius cumulum cessit dignitatis, & meriti: quemadmodum, quando dicebat Christo, *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine:* propter illam humilitatem assumptus est in Apostolum, & piscatorem hominum: si quanto magis recusat lauari sibi pedes à Domino, tanto magis ipse Dominus instat, atque contendit lauare pedes illius, & honorare illum, qui hunc honorem recusat. Videtur profecto contigisse Diuo Petro id, quod Salomon consulit in Ecclesiastico, *Aduocatus à potentiori, discede, ex hoc enim magis te aduocabit.* Nam vocatus, & *Chrysost.* *Luca. 5.* *Eccle. 13.*

prouocatus ab omnipotenti Domino, & conanti lauare pedes eius, ille recedebat, & recusabat beneficium ex humilitate, & reuerentia: sed ex hoc magis illum prouocabat ipse Dominus, inquiens, *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Et cum adhuc Petrus magis repugnaret, inquiens, *Non lauabis mihi pedes in æternum,* Christus magis eum incitabat, & prouocabat, inquiens, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* De Christo dicitur in Euangelio, quod *A Deo exiuit, & ad Deum vadit:* quia per humilitatem exiuit, quando exinaniuit se, & *Humiliauit vsque ad mortem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* quando ad Patrem vadens, reuersus est cum summa gloria ad dexteram illius. Quia vt egregie Bernard. dicit, sermone 2. de Ascensione Domini, *Sola est humilitas, quæ exaltat: sola quæ ducit ad vitam. Christus enim, cum per naturam diuinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est, per descensum, quomodo cresceret, inuenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum. Propter quod Deus exaltauit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei.* Sic etiam viri sancti, & imitatores Christi, quanto magis exeunt à Deo per humilitatem, & despectum, sui, tanto magis ad eum vadunt, & reuertuntur: quoniam scriptum est, *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Deus enim, qui vera gloria est, hunc virum humilem, multo magis ad se suscipit, & honorat, atq; exaltat atque adeo fugiens à Deo ex humilitate, multo perfectius venit ad ipsum, & ab eo exaltatur: & vt D. Gregor. docet, lib. 18. Moral. c. 20. *Tanto vnaquæque anima, pretiosior fit in conspectu Dei, quanto pro amore eius despectior fit ante oculos suos.* Vnde & ad Saulem dictum est, *Cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es.* Denique quemadmodum flumina exeunt de mari magno, & ad illud reuertuntur cum maiori aquarum copia, & abundantiori, quam exierant: ita viri sancti, & humiles corde à Deo exeunt per humilitatem, & quasi flumina deorsum fluunt, sed cum maiori abundantia meritorum, & virtutum, redeunt ad ipsum Deum, quasi ad suum mare infinitæ sanctitatis, atque bonitatis. Væ illis, qui non in spiritu humilitatis, sed aut desperationis

Philip. 2.

Prouer. 29.

Gregor.

1. Reg. 15.

aut superbiæ, aut alio sathanico spiritu exeunt à Deo, & amplius ad eum non reuertuntur, sicut Cain in spiritu desperationis exiuit à facie Dei, & Iudas in spiritu proditionis, *Cum accepisset buccellam, exiuit continuo*: qui tamen ad Deum non sunt reuersi. *Genes. 4.*

Non solam humilitatem ostendit Diuus Petrus, sed maximam dilectionem, atque timorem, qui cum audisset à Christo, *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, statim amore, & timore perturbatus, vt August. dicit, tract. 56. in Ioannem, & *Plus expauescens, Christum sibi negari, quam vsque ad suos pedes humiliari, respondit Christo, Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.* Quasi diceret, *Ne mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem.* Hæc ex Augustino. Nam viris sanctis, & qui semel gustauerunt bonum, & suaue Dei verbum, nihil potest esse maius malum, aut magis amarum, quam à Christo deseri, & separari. *Quis* (ait Paulus) *nos separabit à charitate Christi? &c.* Et Augustinus in soliloquiis, capite 5. *Quid est separari a Verbo? Si hoc queris scire, audi quid est Verbum. Verbum Dei dicit, Ego sum via veritas, & vita. Separari ergo à Verbo, est, esse sine via, sine veritate, sine vita: & ideo sine ipso nihil, & ideo malum, quia separatur à Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari autem à Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est, quam deficere, & à facto transire in defectum, quia sine ipso est nihil.* Sed quoniam hæc postrema Euangelij verba, quæ responsionem D. Petri ad Christum continent, in sequenti Concione sunt diffusius tractanda, hæc dixisse sufficiat ad laudem, & gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, &c.

*August.*

*Rom. 8.*

*August.*

## DE EODEM MYSTERIO. CONCIO III.

*Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.* IOAN. 13.

AVdiuimus lectionem sancti Euangelij, quod ab vniuersa Ecclesia, idque merito, vocatur *Mandatum Christi Domini* Et contingit nobis hodierna die, id quod olim contigit Moysi, Exodi 24. quod etiam refert Apostolus, ad Hebræos 9. Vbi sic dicitur. *Lecto omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hyrcorum cum aqua, & lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens, Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Hoc enim, quod à Moyse olim gestum est, præludium fuit, & figura eius, quod hodie agitur in sancta Ecclesia, lecto mandato nouo Domini nostri Iesu Christi: quoniam ille sanguis animalium veteris testamenti, præludium quoddam, & figura fuit passionis, & sanguinis Iesu Christi, & illius sanguinis noui testamenti, quod habemus in sacratissimo altaris Sacramento: de quo ipse Christus dixit in Euangelio, *Hic est sanguis noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Aquam vero habemus in illa aqua quam Christus misit in peluim, & suis manibus accepit, vt lauaret pedes Discipulorum, pronus, & procumbens ante illos. Lanam coccineam habemus in illa ardentissima charitate Christi, & summa dilectione, qua dilexit nos, & tradidit nobis carnem suam, & sanguinem, hodierna die in Sacramento, & in Cœna, & altera die abundantius in passione, & morte, propter nostram salutem, & propter nimiam charitatem, qua dilexit nos. Hyssopum habemus in illa profundissima humilitate, quam docuit nos verbo, & exemplo, Christus Dominus & Magister, in hac humili lotione pedum Discipulorum, & toto tempore vitæ suæ, quo voluit humiliare se ipsum vsque ad mortem.

*Exod. 24. Hebr. 9.*

*Matth. 26.*

Ex his omnibus facturi sumus hodierna die fasciculū hyssopi, lecto iam sacro, & nouo Christi Mandato, vt aspergamus librum sancti Euangelij, atque etiam populum, prædicantes, & explanantes hodiernæ solemnitatis Euangelium. Quod quidem nihil aliud erit, quam minutissimis guttis huius mysterij & librum, & populum respergere. & (vt verbis vtar S. Iob) *Vix paruam stillam sermonis eius audiemus*. Nam immensitatem cœlestium secretorum, quæ in mysterio huius diei abscondita sunt, abundantius penetrare, & plenius intueri non est huius nostri temporis, in quo doctrina Domini descendit ad nos, *Quasi stilla super herbam*, vt S. Moyses dicit, sed futuro sæculo reseruatur, vbi perfecte complebitur, quod Christus dixit Petro in hoc Euangelio, *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Quasi igitur aspergendo has guttas Euangelicæ doctrinæ minutissimas, prædicamus in hoc sacro Mandato profundissimam humilitatem Christi, qua Filius Dei, qui *à Deo exiuit* per generationem æternam, Patri coæternam, & *cui omnia dedit Pater in manus*, tanquam sibi coæquali, cum esset omnium Dominus, & Magister, & sanctus sanctorum, humiliauit se, vsque ad lauandos sordidos pedes Discipulorum, & extergendos linteo, quo erat præcinctus, vt hoc ministerio tantæ humilitatis & illos omnino mundos efficeret, & omnibus admirabile hoc humilitatis exemplum relinqueret. Nam, sicut D. Augustinus dicit super Psal. 92. non ad sacramentum tantum mundationis pertinebat, quod lauit pedes Discipulorum, sed ad exemplum humilitatis, de quo postea eos admonuit in ipso Euangelio, inquiens, *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Prædicamus etiam ineffabilem Christi Domini charitatem, & dilectionē, qua instituit diuinissimum sui corporis, & sanguinis Sacramentum, & in altari Eccle. sumendum, omnibus fidelibus dereliquit vsq; in finē sæculi, quos etiam hoc pacto in finem dilexit. Prædicamus etiam *Obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi* (sic enim eam vocat D. Petrus) in memoriam, & recordationem passionis eius & illius sanguinis, quē effudit in ea abunde propter nostram salutem. Sic dicebat Paulus ad Heb. *Accessistis ad*

*Iob. 26.* — *Deut. 32.* — *August.* — *1. Petr. 1.* — *Hebr. 12.*

*sanguinis aspersionem, melius loquentem, quam Abel.* Et vniuersi fideles accedunt hodie ad hanc sanguinis aspersionem, quæ fit in Ecclesia, cum legitur, & prædicatur sanctum Christi Mandatum: cuius aspersionis sanguis melius clamat, quam Abel, quia (vt Greg. dicit lib. 13. Mora. cap. 3. & D. Thom. lect. 4. in illa verba (*Sanguis Abel vindictam, & mortem fratricidæ petebat, sanguis autem Christi Domini, vitam, & misericordiam, & remissionem peccatorum, etiam persequutoribus postulabat, & impetrabat.* Hoc igitur hyssopo sancta Mater Ecclesia, hodierna die in concionibus, quæ de Mandato Christi habentur, aspergit fidelem populum aqua, & sanguine, vt hac spirituali aspersione sit műdus totus à capite vsque ad pedes (vt aiunt) quemadmodum Dauid olim dixerat: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor* Quæ verba tractans D. Hilarius in Commentariis super Psal. 53. dicit quod Dauid in spiritu vidit futuram aspersionem sanguinis Iesu Christi, quo mundandus erat homo à peccato suo, & lauandus ab iniquitate sua Quis ergo erit fidelis homo, qui isto hyssopo, aquæ & sanguinis aspersus, & videns humilitatem Christi lauantis pedes seruorũ suorum, non fiat humilis corde, & mundus ab omni sorde vanitatis, atque superbiæ? Videns etiam immensam Christi largitatem, & charitatem in hac Cœna noui testamenti, in qua dedit Apostolis, & fidelibus, carnem suam in cibũ, & sanguinem in potum, non ardeat igne charitatis, & dilectionis in Deũ, & proximos, daturus pro eis, si opus sit, animam suam, & sanguinem? Videns tandem diuinum sanguinem, quem Christus in passione effudit, nõ paruas guttas, aut stillas tantum, in oratione, in qua *factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrẽtis in terram,* vt S. Lucas dicit, sed copiosissimè quasi torrentem sanguinis, & velut aquam in circuitu Hierusalem propter delẽda omnia peccata humani generis, non detestetur peccata, corrigat vitam & animam purificet, vt euadat totus mundus, capite, manibus, ac pedibus, ita vt dicat Christo; *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.*

Gregor. D. I hom.

Psal. 50. Hilarius.

Luca 22.

Obseruandum vero nobis est, quod quãuis Christus Dominus in hac pedum ablutione, tantum lauare intẽderit, pedes Discipulorum, qui iam mundi, & sancti

erant, vno dumtaxat Iuda excepto, & quemadmodum ipse Saluator in Euangelio dicit; *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*: quare sicut Cyrillus dixit lib. 4. de Adoratione in spiritu, &c. *Sācti viri, exigua admodum purgatione egent*: nihilominus S. Petrus, tanquam futurus Ecclesiæ summus Pastor, non solum obtulit lauandos pedes Christo, sed & manus, & caput, inquiens, tam nomine suo, quam totius Ecclesię: *Domine non tantum pedes meos, sed et manus, et caput*. Primo quidem, nomine suo, quia cum instituendus esset totius Ecclesiæ Pastor, necesse erat, vt capite, & manibus, ac pedibus, mundus, & sanctus esset. Vnde de Summo Sacerdote tria dicuntur in Leuit. quæ huic doctrinæ maximè conueniunt. Primum, quod summus Sacerdos *caput non discooperiet*: secundum, quod *consecratas habet manus*, siue, vt alia litera habet, *consummatas*: tertium denique, *quod ad omnem mortuum non ingredietur, et de sanctis non exibit*. Ecce ergo summum Pontificem capite, & manibus, ac pedibus, mundum, & sanctum. Capite quidem, in quo est prudentia ad gubernandum populum, scientia ad docendum, os ad loquendum doctrinam sanam, & consonam fidei Catholicæ, absque vllo errore, & peccato capitis. Nam vt Origenes docet, Homil. 8. super Leuit. *Capitis peccatum est, aliter, quam fides Ecclesiæ continet, de diuinis sentire dogmatibus*. Manibus vero, quia puras, & consecratas, atque consummatas, habere debet, ita vt opera illius non solum bona, sed & perfecta sint charitate in Deum, & misericordia, atque eleemosynarum largitate in proximos, sicut & S. Iob dicebat: *Si in manibus meis adhæsit macula*: quia opera eius absque peccati sorde, & pura coram oculis Dei erant, & ad misericordias pauperum plena, & consummata. Denique pedibus, quia conuersatione, & exemplo mūdus, & sanctus debet esse magnus sacerdos, ita ad omne peccatum non ingrediatur, nec moueat, pedes suos, nec de sanctis operibus, atque exemplis vnquā exeat, sed dicat cum Dauid; *Ab omni via mala prohibui pedes meos*, & cum Sanct. Iob, *Si ambulaui in vanitate, et festinauit in dolo pes meus*: *si declinauit gressus meus de via*. Profecto qui magnus sacerdos, & Pontifex est, tam purus, tam sine macula, & irreprehensibilis omni ex parte

Cyrillus. Leuit. 21. Origenes. Iob 31. Psalm. 118. Iob 31.

Dionysius. esse debet, vt verissimum sit, quod S. Dionysius dixit libr. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. his aureis verbis; *Vt enim qui sacerdocium dixit, sacrorum simul omnium vno vocabulo signauit ordinem: ita & qui sacerdotem, aut Pontificem dicit, augustiorem, prorsusque diuinum, insinuat virum, totius sanctæ scientiæ peritissimum, in quo liquido, ac perspicue sacratus omnis ordo suus & perspectus sit, & possit agnosci.* Quæ verba sunt maximè ponderanda.

Deinde secundo, nomine totius Ecclesiæ S. Petrus obtulit Christo lauandos pedes, & manus, & caput: quia quamuis Ecclesia, sancta sit, propterea, quod plures habet Sanctos, & leges eius, & cæremoniæ, atque Sacramenta, sancta sunt, & macula non est in eis: tamen ex ea parte, qua admixtos habet malos, & peccatores, ita denigrata est, ac sordidata, vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis lauari indigeat à Christo, & mundari.

Esai. 1. *Omne caput languidum* (dixit Esaias de populo suo) *& omne cor mærens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Quæ verba si referamus ad diuersos status, & gradus, qui sunt in Republica Christiana, caput est status sacerdotalis, & Ecclesiasticus: in quo residere debet sensus, & prudentia, atque sapientia, grauitas morum, & lux sanctæ doctrinæ: & sicut Esaias dicit;

Esai. 9. *Longæuus, & honorabilis, ipse est caput.* Longæuum vocat, siue seniorem, eum, qui canos habet spirituales, & discretionis plenos, simul cum vita immaculata. Honorabilem autem, qui propter egregia virtutum opera, & exempla, venerari ab omnibus, & honorari dignus

Amos. 6. est. Tales sunt sancti Pontifices, & Sacerdotes, & alij præcipui ministri status Ecclesiastici, *Optimates, & capita populorum*, sicut dicit Amos Propheta. Quorum munus est, influere in cætera membra huius corporis mystici Ecclesiæ, spirituales influentias doctrinæ sanæ, & sanctorum exemplorum. Hoc autem caput, quam languidum sit his temporibus, quam infirmum, quantum ægrotet, ac doleat, plus in nostra experientia videmus, quam in aliqua librorũ historia legimus: quod sanè non modicum lugendum est, atque dolendum. Cor autem, quod quasi præcipuum est in corpore, & omnes eius potentias ad exercendas suas operationes mouet, est Rex, aut Princeps, aut gubernator quican-

que ſtatus ſæcularis, ad quem attinet mouere cœteros inferiores populi ad bona opera, & vtilia Reipub. quoſdam, quaſi manus, ad opera eleemoſynarum, & pietatis in pauperes, & vt abſtineant ab immoderato ludo, à rapina, & furto, & à multis aliis, quæ diuinis, & humanis legibus ſunt prohibita: alios vero de media plebe, & infimos, quaſi pedes, ne ad malum currant, & ne ex ſuperbia, aut vanitate, velint eſſe manus, aut capita, atque hac de cauſa ſeditiones excitent in Republica. Quale autem ſit iſtud cor in Republica, quam mærens, quam triſte, quam debile ad omne, quod ſtudioſum, & iuſtum eſt, & conſonum diuinis legibus, ipſe tam miſer Reipublicæ ſtatus ſatis apertè indicat, qui aut mœſtiſſimum cor, aut certè nullum habere videtur, peccatis ſuis id exigentibus, ſicut deplorabat Hieremias, inquiens; *Væ nobis, quia peccauimus, propterea mæſtum factum eſt in dolore cor noſtrum*: aut ſicut antea prædixerat; *Erit in die illa, dicit Dominus, peribit cor Regis, & cor Principum.* Si enim conſideres manus Reip. cuiuſmodi ſunt diuites, potentes, mercatores, & alij id genus homines, videbis has manus, ſteriles quidem, & contractas ad erogandam eleemoſynam pauperibus, ad ſubueniendum pupillis, ad defendendas viduas, & orphanos; extenſas vero ad furta, ad vſuras, ad ludos lege prohibitos, ad effundendum ſanguinem innoxium, & ad plura alia vitiorum genera, ita vt poſſis dicere cum Eſai. *Manus veſtræ, ſanguine plenæ ſunt.* Quas manus D. Gregor. Nyſſen. non Apoſtolicas, & Chriſtianas, ſed manus Iudæ miſerabilis appellat, Homil. 14. in Can. Similiter pedes ſi videas, quorum greſſus ad opera virtutum dirigendi erant ab eo, qui cor populi eſt, videbis adimpletum, quod S. Dauid prædixerat; *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: contritio, & infælicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerũt* Sunt enim ad omnia opera vitiorum expediti, & liberi: ad vias autem iuſtitiæ, & pacis, impediti, & tardi, & quaſi compedibus aggrauati, ſuperbi, & rectum Reip. ordinem peruertere conantes: cum enim ſint pedes, manus eſſe volunt, aut capita, vt monſtruoſam efficiant Rempublicam, atque deformem. Propterea Chriſtiana Reſp. petit à Domino cum Dauid; *Non*

*Thren. 5.*

*Hierem. 4.*

*Eſai. 1.*

*Nyſſenus.*

*Pſalm. 13.*

*Pſalm. 35.*

*veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Optat enim liberari ab hac misera confusione, & perturbatione status sui, per quam pedes affectant esse manus Reip. manus vero iniustis operibus, aut illicitis muneribus ambiunt esse capita populorum, ita vt sicut Paulus dicit: *Sit schisma in corpore.* (1. Cor. 12.) Quæ peruersitas, & inordinata confusio multas Resp. perdidit, ita vt stare, & permanere non potuerint, non solum: quia huiusmodi inordinata *Discordia res maxima dilabuntur*, vt Salustius dixit, (Salustius.) sed etiam, quia ipse Deus propter multa eorum scelera ciuitates eorum destruit, quoniam scriptum est: (Psal. 27.) *Secundum opera manuum eorum tribue illis, quoniam non intellexerunt opera Domini: & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos.* Sic enim legimus, plures, & insignes Respublicas, destructas esse à Domino, sicut Hierosolymitanam, & alias, quas longum esset referre.

Rectè ergo postulat à Christo Domino S. Petrus, *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput*: Quasi diceret. Laua, Domine, & munda, caput Reip. Christianæ, Pontifices, Doctores, & Sacerdotes Ecclesiæ, vt puri, & sancti sint, & ab eorum mũditia deriuetur puritas in cætera omnia membra populi Christiani. Nisi enim ipsi puri, & sancti sint, populus à sordibus mundus esse non potest, quia sicut Salomon inquit: (Eccles. 34.) *Ab immundo quis mundabitur?* Propterea bene admonet Gregorius (Gregor.) in Pastoral. part. 2. cap. 2. *Rector semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc malitia polluat, qui hoc suscepit officij, vt in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat.* Vnde per Esaiam dicitur, (Esai. 52.) *Mundamini, qui fertis vasa Domini*: quia maxima munditia, & puritate nitere debent, quorum munus est electorum animas, quasi sacra Domini vasa ad æternitatis sacrarium sua doctrina, & sanctitatis exemplo deportare. Neque solum caput, sed etiam cor Christiani populi mundandum est, sicut Hierem. præcipit: (Hiere. 4.) *Laua à malitia cor tuum, Hierusalem, vt salua fias*: & sicut Dauid Rex, & Princeps Israel postulabat à Domino: (Psalm. 50.) *Cor mundum crea in me Deus.* Si enim cor Regis, aut

Principum eius, ita fuerit in manu Domini, vt mundum & sanctum, sit, tunc manus Christiani populi similiter erunt mundæ à sanguine vitiorum, & bonis operibus, atque eleemosynis vacabũt. Pedes etiam, & infima turba Reipub. munditiam habebunt, bonas facient vias suas, in humilitate, & pace, & iustitia ambulabunt &, vt Paulus admonet, *Gressus rectos facient pedibus suis.* Væ terræ, cuius Rex, & Principes, induratum sordibus vitiorum habuerint cor, quale fuit cor Pharaonis, & principum eius. Nam consequenter & manus peruersis operationibus, & immunditiis plænæ erunt: pedes vero tales, quales illi, de quibus Salomon inquit, *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.* De corde enim immundo, & indurato, hæc, & alia huiusmodi mala procedant necesse est. **Hebr. 12.** **Prouer. 2.**

Hæc ablutio, atque munditia capitis, & cordis, simul cum manibus, ac pedibus, non solum in Repub. Christiana: sed etiã in vnoquoq; nostrum necessaria est quẽadmodum & in Discipulis Domini fuit, propter aliam causam, & ob alium finem, nempe, vt cum debita mũditia, & sanctificatione accedamus ad sacrosanctum altare Domini, in quo agnus sine macula, & Pascha nostrum Christus Dominus immolandus, & in Sacramento mirabili à nobis sumendus est: de cuius sumptione multo ante prædixerat Moyses, *Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis.* Catholica fides docet, in Concilio Tridentino, sess. 13. ca 2 & D. Thomas multo ante docuerat, atque explicauerat 3. p. quęst. 76. art. 1. & 2 quod in hoc diuino, & mirabili Sacramento, totus Christus, & integer, cõtinetur sub vtraq; specie, & totum, atque integrum manducamus in mensa altaris, siue, vt verba sacræ Scripturæ proposita dicunr, *Voramus*: quia neque argumentis masticamus, neque rationibus comminuimus veritatem, & integritatem huius Sacramenti discutientes, & examinantes illam: sed sicut ab Ecclesia nobis proponitur, firmiter credimus & quasi glutientes, quod non comedimus, Christum, quem nec corporis oculis videmus, neque aliquo gustu sensus percipimus. At reuerà manducamus Deum, & hominem Iesum Christum, Nam Deum **Exod. 12.** **Concil. Trid.** **D. Thom.**

1. Cor. 11. manducamus qui est caput Christi, sicut Apostolus dicit ad Corinth, *Caput Christi Deus.* Pedes etiam hoc est, carnem sacratissimam (vt Greg. Nazianzen. insinuat,
Nazian. Oratione 42.) comedimus, & animam ipsius, & cor: quæ sunt velut intestina, & viscera Iesu Christi, huius agni plane diuini, & immaculati. Hæc omnia sacramentaliter manducamus in Christo. Sed etiam, si ad spirituales fructus, & mirabiles effectus huius Sacramenti hæc referamus, voluit Christus Dominus, vt vniuersi fideles, qui ad sumendum ipsum in Sacramento altaris accederent, comedant, siue deuorent ex ip-
Cyrillus. so, caput, & intestina, & pedes. Eleganter profecto docet Cyrillus, lib. 17. de Adoratione in spiritu, &c. quod opoteat, eum, qui iam Christi particeps effectus est per sancti corporis, & sanguinis eius sumptionem, etiam mentem ipsius præseferre, interioresque eius actiones imitari. Nam caput Christi, mentem, & sensum eius significat: pedes vero, incessus ipsius: intestina vero, interiora, & occultiora eius. Mens autem, & sensus Christi in hac vita fuit, ea solum curare, quæ ad Patris gloriam attinent, illi soli placere, & eius facere voluntatem. Vnde in Euangelio Ioannis, dicebat
Ioan. 6. & 8. Christus, *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meã sed voluntatem eius, qui misit me.* Et iterum, *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Qui ergo in istis conformes sũt Christo, caput, & mentem eius comedunt, sicut Pau-
1. Cor. 2. lus de se, & aliis Apostolis, scribit ad Corinth. *Nos autẽ sensum Christi habemus.* Studebant enim Apostoli, conformes esse Christo in quærenda Dei gloria, & perficienda eius voluntate, non quærentes hominibus pla-
2. Cor. 5. cere, sed soli Deo: sicut paulus ad Corinth. scribit, *Cõtendimus, siue præsentes, siue absentes, placere illi.* Et ad
Galat. 1. Galatas, *An, quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.*

Intestina huius agni, qui Christus est, sunt illa *viscera* pietatis, & charitatis intimæ, *& misericordiæ Dei no-*
Luc. 1. *stri, in quibus* (sicut S. Lucas ait) *visitauit nos oriens ex alto:* & in quibus ita semetipsum exinaniuit, & humiliauit, vt pedes Discipulorum lauare dedignatus non sit: & in quibus ita nos dilexit in finem, vt in Cœna noui testamenti carnem suam in cibum, & sanguinem suum

in potum, sumendũ nobis reliquerit. Hæc viscera Christi comedit, qui singulari compassione, & pietate afficitur ad necessitates proximorum & pauperum, siue illæ spirituales sint, siue corporales. Cuiusmodi viscera comederat D. Paulus, quando ad Philipp. scripsit, *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Ecce habebat intra se Paulus viscera Iesu Christi, in quibus tam tenere amabat fratres, & cupiebat omnes, participes esse ipsius Christi. Nam qui vident proximorum suorum tot, ac tantas necessitates animę, & corporis, quantas vix explicare quis poterit, & nullo pietatis affectu mouentur, nulla cordis conpassione, nullis visceribus charitatis compatiuntur: hi profecto non comedunt cor, & viscera Iesu Christi. Ait enim S. Ioãnes, *Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas* Dei *manet in illo?* Quasi diceret, Quomodo iste comedit cor, & viscera charitatis Iesu Christi & in seipso intus apud se retinet? Nam qui erga proximorum necessitates pius, ac benignus non est, sed durus, & crudelis, hic viscera Christi non habet, sed viscera impietatis: de quibus per Salomonem dicitur, *Viscera impiorum crudelia.*

*Philip. 1.* *1. Ioan. 3.* *Prouer. 12.*

Denique Christi pedes spiritualiter comedere est, in omnibus sequi eius vestigia per omnia virtutum genera, quemadmodum ipse Christus in Euangelio dicit, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Et vt Chrysostomus dicit, Hom. 59. super Ioannem, *Hæc lex non tantum in lauandis pedibus scribitur, sed in omnibus aliis, quæ nobis proposuit imitanda, videlicet in humilitate, obedientia, patientia, & charitate, in laboribus, & cruce, vsque ad mortem, si opus fuerit, pro ipso subeundã.* Vnde D. Petrus dicit, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, &c.* Et S. Iob dicebat, *Vestigia eius sequutus est pes meus: viam eius custodiui. & non declinaui ex ea.* Vbi D. Gregor. lib. 16. Mora. c. 16. docet, quod tunc sequimur Christi vestigia, & gressus, quãdo imitamur eius humilitatẽ, mansuetudinẽ, paupertatẽ, patientiã, & charitatem cæterasque virtutes, & exempla, quæ nobis quasi quædam vestigia impressa reliquit, vt eisdem gressibus incederemus &

*Chrysost.* *1. Pet. 2.* *Iob 23.* *Grego.*

nos, sequentes ipsum, qui præcessit nos in via virtutis, & perfectionis. Vnde S. Ioannes Euangelista in
1. Ioan. 2. 1. Canonica scribit, *Qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Quicunque ergo vniuersa hæc, quæ diximus, obseruauerit, profecto non tantum pedes mundos habebit, sed & manus, & caput vt sit mundus totus. Ipse etiam in hoc mirabili Sacramento huius Cœnæ noui testamenti caput Christi cum pedibus, & intimis visceribus eius non tantum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter comedet: cuius virtute, & fortitudine, ambulare poterit per viam mandatorum Dei, & sequi vestigia Iesu Christi, qui est in dextera Dei sedens. Vbi cum Patre, &c. Amen.

---

## DE EODEM MYSTERIO.

### CONCIO IIII.

***Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet eos discumbere: & transiens ministrabit illis.***

LVCÆ 12.

MYsterium, quod per vniuersam sanctã Ecclesiam hodierna die tã deuote, ac festiue celebratur, cõtinet in se illud opus Christi Domini tam mirabile, tã que singulare, & nouũ, vt merito Mãdatũ Christi nouũ, atque hactenus inauditum dici possit. Est etiam singulare quoddã exemplum, & efficacissimum, summæ virtutis inter omnia illa, quę Christus Dominus toto discursu vitę suę nobis exibuerat, vsque ad illud tempus iam vicinũ passioni, & proximum morti suæ. De quo mirabili opere Christi, &
Psal. 92. exẽplo, Dauid in spiritu prædixerat, *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Quod Christus Dominus in hac die Cœnæ accepit linteũ, & præcinxit se, vt procũbens lauaret pedes Discipulorũ, hoc vocat Dauid, indutũ esse, ac præcinctũ fortitudine. quia illo opere profundissimæ humilitatis omnibus fidelibus exemplũ fec

te, & efficax reliquit, vt ipsi erga fratres suos eadem opera humilitatis, & dilectionis exhibeant. Eleazarus ille, vnus de primoribus Scribarũ, qui 2 lib. Machab. egregia laude celebratur, daturus vitam pro obseruantia legis Moysi, dicebat: *Fortiter vita excedendo, adolescentibus exemplum forte relinquam.* Et statim subdit Scriptura sacra, *Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuuenibus, sed vniuersæ genti, memoriã mortis suæ ad exemplũ virtutis, & fortitudinis derelinquens.* Iste sanctus, & generosus senex, atque inuictus Martyr, tempore mortis suæ quã pro illa sancta Dei lege patiebatur, in duobus cõmendatus està Spiritu sancto his verbis Scripturæ sacræ. Primo, quod vniuersæ gẽti reliquit celebrem memoriã sanctę mortis suę. Secundo, quod reliquit ei generosum, & fortissimum exemplum magnanimitatis, & inuictæ cuiusdam virtutis: & vt Ambros. dicit, lib. 2. de Iacob, cap. 10. *In moriendo tormentis, factus est ceteris magisterium perseuerantiæ, &c.* Sed quid, obsecro, sunt hæc ad ea, quæ Christus Dominus, mortis suæ tempore, nobis admiranda reliquit? Profecto eadem ipsa duo, quę Eleazarus ille, multo mirabiliori modo, & diuiniori quodam spiritu, in qua nocte tradebatur, fidelibus omnibus dereliquit. Primò, memoriale quoddam diuinũ mortis suæ in sacratissimo sui corporis, & sanguinis Sacramẽto: de quo in Euangelio dicitur. *Hoc facite in meã cõmemorationem*: & ab Apostolo Paulo, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Vnde D. Chryso. in epistol ad Hebr. Homil. 17. & D. Th. 3. p. Quæst. 83. art. 1. docent, hoc sacrificiũ, quod in Ecclesia offertur, idem esse cum illo, quod Christus obtulit in cruce, & nõ aliud, sed modo offerri in memoriã, & recordationẽ mortis eius. Secũdo, exẽplũ quoddam singulare sũmæ humilitatis, quo humiliauit se, & accinxit sicut minister, ad lauandos pedes Discipulorũ Vnde Aug. in illũ Psa. 92 dicit *Quia enim tunc humilis fuit, quando linteo præcinctus est, lauit pedes Discipulorum suorum: omnis autem fortitudo in humilitate, quia fragilis est omnis superbia.* In hac ergo sua humilitate fortissimum exemplũ Christus nobis commendauit, ac reliquit. Atque hæc duo sunt sanctæ huius solemnitatis præcipua Sacramenta, & quæ in illis verbis

2. Mach. 6.
Ambros.
Luc. 22.
1. Cor. 11.
Chrysost.
D. Thom.
August.

à principio propositis continentur: atque adeò in eorum explanatione versabitur tota hæc postrema Concio nostra.

Ait ergo S Lucas, *Amen dico vobis, quod præcinget se, &c.* Quasi cum iuramento hoc affirmat Christus Dominus, qui à Ioanne Euangelista dicitur in Apocalypsi, *Amen testis fidelis, & verus*: quia rem nouam, atque hactenus inauditam, proponebat Discipulis, & quam nisi testis fidelis, & verus affirmasset, incredibilis fortasse hominibus videretur. Quid enim magis nouũ, atque hactenus inauditum, quam quod Christus Filius Dei præcingat se, & faciat homines discumbere, & transiens ministret illis? Multum profecto se præcinxit Dei Filius, quando assumpta carne humana, circundatus est infirmitate nostra, & clausus vtero Virginis, fœmina circundedit virum. Sed adhucmagis stricte præcinctus est, quando, sicut in Euangelio dicitur, *Cum accepisset linteum, præcinxit se.* Maxima enim virtute se præcinxit, qui ad tantam humilitatem deuenit, vt assumpto seruili habitu accinxerit se ad lauandos pedes Discipulorum quos quasi maiores, aut superiores, facit discumbere, & ipse Dominus, & Magister, quasi seruus, aut minister, ab vno in alterum transiens, ministrauit illis, mittens aquam in peluim, & lauans pedes eorum, & extergens linteo, quo erat præcinctus. Magnum profecto humilitatis mysterium, & quod ipse Christus mirabiliter ponderauit illa emphasi verborum, *Ego Dominus, & Magister, laui pedes vestros*: & quod merito in admirationem, & stuporem rapuit Diuum Petrum, quando dixit; *Domine, tu mihi lauas pedes? Quæ verba* (sicut ait August. tractat. 56.) *cogitanda sunt potius, quam dicenda, ne forte, quod ex his dignum concipit anima, non explicet lingua.* Fuit enim singulare opus istud humilitatis Christi Domini, & mirabile exemplum, & forte, quod imitandum nobis reliquit: forte, inquam, & efficax ad prosternendam omnem mundi superbiam, & vanitatem destruendam. Quis enim erit iam inter homines, qui aut in semetipso intumescat, aut aduersus alterum infletur, cum videat Dominum maiestatis, Regem cœli, & Ecclesiæ Magistrum, tam humiliter procumbentem

*Apocal. 3.*

*August.*

tem ad pedes seruorum suorum, & transeuntem, ac ministrantem, & lauantem eos propriis manibus, atque blande extergentem linteo: & (vt credibile est) sacratissimis labiis exosculantem, & fortasse multo maiori charitate, quam Ioseph, flentem super singulos? Michæas Propheta de Christo prædixerat, *Transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Sed hoc fiet in die, qua gloriosus apparebit, non solum in conspectu Domini, sed etiam in conspectu omnium gentium & tanquam Rex & caput, ab omnibus venerabitur: & Angeli, atque homines, adorabunt vestigia pedum eius. Nam in hac die tantę humilitatis suæ Rex, & Dominus, & Magister, transiens coram Discipulis, & seruis, non in capite est, tanquam qui recumbit, sed in pedibus, atque ad pedes eorum, tanquam qui ministrat. Genes. 45. Michæa. 2.

Atque vtinam, qui sic transiens ministrabat in officio tantæ humilitatis, ita ministraret vt saltem transiret impios, ac sordidissimos pedes Iudæ proditoris, ne manus illæ mundissimæ, & angelicis multo puriores, sordibus pedum illorum non solum non inquinarentur, sed neque inuoluerentur. Sed ô admirandam Christi Domini humilitatem, & patientiam! O purissimum solem iustitiæ, in luto se volutantem, & nihil fœtidum contrahentem. O summum Pontificem, & Sacerdotem Dei, sanctum, impollutum, segregatum à peccatoribus: & nihilominus venientem ad impiissimum Iudam, ad hominem immundum, ad leprosum, ad mortuum, vt pedes eius tangeret, & lauaret: qui à planta pedis vsque ad verticem capitis nec sanitatē, nec munditiam habebat! O Christi misericordiā & benignitatem in peccatorē Iudam! O Iudæ impœnitentiam, & duritiam omni rupe duriorē! O montē terribilem! O montem pestiferū! O montem caliginosum! Dauid Rex, sicut narrat Historia, li. 2 Regū, audita morte Regis Saul in mōte Gelboë, cœpit imprecari illi mōti malū à Domino, inquiēs: *Omnes montes in circuitu eius visitet Dominus, à Gelboe autē transeat.* Optabat enim, vt neque ros, neque pluuia, veniret de cœlo super infelicem montē illum in quo occisus est Rex Saul Christus Domini. Mons iste Gelboë, qui interpretatur, 2. Reg. 1.

*Volutatio*, siue, *Reuolutio*, Iudas proditor est, cuius dolo, & proditione, cōmoti sunt, & concitati Principes Iudæorum, vt Christum Dominum traderent morti, quē
Matth. 26. illis tradidit impius Iudas, inquiens, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Quanto ergo potiori ratione poteramus nos assumere spiritum, & affectum Regis Dauid, in hac die, & imprecari mala huic pestifero monti Gelboë, & optare ac dicere, *Omnes montes in circuitu eius visitet Dominus, à Gelboe autem transeat.* Quid enim aliud agit hodie Christus Dominus, quam rorem, & pluuiam suis purissimis manibus mittere super montes Ecclesiæ, hoc
Psal. 124. est, inter Apostolos, qui erant in circuitu eius, & de quibus dicitur in Psal. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Dum ergo horum montium pedes rigat, & lauat vtinam à Gelboë transeat, & nec ros, nec pluuia de manibus Christi veniat super eū, cuius impia proditione, & quasi volutatione, siue reuolutione peruersa traditus est, & occisus Dominus Iesus, & Christus Domini. Sed quoniam ipse Dominus Iesus transibat ministrans Apostolis quasi nubes plena, vt,
Matth. 5. iuxta Doctrinam Euangelicam, *Plueret super iustos, & iniustos*, noluit transire etiam ab illo monte Gelboë, sed rore illum infudit, & aqua rigauit, sanctis suis manibus distillantibus in eius sordidos pedes pluuiam illam cœlestem, si forte tanta illum misericordia, & tam incredibili pietate posset eum emollire, & attrahere, atque ab errore viç sinç conuertere: quāuis certo sciret, duritiam eius, & impœnitēs cor thesaurizare sibi maiorē iram & maius iudicium de misericordia, & bonitate Christi sumere. Fortasse positus ad pedes Iudæ, diceret
Osee. 6. illi cū Osea Proph. *Quid faciā tibi, Iuda? Misericordia vestra, quasi nubes matutina, & ros mane pertransiēs* Quasi diceret, O infœlix, & dure, atq; indurate Iuda, quid amplius faciā tibi: quā humilitatem maiorē ostendā, quā ardentiorem charitatem, quā largiorem misericordiam, quā abundantiorē patientiā, & benignitatem? En, prostratus ad pedes tuos, eorum vestigia meis manibus teneo & aqua lauo, & lacrymis rigo, & linteo, quo præcinctus sum, extergo: cur ergo, infœlix Iuda, tanta benignitate non vteris? Cur abuteris tanta misericordia? Cur ad me non reuerteris, vt te suscipiam? Sed tu, quæ tua est ob-

durata mens, & cauteriata conscientia, id efficis hac obstinatione animi, vt misericordia tua hæc tibi sit quasi ros mane pertrãsiens, & nullũ in te salutis, aut effectum, aut lignum relinquens. *Pessima enim erat & insanabilis, plaga tua*, vt inquit Propheta: & propterea neque hoc tam salubri, & efficaci remedio, curata est, sed desperata. *Quod remedium* (vt verbis vtar Diui Leonis, sermone I. de Passione Domini) *nec te, Iuda, transiret, si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te reuocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum*. Sed iam & nos transeamus ad secundam partem huius mysterij. Hier. 30. S. Leo.

*Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet eos discumbere: & transiens ministrabit illis.* Alio modo se Dominus mirabiliter præcinxit hac die, quando in Cœna instituit diuinissimum sui corporis, & sanguinis Sacramentum: vbi omnipotenti sua virtute maneret verus, & integer Deus, & homo, sicut antea, ita se sacramentaliter cinxit, atque constrinxit, quod mutata substantia panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi, mansit ipse Christus in Sacramento, quasi vestitus, & præcinctus ipsis visibilibus accidentibus panis, & vini, ita vt in qualibet hostię particula, separatione facta, totus Christus & integer contineatur: Ita ergo se Christus præcinxit in hac Cœna noui testamenti, & fecit Apostolos discũbere, vt hoc admirabile ferculũ sui corporis illis ministraret, atque hoc transiẽs ex hoc mundo ad Patrem, vt eis relinqueret istud symbolum, & pignus amoris infiniti, sicut S. Euangelium dicit, *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrẽ, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hic enim proculdubio dilexit eos in finem, quando iã moriturus instituit sui corporis, & sanguinis Sacramẽtum, in quo nobis relinqueret memoria mortis suæ, & testamentũ, ac testimonium summi amoris, quo dilexit nos. Præterea etiã transiens ministrauit illis: quia ita sumebant Christũ in hoc Sacramento Apostoli in Cœna, & modo sumunt fideles in Ecclesia, vt ab vno ad alterum integer, & totus Christus transeat, in nullo cõsumptus, aut diminutus: queadmodũ D. Cyprian. in ser. de Cœna Domini inquit *Perpes est hoc sacrificiũ, & semper permanens holocaustum: nulla panem hunc multitudo* Cyprian.

*consumit nulla antiquitate veterascit* : : & D. Thomas in
D. Thom. Prosa huius Sacramenti, *Sumit vnus, sumunt mille, quantum iste, tantum ille, nec sumptus consumitur.*

Salomon sapientissimus præuidisse in spiritu, & prædixisse videtur hoc ipsum, quod nos dicimus, quando
Eccli. 29. in Ecclesiastico inquit, *Transi, hospes, & orna mensam, & quæ habes in manu tua, ciba cæteros.* Hospes iste, siue peregrinus, est Christus Dominus, quem mundus quasi hospitem, & peregrinum reputauit, atque ita inhumane tractauit, vt fere domum, aut locum, in quo caput reclinare posset, non haberet, sicut ipse in iudicio
Matth. 25. testaturus est, inquiens, *Hospes eram, & non collegistis me:* atque hoc non corporali hospitio tantum, sed etiam spirituali, per fidem, & charitatem, sicut Ioan
Joann. 1. nes Euangelista dicit, *In propia venit, & sui eum non receperunt.* Hic sacer peregrinus, & hospes, quandiu in
Actor. 10. mundo erat, sicut S. Lucas dicit, *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* At, vbi venit hora eius, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, in ipsa nocte, qua tradebatur, vltrà solita suæ misericordiæ, & dilectionis opera omnia, pertransiuit, instituens hoc nouum, ac diuinũ sui corporis, & sanguinis Sacramentum, per quod finem imponeret cœnæ agni Paschalis, & mensæ veteris testamenti. Hoc est, quod dicit, *Transi, hospes, & orna mensam:* quoniam Christus Dominus, & hospes noster, transiens à Cœna legali veteris agni ad Cœnam nouam sui corporis, & sanguinis, Cœnam magnam, ac splendidam, ita ornauit mensam noui testamenti, & amplificauit, atque honorauit, vt quę erat vacua, sit plena & quæ imperfecta erat, sit vndiq; perfecta, & consummata. Vnde S. Leo, serm. 7. de Pas. inquit, *Vt ergo*
Leo. *vmbræ cederent corpori, & cessaret imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento: hostia, in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit: & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur.* Magna profecto est huius mensę gloria, & maiestas, & insignis ornatus illius quæ in se continet Christum ipsum verum Deum, & hominem, sub speciebus panis, & vini occultatum, & absconditum. Fructus etiam, quos in ea percipiunt, digne accedentes, multi sunt, & varii, atque mirabiles.

Sed propter eximiam eius magnitudinem, & gloriam, necessario exigit in iis, qui ad eam accessuri sunt, præter egregiam fidem, grandem reuerentiam, singularem munditiam, per quam á Spiritu sancto disponantur, & præparentur, vt non indigne accedant Propterea Salomon, in Ecclesiastico inquit, *Super mensam magnam sedisti, non aperias super eam faucem tuam prior: vt* doceat nos, ne temere, & audacter ad illam mensam accedamus, prius quam Spiritus sanctus nos preparet, & disponat, antequam ipse Dominus, prior aperiat os nostrum, & esuriem spiritualem, ac sitim huius Sacramenti donet, & famem huius diuini panis immittat, vt digne, atque fructuose illum sumamus. Itaque nec præcipites esse debemus audendo pluries quam oportet, aut citius: neque nimium tardi, aut fastidiosi, vt rarius quã necesse est. Vtrũque enim, vitium est extremum, & frequentius accedere, quam oportet, & tardius, aut fere nunquam. Recte enim dixit Chrysostomus in prim. epist. ad Corinth. Hom. 24. *Non dico, vt non accedamus sed ne temere accedamus. Quemadmodum enim frigida accessio, periculosa est, ita nulla mysticæ illius Cœnæ participatio, pestis est, & interitus. Ipsa namque mensa, animæ nostræ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra.* Eccli. 31. Chrysost.

Deinde subdit Salomon, *Et quæ habes in manu, ciba cæteros.* Omnia, quæ sunt in cælo, & in terra, habebat Christus in manibus, sicut in Euangelio dicitur, *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Sed nouo, & singulari modo, habuit omnia hæc in manibus, quando illis accepit corpus suum & sanguinem, in sacratissimo Sacramento, vt illud ipse sumeret, & daret cæteris quos in mẽsa illa conuiuas habuit. Ibi apertas & modo habet manus, ac plenas vt impleat omnes fideles benedictione cœlesti, & omnibus bonis, ac delitiis paradisi Dei Ad hæc nos inuitat, & vocat, inquiens. *Accipite, & manducate: hoc est corpus meum.* Et quod in Ezechiele scriptum est, *Conuenite, properate vndique ad victimam meam quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, vt comedatis carnem, & bibatis sanguinem.* Ezech. 39.
Sacrosanctum altaris sacrificium, quod Christus Dominus in hac Cœna noui testamenti & instituit, & im-

molauit, ipsum est victima grandis, in qua ipsemet Christus, qui summe magnus est, immolatur pro nostra, & totius mundi salute. Et nunc quidem *In omni loco* offertur Domino hæc victima, & *oblatio munda*, vt Malachias Propheta prædixerat, sed à principio immolata est coram Apostolis, qui sunt montes Israël, vt anteà diximus, propter altitudinem dignitatis, & sanctitatis. Ad hanc ergo sacratissimam victimam properant, & conueniunt viri sancti, & mundi, atque humiles corde, cum fide grandi, cum magna reuerentia, accensi charitate, esurientes, & sitientes, satiari de mensa Domini: cùmque saturati hoc cœlesti Sacramento fuerint, & delectati, omnia mundi oblectamenta despiciunt, & pro nihilo habent. Vnde Dauid dicit, *Edent pauperes, & saturabuntur*: quia pauperes spiritu, & Sancti, & qui neque habent, neque concupiscunt alias diuitias, aut delitias, quàm Christum, in hac cœlesti mēsa ita saturantur, & inebriantur, vt cætera omnia, tanquam inutilia fastidiant, & respuant, neque vltra esuriant, aut sitiant, nisi ea, quæ cœlestia, & diuina sunt, sicut sanctus Cyprianus in sermone de Cœna Domini, inquit, *Vident hæc Sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delitias aspernantur: & possidentes Christum, aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur.*

*Mala. 1.* *Psal. 21.* *Cyprian.*

Hoc etiam est, quod alio sensu dicitur, *Transi, hospes, & orna mensam.* Sancti enim, & iusti, in hac vita peregrini sunt, & hospites, sicut de ipsis dicit Apostolus ad Hebræ. *Confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram:* & quemadmodùm Christus Dominus, viator, & peregrinus fuit in terra, ita & ipsi peregrini sunt, & hospites, non habentes domum, aut ciuitatem manentem & sic transeunt per bona temporalia, quasi bona non sint: & idcircò illa despiciunt, quia transeunt cum festinatione ad ea bona, quæ diuina sunt, & æterna, sicut Gregor. dicit, libr. 15. Moral. cap. 35. *Transeuntes sunt, qui intentionem mentis in amore vitæ præsentis figere dedignantur.* Vnicuique ergo istorum hospitum, & transeuntium, conuenit, quod dicitur, *Orna mensam.* Quia hæc mensa Domini, tunc contaminata est, atque despecta, cùm Sacramentum corporis, & sanguinis eius ab

*Hebr. 11.* *Gregor.*

indignis, & impuris hominibus immolatur, aut sumitur: tūc autem ornata est, cùm viri sancti, quasi filij Dei, & *Sicut nouellæ oliuarum, sunt in circuitu mensæ Domini*, sicut Dauid dicit, sic honorati à Deo ipso, vt comedant panem de mensa Regis, & bibant de vino potus eius: & sic ornantes ipsam mēsam, vt fateantur, in ea se inuenisse omnium bonorum plenitudinem, & omnium desideriorum plenam saturitatem, ac denique omnis finis consummationem in Christo, sicut & Dauid dicit, *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumēti satiat te.* Quin etiā sic satiati adipe, & pinguedine huius diuini frumenti, & Sacramenti, viri iusti mensam Domini ornānt: quia ita honestè viuunt, & sanctè conuersantur in omnibus, sicut decet conuiuas Christi, & commensales Regis æterni. Hæc etiam mensa nullo alio meliùs ornari potest, quàm virtutibus, & sanctis moribus iustorum, qui ad eam accedunt, vt saturentur. De quibus etiam S. Cyprianus dicit, sermone citato, *Esurientes, & sitientes iustitiam, cùm saturati hoc Sacramento cœlesti fuerint, vide, quid agant, intellige, quæ loquantur: quàm sancti odoris sit, quidquid illa eructat plenitudo: verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos illa interior synceritas vbique diffundit, &c.* His sanctis operibus ornant viri iusti hanc mensam Domini, & honorant, atque dijudicant. Quemadmodùm enim vniuersi fideles bonis operibus honorant, & ornant fidem, & doctrinam Christi Domini, secundùm quòd Apostolus scribit ad Titum, *In omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam Saluatoris nostri Domini ornent in omnibus*, ita etiam qui pure, & sanctè ad mensam Domini, & Saluatoris accedunt, & similiter conuersantur, eam sanctis suis conuersationibus glorificant, & ornant: quam immundi homines, & peccatores, contrarijs moribus, & operibus, despectam habent, atque pollutam. Sunt autem & alij, qui cùm intus pleni sint immūditia, & iniquitate, atque hypocrisi, conantur foris apparere hominibus iusti, tanquàm *Sepulchra* quædam *dealbata*, vt Dominus inquit in Euangelio: & hac simulata sanctitate, & fucata munditia, non verentur ad hanc sacram Domini mensam accedere, & diuina Sacramenta ministrare, & sumere, ad suam ipsorum perniciem, & in-

*Psalm.127.*
*Psalm.147.*
*Cyprian.*
*Tit.2.*
*Matt.23.*

teritum. Quibus profectò conueniunt etiam verba superius proposita in eo sensu, quem insinuat D. Gregor. libr. 32. Moral. cap. 10. *Transi hospes & orna mensam.* Isti enim, hospites sunt, & non ciues Sanctorum, nec domestici Dei: quia non tractant diuina hæc Sacramenta cum debita reuerentia, & puritate, & amore, sicut decet Sanctos, & Dei amicos, nec prætendunt consequi mirabiles fructus horum Sacramentorum, sed propriam gloriam quærunt, & humanas laudes appetunt. De quibus Apostolus dicit ad Ephes. *Hospites testamentorum, promissionis spem non habentes.* Hospites enim sunt huius diuini, & noui testamenti, quod Christus in hac mensa, & noua Cœna, instituit: nec sperant promissiones bonorum cœlestium, quæ præstare solent hæc diuina Sacramenta ijs, qui ad altare eorum sanctè, & dignè ministraturi, & communicaturi, accedunt. Sed ideò munditiam, & sanctitatem ostentare student, vt ab hominibus videantur, & honorentur: & hac sua simulata sanctitate ornent mensam altaris, quia de ostentatione sanctitatis eorum, laus altaris extenditur, & in conspectu hominum, qui sola exteriora vident, honorant mensam, quam in conspectu Dei exhonorant, & iniurijs afficiunt. Alijs opinio sanctitatis eorum proficit, & tamen à Deo ipsi extranei, & hospites, pertranseunt. Et propterea subditur, *Et quæ habes in manu, ciba cæteros:* quia illa simulata sanctitate ad altare accedens cæteros ædificat, & suo exemplo quasi cibat, cùm ipse ieiunus, & sine fructu maneat, vel potiùs transeat. Quòd si sacerdos fuerit, ad quem spectat hoc Sacramentum sumere, & cæteris fidelibus dare, profectò si indignè accedat, & ministret, eo, quod habet in manu sua, cæteros cibat, & nutrit, ac delicijs mensæ Domini reficit, ipse verò tanquàm extraneus sine gustu diuini Sacramenti, & sine fructu illius, pertransit, non tamen sine iudicio, & reatu corporis, & sanguinis Domini, ad cuius sacrosanctum altare tam fictus accessit. At viri sancti, & amici Dei, peregrini, & hospites super terram, pauperes spiritu, & mundo corde, & corpore, transeuntes vniuersa terrena,

Gregor.

Ephes. 2.

& sola cœlestia in hac sacra, & ornatissima mensa, quam illis parauit hodierna die Christus Dominus, inueniunt sibi omne bonum, omnem salutem, omnem cordis dulcedinem, & animæ consolationem, ac deniquè plenam satietatem, & perfectam iucunditatem: quæ omnia abundè illis præstat ad fruendum in hac sacratissima altaris mensa: qui (vt Augustinus dicit, sermone 26. de verbis Domini) *Transiuit ex hoc mundo, vt ministraret nobis in illo superno conuiuio æternæ vitæ*, Iesus Christus Dominus noster. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen. *August.*

# DE PASSIONE, ET MORTE DOMINI NOSTRI Iesu Christi.

## INTEGER TRACTATVS.

*Egressus est Iesus cum Discipulis suis trãs torrentem Cedron, vbi erat hortus, &c.*
IOANN. 18.

MAGNA Opera Christi Domini, & exquisita sunt vniuersa, quæ pro nostra salute operatus est toto tempore vitæ suæ, quo in terris visus est, & cum hominibus conuersatus: sed inter illa omnia hoc opus Passionis eius, & nostræ salutis, ac redemptio-
*August.* nis, (*Passio enim Domini, pretium est orbis terrarum*, vt August. inquit, Epistola 171.) verè magnum est opus, atq; cardinale, & consummatum: sicut & ipse Christus dixit ad Patrem, iam passurus, *Opus consummaui, quod de-*
*Ioan. 17.* *disti mihi, vt faciam:* quod de ipso opere Passionis statim in cruce consummando intelligit ibi Augustinus,
*August.* tractat. 105. & quod inter omnia opera Dei (sicut S.
*Leo.* Leo docet, sermone 11. de Passion) *Contemplationem mêtis nostræ magis oblectat, & superat.* In quo sanè magno pietatis opere Christus Dominus ita plenè magnificauit facere nobiscũ, ita perfectè suã erga nos dilectionẽ exhibuit, atque consummauit, vt nihil amplius haberet, quod præstare aut debuisset, aut posset, propter

nimiam charitatem suam, qua dilexit nos: *Vere nimiam* (ait Bernardus, sermone quodam de Passione Domini) *quia et mensuram excedit, modum superat, plane superemi-nens vniuersis. Ego quidem arbitror, quod omne opus Dei, magnum est* (ait Origen. Homil. I. sup. lib. Iudicum) *sed si alia eius opera cum eo compares, quod ita dilexit hunc mū-dum, vt Filium suum vnigenitum daret pro salute mundi, inuenies omnia illa, parua esse ad huius operis magnitudinem.* Atque adeo nullum est inter opera Christi Domini, quod ita nobis eum reddat amabilem, sicut opus Passionis, quam pro nostra salute sustinuit: atque (vt vtar verbis D Augustini, lib. 2. Meditationum, cap. 16.) *Magna, et multa, imo certe innumerabilia sunt, quæ mihi, Domine Deus, contulisti beneficia, pro quibus mihi diligendus, et semper es laudandus: vnum autem est, quod me plus omnibus accendit, vrget, mouet, et promouet ad te diligendum: super omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, ô bone Iesu, ignominiosissima, et amara mors, quam sustinuisti opus nostræ redemptionis. Hoc solum totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facile sibi vendicat.* Hæc August. *Egressus es in salutem populi tui* (ait Propheta Domino) *in salutem cum Christo tuo* Plane egressus est Dominus, qui non solum à summo cœlo, & à sinu Patris exiuit, vt veniens in mundum, saluum faceret populum suum: sed etiam in ipso opere nostræ salutis, & suæ Passionis, quasi à semetipso egressus est, & supergressus omnem amoris mensuram, & omnem charitatis excessum, in illo excessu Passionis, & mortis, quem propter nos compleuit in Hierusalem. Sic enim vocat Passionem eius S. Lucas Euangelista; *Excessum*, siue *Exitum*. De quo etiam opere S. Dauid prædixerat; *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam, vsque ad vesperam*. Hic enim mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, exiuit ad opus Passionis suæ, & redemptionis nostræ, ab ipso exordio Incarnationis, vsque ad vesperam Passionis, & mortis: quæ propterea recte dicitur *Vespera*, quoniam in illa ipse sol iustitiæ obscuratus est, & vt S. Dauid dicit, *Sol cognouit occasum suum.* Nam *Quoniam sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum effusus est* (ait August. lib. 17. de Ciuit. cap. 18.) *non vtique oportuit*

Bernardus. Origenes. August. Abac. 3. Luc. 9. Psalm. 103. Psalm. 103. August.

*eum de hac vita exitus alios habere quam mortis. Ideo, cum David dixisset, Deus noster, Deus saluos faciendi, continuo subiunxit, Et Domini Domini, exitus mortis: vt ostenderetur, moriendo saluos nos esse facturus.* Sed videamus iam, quales fuerint isti egressus, & exitus Christi Domini, in toto progressu Passionis eius, iuxta traditionẽ sanctorum Euangeliorum, quamuis potissimum sequemur textum S. Euangelij secundum Ioannem.

§. 1.

E*Gressus est Iesus cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit ipse, & Discipuli eius, &c.* De S. Patriarcha Isaac scriptum legimus
Genes. 24. in Genesi; *Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, inclinata iam die.* Vbi alia litera habet, *Ad orandum:* alia vero habet: *Ad exercendum* Inclinata enim die ad vesperam egressus est vir ille sanctus in agrum, quasi post cœnam, vt oratione, ac rerum cœlestium contemplatione, ac meditatione, leniret dolorem, & leuaret tristitiam, quam de morte matris susceperat. Non aliter profecto Christus Dominus, cuius typum gerebat ille Patriarcha Isaac, in hoc primo exitu suo ad Passionem, egressus est inclinata iam die, & post Cœnam illam mysticam, de qua in præcedenti tractatu egimus, egressus est in agrum, & in hortum Gethsemani ad orãdum, & simul exercendum opus sacratissimæ Passionis suæ, & reparationis nostræ. Et quidem S. Patriarcha Isaac, egressus est in agrum ad meditandum, vt illa sua meditatione tristitiam depelleret, quam de morte matris Saræ conceperat, & cõsolatione suscepta animum non nihil recrearet. Sed Christus Dominus egressus est in agrum ad meditandum, non vt meditatione sua animum recrearet consolatione suscepta, sed potius vt tristitiam haberet, & dolorem inueniret, atque tribulationem, propter miseram mortem Synagogæ matris suæ, & cæcitatem ac perditionẽ illius excæcati populi
Rom. 9. Iudæorum. Profecto, vt verbis vtar D. Pauli, *Tristitia illi magna erat, & continuus dolor cordi suo*, cum meditaretur duritiam, & excæcationem, ac proinde desolationem, & miserabilem mortem illius populi, quem antea tantopere dilexerat, tantisque beneficiis affecerat, Propterea sicut SS. Euãgelistæ referunt, dicebat Apo-

ſtolis; *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: quia ſumma illa triſtitia, & quaſi vſque ad mortem, erat propter illius populi ruinam, & perditionem, quam in ſua illa meditatione certiſſime futuram præuidebat. Propterea etiam & in oratione ſua dicebat ad Patrem; *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Nam, teſte Origene, tractatu 35. ſuper Matthæum, cuius expoſitioni conſentit D. Hieronymus lib. 3. Commẽtar. ſuper Eſaiam, cap. 9. & D Ambroſius lib. 10. Commentar. ſup. Lucam: quia maxima charitate diligebat Chriſtus Iudæos, quaſi ſemen patrum ſanctorum, & quaſi ramos bonæ oliuæ, & aliunde præuidebat, quanta mala in Paſſione ſua eſſent perpetraturi, dolens de ipſis, & nolens eos perire, ſi fieri poſſet, orabat ad Patrem; *Pater, ſi poſſibile eſt, &c.* Ac ſi diceret; Si poſſibile eſt, vt ſine Paſſione mea, omnia illa bona proueniant, quæ per Paſſionem meam ſunt prouentura, tranſeat Paſſio hæc à me, vt & mundus ſaluetur, & Iudæi in Paſſione mea non pereãt. Matth. 26. Luca 22. Origenes. Hieronym. Ambroſ.

Deinde egreſſus eſt Chriſtus Dominus ad meditandum, ſiue exercendum in agro, & in horto: quia profecto in illa ſua oratione, & meditatione, intus corde, & animo paſſus eſt, & exercuit vniuerſa tormenta, & dolores, & mortem acerbiſſimam crucis, quam ſequenti die exterius, & re ipſa paſſurus erat. Sic in illa nocte, & inclinata iam die, noſter Iſaac accinxit ſe, ac præparauit, atque exercuit ad futuram die ſequenti Paſſionem, & mortem, quam ex ſumma obedientia ad Deum Patrem, & ex nimia charitate erga nos, ſubire voluit. *Mẽs iuſti* (ait Salomon) *meditabitur obedientiam.* Sic Chriſtus Dominus iuſtus noſter, hac nocte in oratione ſua ad Patrem, meditatus eſt obedientiam, factus obediens vſque ad mortem, & dicens, *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Meditatus eſt etiam obedientiam: quoniam interiori, & viuaciſſima meditatione cordis præſentire, & prægustare voluit omnem acerbitatem Paſſionis ſuæ, quam ex obedientia ſuſcepit, & obediendo conſummauit, moriens in cruce. Propterea de ſe ipſo prædixerat per os Dauid; *Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*: ſiue, vt Auguſt. legit; *Et ſcrutabar ſpiritum meum.* In iſta enim nocte orationis ſuæ meditatus eſt Chriſtus Dominus Prouerb. 15. Luc. 22. Pſalm. 96. Auguſt.

tum corde suo, intima, ac profunda meditatione, totum progressum Passionis suæ: ita vt in illa meditatione exercitaretur, & interius exerceret, atque pateretur ipsam passionem, & mortem, tanto dolore, ac tristitia, sicut quando re ipsa eandem passus est. In qua meditatione ipse scopebat, & scrutabatur spiritum suum; quia quamuis caro esset infirma, tamen spiritus promptus erat, sicut ipse dicebat: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Erat enim spiritus Iesu, in illa meditatione cordis, & agonia, tam fortis, tantam habens virtutem, vt etiam carnem, alioqui infirmam, summo quodam modo confortaret, atque ad subeundam mortem corroboraret. Sic enim conueniebat, vt *Infirma caro in Passione à fortitudine spiritus acciperet omnem virtutem*, sicut aliorsum dicebat Tertullian. in lib. ad Martyres. Quod si *Frequens meditatio, carnis afflictio est*, vt Salomon inquit, perpendat Christianus, ac deuotus, in oratione sua, ac meditatione assidua consideret, quanta fuit illius infirmæ carnis Christi afflictio in ea meditatione tam profunda, tam intima cordis sui, qua meditatus est illa nocte Passionem tam acerbam, tam ignominiosam: & tunc non mirabitur, quod tristis fuerit anima eius vsque ad mortem, quod cœperit pauere, & tædere, quod ad Patrem orauerit, vt, si fieri posset, trãsiret ab illo hora, & calix Passionis: ac denique quod in agonia positus, prolixius orauerit, & factus fuerit sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tunc etiam ex intima compassione, & amore ad Christum patientem concalescet intra ipsum cor eius, & in meditatione hac sua exardescet ignis dilectionis in eum, qui tam ardenti, ac nimia charitate dilexit nos, vt in hac sua meditatione, atque exercitatione sicut aqua effusus sit, & factum fuerit cor eius sicut cera liquescẽs in medio ventris sui. Tunc denique velut altera Rebecca, viso Isaac sic meditante, atque exercente se in agro, de camelo descendet, & pallio se operiet, superbiam omnem, atque arrogantiam deponet, & humilitatem Christi tenens, ex anteacta vita sua confundetur, & erubescet.

*Matth. 26.* *Marc. 14.* *Tertull.* *Eccles. 12.*

Sed in hac tam admirabili meditatione, & oratione Christi Domini, obseruandum est primo, quod consi-

derata magnitudine, & acerbitate Passionis, & mortis suæ, sicut S. Matth. inquit, *Cæpit contristari, & mæstus esse*: aut, sicut dicit S. Marcus, *Cæpit pauere, & tedere*. Cuius tristitiæ, ac pauoris, plures causas, & rationes adhibere solent sancti Patres. Quarum vna est: vt illa sua infirmitate nobis conferret virtutem, ac fortitudinem, ad non formidandam mortem, sed potius libenter, & fortiter pro illo subeundam. Nam (vt in Tractatu de Tentatione Christi diximus) non solum quod erat diuinitatis, & virtutis in ipso, sed etiam quod erat infirmitatis, & humanitatis, contulit nobis virtutem, & fortitudinem ad superandas vniuersas tentationes, etiam vsque ad acerbissimas passiones, & mortem: quia, vt Paulus ad Corinth. scribit, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Hanc rationem, & causam assignauit idem Apostolus ad Hebræos inquiens; *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti*. Et Christus Dominus quando in oratione postulauit à Patre; *Transeat à me calix iste*: hoc obtinere voluit, teste Hilario, lib. 10. de Trinitate, & Canone 31. in Matth. non vt ipse non patiatur, sed, vt in alios, quod à se transiit, accedat. Pro iis enim orat, qui passuri erant post se, vt ab iis bibatur calix passionis sine metu mortis, sine sensu doloris, &c. Et S. Leo, sermone 3. de Passione, similiter docet, quod *His verbis, quandam formidinem profitentibus, Christus Dominus nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pænalis experientiæ metum subeundo pellebat, &c.* Recte docuit Cyrillus hanc eandem causam, lib. 10. Thesauri. cap. 3. inquiens; *Sicut igitur, nisi mortuus esset, mors non extingueretur: sic nisi timuisset, non essemus nos à metu liberati: nisi doluisset, non cessassent dolores nostri. Et ita singulas passiones carnis fuisse in Christo absque peccato commotas, inuenies, non vt ab ipsis homo ille superaretur, sicut & nos, sed vt commotæ vincerentur virtute inhabitantis Verbi: & sic natura nostra reformaretur ad melius*. Ipsa ergo mors, alioqui infirma, & fragilis, in Christo tantam habuit virtutem, & pariter ipse timor mortis in ipso, vt posset nobis fortitudinem, & robur præstare ad non formidandas, & superandas etiam vniuersas passiones

Matth. 26. Marc. 14. 1. Cor. 1. Heb. 2. Hilarius. Leo. Cyrillus.

& mortes propter ipsum. Vnde & in Psalm. Dauid di-
*Psalm.106.* cit: *Et adiuuit pauperem de inopia.* Quoniam in Christo, etiam de ipsa inopia, & infirmitate carnis exibat virtus, & sanabat, atque ditabat, & corroborabat omnes; &, vt S. Leo dicit, serm. 8. de Pass. *Per crucem Christi datur credentibus virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Obseruandum est secundo, quod in illa sua meditatione Christus Dominus, sicut sanctus Matth. refert,
*Matth.26.* *Procidit in faciem suam, orans, & dicens; Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste:* aut sicut referunt SS.
*Marc.14.* Euangelistæ, Marcus, & Lucas: *Pater, si vis, transfer*
*Luce 22.* *calicem hunc à me.* Cuius loci quamuis plures, & variæ sint expositiones, vna tamen inter alias nobis valde placet: quod Christus Dominus ex summa quadam misericordia & infinita charitate, postulauit à Patre, vt calix Passionis eius, & virtus, atque efficacia illius, si fieri posset, transiret, & transferretur ad omnes homines, quos optabat saluos fieri, & quorum peccata susceperat, vt sua Passione, & morte deleret. Propterea enim oportuit, quod Redemptor humani generis esset Deus, & homo, vt sine peccato existens, posset totius mundi peccata portare, & delere, & vt propriis meritis, & satisfactione ipse non indigens, in alios homines posset sua merita, & iustitiam transferre. Nullius enim hominis peccatum dimissum est ab ipso mũdi principio, quod in Christum non sit translatum, & virtute calicis, ac Passionis Christi condonatum. Hinc est quod peccante Dauid, & pœnitentiam agente, ac
*2. Reg.12.* dicente, *Peccaui Domino*, Nathan Propheta ei respondit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Non dixit *Dominus dimisit* peccatũ tuum, aut *Mundauit*, sed *Transtulit*. Quemadmodùm & ipse Dauid, postmodùm orãs pro remissione alterius peccati sui, dixit ad Dominum,
*2.Reg.24.* *Peccaui valde, sed precor, Domine, vt transferas iniquitatẽ serui tui.* Quænam, obsecro, est ista translatio peccati? Nulla certè alia, nisi ea, quam cœpimus dicere: quod Pater æternus omnia peccata, quæ hominibus remittebat, transferebat in Christum, vt in ipso ea vindicaret, & ipse Christus omnia illa super se tollens, & pro eis Patri satisfaciens, Passione sua, & morte perfectè

deleret

deleret Vnde & de ipso Dauid peccante, & pœnitentiam agente, dicitur in Ecclesiast. *Christus purgauit peccatum illius*: quia peccatum eius ita dimissum & trãslatum est in Christum: vt sola virtute Passionis Christi, & merito illius purgatum sit, atque remissum. Nam propterea etiam peccatum Dauid remissum, appellatur translatum, quia remissum est illi in ordine ad Passionẽ Christi, & cum dependentia ad illam: vel quia quamuis dimissum esset illi peccatũ, ita vt iustificaretur, & mundaretur, non tamen plene remissum erat illi, quantum ad introitum Gloriæ, quousque Christus moriens in cruce aperiret iustis ianuas Regni cœlestis. Hinc est, quod de agno, qui in Apocal. dicitur, *Occisus ab origine mundi*, dicit etiam S. Ioan. *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi*. Peccata enim mundi tulit Christus, & tollit: non solum, quia ea remittit, & delet, sed etiam, quia super se ipsum ea tulit, atque portauit, vt pro illis moriendo satisfaceret, sicut etiam per Esaiam dicitur; *Omnes nos sicut oues errauimus, &c. Et Dominus posuit super eum iniquitates omnium nostrum*. Et in 1. Canonic. D. Petrus, *Qui peccata nostra*, inquit, *ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus*. Ecce ergo his locis constat, Dominum transtulisse, & proiecisse vniuersa humani generis peccata, vt in eo omnia illa vindicaret, atque deleret, & peccatores homines saluos faceret, vt non perirent: quemadmodum per Esaiam etiam dixit Ezechias Rex; *Tu autem eruisti animam meam, vt non periret: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*. Vt animæ hominum non perirent, vniuersa eorum peccata post tergũ Christi proiecta sunt, & in dorsum eius translata, vt in ipso de omnibus vindictam Deus condignam sumeret, & accepta satisfactione placatus, omnino deleret. Propterea per Esaiam ipse Christus dicebat; *Dorsum meum dedi in flagella*: quia in illius tergo, siue dorso, omnia nostra peccata proiecta sunt, & flagellata, castigata, atque vindicata: in quo etiam omnis ira Dei contra peccatores quieuit, & in misericordiam, reconciliationem, & pacem conuersa est: sicut & ipse Christus dicebat Patri per os Dauid; *in me transierunt iræ tuæ*. Ac si diceret; Omnis iracundia tua, & furor, atque vindicta aduersus

Margin notes: Eccles. 47. — Apoc. 13. — Ioan. 1. — Esa 53. — 1. Pet. 2. — Esai. 38. — Esai. 50. — Psal. 87.

omnia peccata hominum, in me transiuit, in me translata est cum ipsis peccatis, vt in meipso iusta eorum vindicta sumeretur, & ab humano genere deinceps omnes iræ tuæ, simul cum illius peccato, transirent, ac penitus abolerentur, & peccatis mortui, iustitiæ, & sanctitati omnes viuerent. Propterea igitur in oratione sua Christus Dominus orauit ad Patrem, vt transferret calicem Passionis suæ ab ipso: vt quemadmodum vniuersa hominum peccata in eum translata sunt, vt in ipso vindicarentur, ac delerentur; ita etiam iustitia, & virtus, & meritum Passionis eius, transiret ab eo in ipsos homines, vt viuificarentur, & iustificarentur,

2. Cor. 5. & salui fierent. Et fortassis idcirco de Christo dicit Apostolus in epistola 2. ad Corinthios. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Quia quamuis ipse Christus nullum peccatum habere potuit, omne tamen peccatum totius mundi in eum translatum est, vt pro illo pateretur, atque satisfaceret. Atque ita quasi peccatum totius mundi factus est, quod super se tulit, & in se ipso deleuit. Similiter nos efficimur iustitia Dei in ipso; quia omnis iustitia Passionis, & calicis eius, in nos translata est ab ipso, per quam participamus in nobis ipsis iustitiam, & sanctitatem, & gratiam: & peccatis mortui, Deo viuimus, & æternæ vitæ accipimus hæreditatem.

Obseruandum est tertio id, quod in oratione sua Christus statim subdit; *Veruntamen, non mea voluntas, sed tua fiat.* In quo perfectam nobis obedientiæ, & humilitatis formam dedit: quæ in hoc consistit, vt nunquam voluntas nostra, semper autem Dei voluntas

Joan. 6. fiat: sicut & ipse Christus alio loco dicebat; *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius,*

Anselm. *qui misit me. Habere propriam voluntatem* (ait D. Anselmus in libr. de Incarnatione Verbi, cap. 4.) *& quæ superioris voluntati subdita non sit, solius Dei proprium est, de*

Psalm. 134. *quo scriptum est; Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra. Quicunque igitur propria voluntate vtitur* (ait Anselm.) *ad similitudinem Dei per rapinam nititur, & Deum propria voluntate, & singulari excellentia priuare, quantum in ipso est, conuincitur.* Et propterea hæc propria voluntas (quæ ideo propria nominatur, quia à

Dei voluntate recedit) non solum inobedientia est cõtra Deum, sed etiam ingens superbia, & illa superbia, quæ initium est omnis peccati. Et, sicut recte dixit idẽ Anselmus, lib de similitudinibus, cap. 8. *Quemadmodum propria Dei voluntas, fons est, & origo omnium bonorum, ita propria voluntas hominis, fons est, & exordium malorum omnium.* Diuus Bernard. serm. 3. de Resurrectiõn. vocat eam, *Lepram nimis pessimam*: & subdit; *Quid enim odit, aut punit Deus, præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* Vnde & Salomon in Ecclesiast. vnunquemque nostrum admonet, inquiens; *A voluntate tua auertere.* Adeo enim nociua, & venenosa est propria voluntas nostra, quod non solum causa est malorum omnium, sed etiam, si qua bona ex propria voluntate fiant, & prætermissa superioris voluntate, eo ipso apud Deum bona non reputãtur, neque grata illi sunt, sicut per Esaiam Dominus Dixit; *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra* Quæ verba referens Bernard. serm. 71. super Cant. inquit; *Si in die ieiunij mei inuenitatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit Sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, sed vitium propriæ voluntatis sapit.* Et postea subdit; *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua, tibi bona non sint.* Deniq; Ioannes Cassian. lib. 4. de Institut. Cœnobiorum, cap 8. inquit, *Sanctos monachos, multis experimentis edoctos, tradidisse, & pronuntiasse, neminem posse, iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere; sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, & firmam concordiam posse retinere, nec in Cœnobio quidem diutius permanere eum, qui prius voluntates suas proprias non didicerit superare* E contra vero proprium voluntatem non habere, sed Dei voluntati in omnibus subditam, totius vitæ Christianæ forma, & perfectio est. Propterea Dauid dicebat; *Vita in voluntate eius.* Quia summa totius vitæ Christianæ, & spiritualis, in hoc sita est, quod in nobis non nostra voluntas propria, sed diuina voluntas in omnibus fiat. Et propterea dicebat Deus per Esaiam, ad animam viri iusti: *Non vocaberis vltra, Derelicta, & terra tua non vocabitur amplius, Desolata, sed vocaberis, Voluntas mea in ea, & terra*

*Ansel.* *Bernard.* *Eccles. 18.* *Esai. 58.* *Bernard.* *Cassianus.* *Psal. 29.* *Esai. 62.*

*tua, Inhabitata: quia complacuit Domino in te.* Illa anima derelicta est à Deo, & ipsum non habet habitatorem, quæ suam propriam sequitur voluntatem: illa autem, quæ diuinæ voluntati in omnibus subiecta est, & suam propriam non habet, hæc nunquam à Deo deseritur, sed ipsum habet in corde inhabitantem, cui & gratissima est, & quasi perfectionis quendam apicem adepta. Vnde refert Cassianus, libr. 5. de Institut. Cœnobiorum, cap. 28. quod *Cum quidam fratres sanctum senem iam prope moriturum suppliciter precarentur, vt aliquod eis memoriale mandatum relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen, præcepti compendio, facilius peruenire, ingemiscens ille dixit, Nunquam meam feci voluntatem.* Hanc ergo perfectionis formam multo perfectius ipse Christus in oratione sua ad Patrem, iam prope moriturus, nos docuit, inquiens; *Veruntamen, non mea voluntas, sed tua fiat.* Quæ verba referens D. Leo, sermon 7. de Passione, egregie inquit; *Hæc vox capitis, salus est totius corporis: hæc vox omnes fideles instruxit: omnes confessores accendit: omnes Martyres coronauit, &c.*

*Cassianus.*

*Leo.*

Obseruandum est quarto in hac oratione, & meditatione Christi, quanta fuerit afflictio, & agonia illius sanctissimæ carnis, quæ vsque ad sanguineum sudorem totius corporis deducta est. Sic enim dicit S. Lucas: *Et factus in agonia prolixius orabat: & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quod profecto non ex imbecillitate, & impotentia aliqua, factum est, sed ex impetu, & fortitudine spiritus, & maxima vi diuini amoris, quo in illa sua meditatione exarsit Christus erga nos, & salutem nostram: *Volens* (vt Bernardus ait, sermon. 3. de Ramis Palmarum) *non solis oculis, sed membris omnibus flere, vt totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius corporis sui lacrymis purgaretur.* O summam, & incredibilem diuini amoris in Christo erga nos exhuberantiam! O mirabilem dignationem! O copiosam apud ipsum humani generis redemptionem, & vere nimiam pretiosi sanguinis effusionem: qui non solum in cruce, sed etiam in oratione, de toto eius corpore simul cum sudore manauit, & vsque ad terram decurrit, atque defluxit. Primus Adam inobediens & peccator, solo sudore vultus sui iubetur vesci

*Luc. 22.*

*Bernard.*

pane ſuo, vt noſter ſecundus Adam, qui peccatum non nouit, vt omnium peccata defleret, atque deleret, non ſolo vultu ſuo, ſed toto corpore ſanguineum ſudorem mittit. Sacerdotes olim, apud Ezechielem, cum ingrederetur portas atrij interioris, & miniſtrarent, præcipiebat Dominus, vt non accingerentur ita ſtricte, ac violenter, & fortiter, vt ſudarent. *Et non accingentur*, ait, *in ſudore.* At noſter Ieſus, ſummus ſacerdos, & Pontifex, in interiori atrio ſuæ orationis, & ad portas futuræ Paſſionis deueniens, ita ſtricte, ita fortiter, & valide ſe accinxit, vt non leuiter, ſed copioſè, non quocunque ſudore, ſed ſanguineo, non vna parte corporis, ſed toto corpore anxius, & quaſi vino amoris ebrius deſudauerit. *Contritum eſt cor meum in medio mei* (ait per Hieremiam) *contremuerunt omnia oſſa mea: factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino à facie Domini, &c.* In illa enim oratione, quam habuit pro nobis ante faciem Domini, ita exarſit amore ſalutis noſtræ, ita concaluit cor eius, ita contritum eſt, ita liquefactum, ita inebriatum (*Calix enim inebrians, Chriſti amor eſt*, vt Bernardus dicit, ſermon. 44 ſuper Cant.) vt merito factus ſit quaſi vir ebrius, quem vinum incēdit, & ſuperauit: atque ſicut homo madidus, non à vino, ſed à ſanguine pretioſo, quem effudit propter nos abundè. Et bene madidus dicitur, qui non ſolum corpore, ſed etiā veſte perfuſus eſt, ſanguine vſque ad terram decurrente. Eant ergo miſeri homines, & filij huius ſæculi, & cum Salomone conſiderent labores, in quibus fruſtra deſudarunt, ac vane, atque, illis relictis, conuertantur, & reuertantur ſimul ad Chriſtum Dominum in horto orantem pro nobis ad Patrem, & in meditatione ſua afflictum, & ſanguineo ſudore madidum: vt ad ipſum conuerſi, & ad huius ſanguinis effuſionem accedentes, & ipſi mundentur, inebrientur, & Chriſti ſudore recreantur, purgentur, & ad ſanitatem integram corporis, & animæ, reducantur. Abſit enim à viro Chriſtiano, qui conſiderat in hac Chriſti oratione, & meditatione, diuinum cor illius, afflictione contritum, igne, amoris feruentiſſimi accenſum, & concalidum, atque ardore, & deſiderio patiendi ebrium, & in agonia ſudorem ſanguineum vſque ad terram dif-

*Ezech. 44.*

*Hierem. 23.*

*Bernard.*

*Eccleſ. 2.*

fundens: absit, inquam, à viro Christiano deinceps, cor durum, cor ferreum, ac rubigine peccatorum immundum, atque deforme: ne forte de eiusmodi anima misera dicat Christus Dominus, quod per Ezechielem olim prædixerat, *Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* (Ezech. 24.)

Sed & illud obseruandum est, quod S. Lucas inquit, *Apparuit autem Angelus de cœlo, confortans eum.* (Luc. 22.) Familiare est hominibus, qui in tristitia, aut angustia aliqua constituti sunt, amicorum consiliis & sermonibus, consolati, & cõfortari: queadmodum de S. Iob dicitur, *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti: vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti.* (Iob. 4.) Excellebat enim sanctus vir, speciali gratia exhortandi, & consolandi afflictos homines, & ærumnosos, sicut & posteà ipse dicit, *Atque vtinam esset anima vestra pro anima mea; consolarer & ego vos sermonibus, & roborarem vos ore meo.* (Iob. 16.) Vbi D. Gregor. libr. 13. Moral. cap. 3. inquit. *Eos inter flagella roboramus, cum doloris eorum vim verbis mitibus lenimus.* (Gregor.) Ad eundem modum, lib. 1. Reg. dicitur de Ionatha, qui verbis amicabilibus consolatus est Dauid, *Surrexit Ionathas filius Saul, & abiit ad Dauid in syluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitque ei, Ne timeas, &c.* (1. Reg. 23.) Solent etiam plerumque homines sancti, cũ in angustia, & afflictione, cõfugiunt ad Dominũ in oratione, ab Angelo verbis cœlestibus, & diuinis reuelationibus consolari, atque confortari, quemadmodum Danieli contigit. Qui cũ in afflictione constitutus lugeret & consternatus esset metu, ac tremore, & adorationem confugisset, Angelus Domini statim consolatus est illum, atque corroborauit, sicut ipsemet Daniel dicit, (Daniel. 10.) *Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & cõfortauit me: & dixit, Noli timere, vir desideriorum, pax tibi; confortare, & esto robustus. Cumque loqueretur mecum, conualui, & dixi, Loquere, Domine mi, quia confortasti me.* Similiter ergo Christus Dominus, qui ex abundantia pietatis suæ *voluit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt propitiaret peccata populi* (Hebr. 2.) sicut Paulus dicit, hunc etiam humanæ infirmitatis af-

fectum, & defectum assumere voluit, vt & verum hominem se esse ostenderet, & affectus nostros, atque defectus assumendo, reformaret, atque sanaret. Sic autem accipiendum est, quod dicitur, *Confortans eum*: non quod Angelus Christum docuerit, atque illuminauerit, aut robur aliquod ei addiderit Certum est enim, ipsum nullo præsidio Angelorum indiguisse. Sed proptereà eum confortasse dicitur, vt recte, & copiose tradit Epiphanius, lib. 2. contra Hæreses, cap. 69. *Epiphan.* quoniam admiratione ductus super excellentia benignitatis eius erga homines, quod cum Deus esset, & à propriis Angelis suis adoraretur, propria voluntate induit carnem, & vsque ad Passionem, & mortem crucis peruenire pro salute humani generis voluit: admiratione, inquã, ductus confitebatur maximã illius fortitudinẽ, & virtutẽ. quasi diceret, Tua est potẽtia, tua est fortitudo: *Vt adimpleret*, ait Epiphan. *id, quod à Moyse scriptum est, Adorent ipsum omnes filij Dei, & confortent ipsum omnes Angeli Dei.* Aut certe si eum cõfortasse dicatur, quia verba consolatoria (quibus neque ipse indigebat) ei alloquutus est, quibus posset tristitia eius depelli, & inferior portio confortari, hoc dispensatiue admisit Christus, vt nos instrueret, non defuturos electis Angelos, maxime cum in angustia fuerint & in necessitate constituti, dicente Dauid, *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* *Deuter. 32. Secundum alian literam.* *Psal. 33.* Et fortasse Angelus ille, videns Christum in oratione procidisse super faciẽ suam, & super terrã, atque in tristitia, & agonia positum dicebat illi verba illa, Iudic. 6. quæ Angelus dixerat Gedeoni, in tristitia, & angustia *Iudic. 6.* constituto, *Dominus tecũ, virorũ fortissime*: aut verba Esa. *Consurge, cõsurge induere fortitudine, Brachium Domini. Nunquid tu non percussisti superbum, & vulnerasti draconem? Nunquid non tu siccasti mare, aquã abyssi vehementis?* Et infra, *Quis tu, vt timeas ab homine mortali?* Et paulo post, *Esai. 51.* *Eleuare, eleuare, consurge, Hierusalem: quia bibisti de manu Domini calicẽ iræ eius.* Bibit enim Christus Dominus, atque gustauit calicem iræ Dei, & indignationis contra genus humanum, in oratione & agonia, ita vt diceret ad Patrem, *Si possibile est, transeat à me calix iste*: sed, si- *Matth. 26.*

cut Angelus proponebat, consurrexit in fortitudine
Mar. 14. spiritus, & brachii sui, dicens Patri, *Non mea voluntas sed tua fiat.* Cōsurrexit etiā ab oratione, vt Discipulos excitaret, atque ipse confortaret: ac deniq; vt alacri animo, & constanti, occurreret hostibus, venientibus ad comprehendendum eum, inquiens, *Surgite, eamus:*
Marc. 14. *ecce appropinquauit, qui me tradet.*

Deniquè illud obseruandum est hoc loco, quod S. Ioannes dicit, *Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum Discipulis suis:* vt ex hoc intelligamus, quod locus orationis non efficit hominem, verum oratorem, nisi intus illi adsit gratia Spiritus sancti, sine qua nullius oratio vera, ac Deo grata esse potest Ecce Christus in loco orationis perfectissimam orationem habuit ad Patrem, sed Apostoli in eodem loco orationis dormiebant, & grauati erant somno: Iudas vero notabat locum, in quo posset tradere, & comprehendere Iesum. Et, vt August. dicit, tract. 112. super Ioannem. *Ibi lupus, ouina pelle*
August. *contectus, dudicit, vbi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem.* Introiuit in hortum Iesus, intrauerunt & Apostoli Iudas etiam ingressus est, non vt oraret, sed vt locum proditioni opportunum diligenter notaret: & vt, S. Dauid de illo prædixerat Psal. 40.
Psal. 40. *Ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatē sibi. Ingrediebatur* profectò, quærens opportunitatem, quomodo Christum traderet: *vana loquebatur* cum Iudæis, & Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Quē autem fructum ille ex orationis horto collegit sibi? *Cor eius congregauit iniquitatem sibi.* Quia sicut posteà pœnitendo, ita & tunc in horto, orando peccauit. De
Psal. 108. quo proinde merito scriptum est, *Et oratio eius fiat in peccatum.* Iustis quidē hominibus, & amatoribus Christi, locus orationis ad spiritualem profectum & interiorem animæ lætitiam conducit, dicente Domino per
Esai. 56. Esaiam, *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Cæterum, sicut S. Greg. docet, lib 33. Moral. c. 21. *Nonnulli sunt intra sanctam Ecclesiā*
Gregor. *quæ verus locus orationis est, qui prolixas ad Dominum preces habent: sed vitam deprecantium non habent: nam promissa*

*cælestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt.* Vnde paulo inferius subdit, *Virtutis igitur pondus oratio non habet quã* nequaquam perseuerantia continui amoris tenet.

§. 2.

IEsus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit, Quem quæritis? Responderunt ei? Jesum Nazarenum, &c. Hic est secundus Christi egressus ex loco orationis ad locum Passionis, quæ initium habuit ab eius comprehensione: in qua, Iuda antecedente, *Cohors, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primum, &c.* vt S. Ioan. narrat. In qua comprehensione, multa sunt nobis obseruanda.

In primis obseruandũ est, qua promptitudine animi & audacia, processit Christus obuiã armatis hostibus: & qui prius calicem Passionis expauerat, vt nostram infirmitatem ostenderet, & roboraret, iam exultanti, & cõstantissimo animo ipsũ aggreditur & Petro Apostolo ipsum defendere conanti dicit, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Et, vt verbis vtar S. Iob, *exultat audacter, & obuiam pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio:* vt impleretur, quod per Esaiam prædictum erat: *Dominus sicut fortis egredietur: sicut vir prælia tor suscitabit zelum, & super inimicos suos confortabitur.* Quis enim alius egressus est ad Passionem tanta fortitudine animi, sicut Christus, qui in oratione cõfortatus, & zelo nostræ salutis accensus processit obuiam hostibus, capi, ac ligari voluit ab iis, qui ad ipsum cõprehendendũ exierũt tanquam ad latronẽ. Tunc, sicut Hieremias prædixerat, *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.* In qua sane cõprehensione ita egressus est Dominus obuiã inimicis, vt formam serui illis obiecerit cõprehendendam, & ligandam, & iniuriis afficiendam, formã vero Dei, & maiestatem eius absconderit, quo facilius possent inimici in eum manus extendere. Vnde & de ipso S. Iob prædixerat, *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, neque egressus sum ostium.* Sicut enim egregie adnotauit D. Greg lib 22. Moral. cap. 12. *Ipse ad multitudinem nimiam non expauit, qui persequutores suos, cum gladiis, & fustibus venientes, vna tantum responsione percus-*

Job 39. Esai. 42. Thren. 4. Job. 31. Gregor.

*sit, dicens, Ego sum: Ipsum de spectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis suppliciis liberans, palmas in facie æquanimiter accepit. Ipse tacuit, & ostium egressus non est, qui sub ipsa iam hora Passionis, cum humanitatis infirma pateretur Diuinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe* Dei, *& hominum, quasi egredi ostium fuisset, si, cum teneretur vt homo, maiestatis suæ potentiam voluisset ostendere, & per Diuinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire.*

Ioan. 10. (Siquidem quasi ostium Diuinitatis fuit suscepta caro,
1. Cor. 2. dicente ipso per Euangelistam, *Ego sum ostium.*) *Vt autem apertius homo mori posset, Deus mansit occultus: quia si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non est ergo egressus ostium, qui inter persequutorum manus, & corpus Passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, & resistentibus noluit monstrare, quod erat. Vnde etiam per Psalmistam dicitur,*

Psal. 87. *Posuerunt me in abominationem sibi: traditus sum, & non egrediebar. Cum enim despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam suam maiestatem ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit, in eo quod persequutoribus suis incognitus mansit, ad eos minime exiuit* Hæc ex D. Gregorio.

Deinde obseruandum est, quod S. Matthæus de Iuda proditore dicit, *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens. Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Et sanctus Marcus addit, *Et ducite caute. Et confestim accedens ad Iesum, dixit, Aue Rabbi. Et osculatus est eũ. Dixitque illi Iesus, Amice, ad quid venisti?* Merito quidẽ de hoc signo fraudulento pacis, & amicitiæ, exclamans

August. Aug. ser. 121. inquit *O signũ sacrilegũ õplacitũ fugiendũ, vbi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum.* Et serm 117. conuersus ad impium Iudam dicit, *Officio sanguinem fundis, pro pignore amoris, vulnus infligis, pacis argumento mortem immitis: seruus Dominum tradis, Discipulus Magistrum prodis.* Propterea de hoc Iu-

Psalm. 40. dæ signo hypocrisi pleno dicitur in Psa. *Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Hominẽ pacis* vocat Ironice aut per Antiphrasim, qui per pacem didicit facere bellũ, & labiis Christũ honorans, ipsum magnifice supplãtare conatus est. De quo etiã per Hier. Dominus dixit, *In ore suo pacẽ*

Hierem. 9. *cũ amico suo loquitur & occulte ponit ei insidias,* Vnde, & quasi

rem inauditam, & omni dolo, ac fallacia plenam Christus admirans, dicebat ei, *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Hoc est (vt D. Ambr. mirabiliter loquitur sup. Psal. 39.) *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? Osculo, quod sacræ pacis insigne est? Osculo, quo amicitia fida firmatur? Osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes? et tradis Filium hominis, homo, qui propter hominum salutem descendit de cælo? Filium hominis tradis, qui te ex peccatore Apostolum fecit? Filium hominis tradis, qui venit, vt in sanguine suo omniũ peccata dilueret? Ego osculum non nego: ipse videris, qui violaueris osculi sanctitatem. An non legisti, quòd vtiliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici?* Sed quid miramur, quòd perfido osculo Iudas tradiderit Christum, qui ausus est sacrilego pretio illum vẽdere, & tradere Iudæis? Sic enim dicit S. Lucas de ipso Iuda, *Abyt, et loquutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodùm illum traderet eis. Et gauisi sunt: et pacti sunt pecuniam illi dare*: &, sicut S. Matth. explicat, *Constituerunt ei triginta argenteos*. O cæcam Iudæ dementiam cum summa iniquitate, & impietate coniunctam, qui, cùm scriptum sit, *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo*, non est veritus tam immane flagitium committere, vt mediatorem Dei, & hominum, Christum Iesum, atque ipsum Deum, & hominem, tam vili pretio vendiderit; de quo etiam scriptum est, *Nescit homo pretium eius.* Nam, vt optimè dixit D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 18. *Quomodo poterat verum eius pretium comprehendi, cuius non potest meritum definiri? O Iuda proditor, vnguentum Passionis eius trecentis denarijs æstimas, et Passionem eius triginta denarijs vendis? O informem laqueum proditoris, sed deformius pretium Iudæorum, argentum reprobatum, quo aut emitur ad necem iustus, aut venditur!* Hæc ex Amb. *Decorum pretium* (inquit Zachar.) *quo appretiatus sum ab eis.* Ironicè, atque irrisoriè, vocat illud pretium, *decorum*, quia vilissimum erat, & indignum, vt eo Christus aut emeretur, aut venderetur: quemadmodùm apud Hispanos in vsu est, rem vilem, & minoris æstimationis, appellare (*Gentil cosa*: *Preciosa cosa*) quasi ironicè, iudicando eam indignam, & nullius valo-

Ambros.

Esai. 13.

Iob 28.

Ambros.

Zachar. 11.

ris ad id, ad quod assumitur. Quod alijs verbis S. Mat-
Matth. 27. thæus, cap. 27. vocauit. *Pretium appretiati*. Ironicè enim dicit, *Appretiati*, hoc est, illius, qui nullo pretio æstimari, aut appretiari potest & propterea ab impijs Iudæis appretiatus est, quia nescierunt, neque intellexerunt, Christum Dominum nullo pretio posse æstimari. Eodem sensu, vt diximus, hoc vile pretium, quo Christum Iudæi emendum, atque vendendum iudicarunt, decorum vocatur (sicut docet Hieron. lib. 3. Cō-
Hieron. mentar. sup. Zachar.) per irrisionem quandam, & subsannationem illius immanissimi sceleris. Cuius neque Iudas euasit pœnam, qui (vt S. Matth. refert) impia *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos: & abiens, laqueo se suspendit*: sed neque Iudæi euaserunt sui reatus supplicium, qui Gentibus traditi sunt, ac venditi vilissimo, aut nullo pretio, & in miseram seruitutem redacti: de quibus scriptum est, *Dedisti nos tanquam oues escarum, & in Gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pre-*
Psal. 43. *tio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum*. Et per
Esai. 50. Esaiam, *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram*. Fertur etiam, in tantam miseriam, atque opprobrium eos deuenisse in vastitate illa Hierosolymitana, vt triginta Iudæi vno argenteo nummo venderentur.

Habet tamen nescio quid latentis mysterij, hoc signum, quod Iudas proditor dedit comprehensoribus Christi, inquiens, *Ipse est, tenete eum, & ducite caute*. Quod signum si spirituali sensu ad nos referamus, quibus incumbit Iesum quærere, atque *comprehendere* (sicut Pau-
Philipp. 3. lus ad Philipp. scribit, *Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu*. Et ad
1 Cor. 9. Corinth. inquit, *Sic currite, vt comprehendatis*) profecto velut alter Caiphas prophetauit, nesciens quid diceret, & signum dedit nobis, quo Christum cognoscamus, & ad salutem animarum nostrarum, comprehendamus. Nam *ipse est*, qui per Moysem dixit, *Ego sum,*
Exod. 23. *qui sum*: & militibus venientibus ad comprehendendū
Ioan. 18. ipsum, *Ego sum*, inquit: *Si me quæritis, &c.* Deinde necesse est quærentibus Christum, tenere eum, & capere vinculis ardentissimæ charitatis, sicut Sponsa dicebat, *Quæsiui, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam,*

*Nec dimittam*, inquit. Quoniam oportet, etiam postquàm tenuerimus Christum, caute illũ ducere, ne forte propter peccata nostra, aut se abscondat, aut effugiat à nobis, & nos deserens, ad alios se conferat. *Tene* inquit, *quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Cant. 3. Apoc. 3.

Sed videamus oportet, quo pacto egressus sit Dominus obuiam hostibus suis, & ab eis comprehensus. *Processit*, inquit, *& dixit eis, Ego sum. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierũt, retrorsum, & ceciderunt in terrã.* Ecce qui dixit *Tacui, nec egressus sum ostium*, vno verbo, quod egressum est de ore illius, *Ego sum*, percussit impios, & ad terram prostrauit: vt & in hoc sermo Dauid adimpleretur, qui dixit? *Dum appropriant super me nocentes, vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.* Et iterum, *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt auferant eam: conuertantur retrorsum, & reuereantur, qui volunt mihi mala.* Atque vtinam ita confunderentur, vt peccatum suum agnoscerent, & maiestatem Christi reuererẽtur: sed propterea abierunt retrorsum, & ceciderunt, quia & propria malitia, & Christi virtute excæcati, nec culpam suam, neque damnationem videre voluerunt. De quibus scriptum est, *Via impiorum tenebrosa, nesciunt, vbi corruunt.* Quorum proinde casus irreparabilis fuit. Sed & alia ratione, Dominus vno verbo illos ad terram prostrare voluit, vt doceret eos, quod *Non inuitus ad Passionem iret* (vt Chrysost. ait, Homil. de conuersione Pauli) *neque superabilis esset, nisi sponte sua eis permitteret*: sicut ipse Christus antea dixerat: *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.* Non est egressus ostium Christus Dominus, sed hostes eius cæcitate percussit, & qui, tãquam illi, qui comprehendere conabãtur iustum Loth, ostium inuenire non poterant, ad ipsum ostium Domini corruentes, retrorsum ceciderunt. Sicut sacra nos docet 1. Reg. Historia, comprehensa ab hostibus arca Domini, Heli senex, & cæcus, audito nuntio, *Cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus, mortuus est.* Non aliter Pontifices, & ministri Iudæorum, peccatis inueterati, & malitia sua excæcati, & Christum à militibus Gentium, quasi arcam Domini, comprehendi velle videntes, & consentientes, iuxta ostium ipsum,

Psal. 26. Psal. 34. & 39. Prouer. 4. Chrysost. Ioan. 10. 1. Reg. 4.

quod Christus erat, miserè corruerunt, & perierunt. Quid enim est iuxta ostium cadere, nisi quemadmodum D. Greg. insinuat, libr. 3. Comment. sup. 1. Reg. cap. 2. cùm cæci essent, & errarent, in Redemptorem impigerunt, & offenderunt? Sed vtinam nos, qui ad ostium fidei stamus in Christo, dum perpendimus, quanto dolore animi Heli senex percussus sit, cùm audiuit, arcam Domini captam esse ab hostibus, considerantes Christum Domini, arcam noui testamenti ab inimicis captam, & comprehensam pro peccatis nostris, eo dolore, atque eo amoris affectu, ei cōpatiamur, & crimina nostra defleamus, vt de cætero vetus homo noster (velut alter senex Heli) corruat, & moriatur in nobis: &, sicut S. Petrus Apostolus in 1. Canonica, inquit, *Peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati simus.*

Gregor.

1. Pet 2.

§. 3.

COhors autem, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primùm, &c. Mirabile profectò est, & omni consideratione nostra, ac meditatione recolendum, quanta passus sit Christus Dominus in hac sui comprehensione, & delatione ad Pontifices, & iudices, & à quibus tot, ac tantas iniurias sustinuerit.

In primis in hac Annæ, domo, dum respondet Pontifici interroganti eū de doctrina sua (sicut S. Euangelista narrat) *Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Ecce quomodo, vt refertur in libro Iudicum, noster Samson ligatus à filijs Iuda in petra Ethan, ductus est ad locum maxillæ. Ethan, vt Hieronymus dicit, interpretatur, *Fortitudo eorum*: & Christus potestate, & vi Iudæorum, ligatus est à Gentibus (*Hæc est hora vestra, & potestas, &c.* & ductus est ad locum maxillæ: non qua ipse feriret inimicos, sed in qua cæderetur ignominiosè ab eis, qui percusserunt maxillam Iudicis Israël. Quam ille iniuriam patientissimè tulit, & impletum est, quod Hier. prædixerat, *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs.* Et bene, saturatus oprobrijs dicitur, qui non solum in ea domo alapam patienter suscepit, quia velut alter Michæas testimonium perhibebat veritati, sed

Iudicum 15.

Hieron.

Lucæ 22.

Hier. 3.

3 Reg. 22.

etiam coram alijs iudicibus, ſicut ſancti Euangeliſtæ referunt, expuerunt in faciem eius: & alij *Colaphis eum cædebant*, alij autem *Palmas in faciem eius dederunt*. Quæ omnia propter nos mira patientia, & manſuetudine tolerauit Chriſtus Dominus, & multo maiori quàm S. Iob, qui ſimiles iniurias ſe toleraſſe ab inimicis affirmat inquiens, *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrãtes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.* Et in alio loco, *Abominabantur me, & longe fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Et rectè dixit, *Non verentur*: quia nulla maior irreuerentia eſſe potuit, quã non revereri faciem illam Chriſti Ieſu, in quam deſiderant Angeli proſpicere. Sed propter gloriam Patris, & noſtram ſalutem, ipſe innocentiſſimus Saluator cum ſumma humilitate, ac reuerentia, ignominiam hanc, & confuſionem ſuſtinuit, dicens ad Patrem per os Dauid, *Propter te, ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.* Et infra: *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam.* Sed nos, qui faciem Chriſti Ieſu quærimus, & reueremur, & propter peccata noſtra credimus alapis cæſam, ſputis dehoneſtatam, & irriſoriè velatam, cum ſumma reuerentia, & humilitate dicamus ad Patrem cum S. Propheta: *Protector noſter, aſpice, Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Sic enim fiet, vt cum ille reſpexerit in faciem Chriſti ſui, non confundat faciem noſtram, nec auertat faciem ſuam à nobis in tempore tribulationis, aut in tempore neceſſitatis, propter eum, qui propter nos puriſsimam *Faciem ſuam non auertit ab increpantibus, & conſpuentibus*, vt obtineret nobis ipſum Deum propitium, & auxiliatorem.

*Iob. 16.* *Iob. 30.* *Pſal. 68.* *Pſal. 83.* *Eſai. 50.*

Deinde, ſicut S. Ioannes Euangeliſta narrat, *Miſit Ieſum Annas ligatum ad Caipham Pontificem, &c.* In hac domo Caiphæ Pontificis paſſus eſt Dominus aliam grauiſſimam iniuriam, & ſummum quendam dolorẽ, quando Apoſtolus Petrus, quem maximè diligebat Ieſus, non ſolum eum deſeruit, ſed etiam ter, & cum iuramento, negauit: ita vt poſſet dicere cum Sancto Iob, *Quem maxime diligebam, auerſatus eſt me.* Olim Petrus, imo & paulo ante dixerat Ieſus, *Quare non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te ponam.* Et, vt S. Matth. dicit, in ipſa comprehenſione Domini, *Extendens*

*Iob. 19.* *Ioann. 13.*

*manum, exemit gladium suum: et percutiens seruum Principis sacerdotum, amputauit auriculam eius* ( Et rectè dixit,
Math. 26. *Extenden* manum: quia ad id, quod sibi illicitum, & prohibitum erat, manum applicuit. Ad eum modum quo Christus dixit, *Et non extendistis manus in me.* Et in Psal-
Luce. 22. mo. *Vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Et
Psal. 124. propterea, sicut August. dicit, lib. 22. contra Faust. cap.
August. 70. *Hoc factum Dominus satis minaciter cohibuit, dicens: Mitte gladium tuum in vaginam, &c* ) Et ecce modo sic ancillæ verba formidauit, vt quod antea tot tantisquè verbis promiserat, atque cõfessus fuerat, se nosse Christum, leuissimo metu percussus, verbis, factisque negare veritus non sit. Quo facto Petrus Christum grauissimè offendit, & dolorem maximum super dolorẽ vulnerum eius ei superaddidit, & seipsum Christi charitate priuans, atque amicitia, quasi in nihilum redegit. Vnde & cuidam, dicenti sibi, *Tu de illis es*, ipse respon-
Luca 22. dit; *O, homo, non sum.* Ac si diceret; Qui Christum negaui, atque ideo ab eius gratia, & charitate excidi, profecto iam non sum, & ad nihilum redactus sum, dicente
1. Cor. 13. Apostolo; *Si charitatem non habeam, nihil sum.* Sed Christus Dominus, qui egressus fuerat in salutem populi sui, misertus Petri, egressus est in salutem illius: &, sicut S. Lucas narrat, *Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et egressus foras Petrus, fleuit amare.* Vide, obsecro, quam abundantes sunt isti in egressibus suis. Christus Dominus, trinæ negationis quasi oblitus, abundanter egreditur, respiciens Petrum & misericordia motus super illum, quem diuino vidit intuitu: & pauentis animum, mox vt respexit, erexit, & in fletus pœnitudinis excitauit: atque, vt sanctus Augustinus inquit lib. 1. de Gratia Christi cap. 45. *Cor illius tetigit, memo-*
August. *riam reuocauit, interiori gratia sua visitauit, interioris hominis, vsque ad exteriores lacrymas mouit, & produxit affectum.* Et Petrus ipse recordatus verbi Iesu, foras egressus & à turba, & à seipso, peccatum suum amarissime deflet, & in abscondito plorat anima eius. *Fœlices* ( ait
Leo. S. Leo, serm. 9. de Paß. ) *sancte Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis.* In abscondito plo-

rat

tat B. Petrus, nec verba profert ex ore, sed lacrymas ex intimo corde: ore quidem tacet, sed deducit quasi torrentem lacrymas & nō tacet pupilla oculi eius. Scit enim, quòd (sicut egregiè inquit Ambros. sermon. 46.) *Vtiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum, quia sermo in precando forte fallit, lacryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id et non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum: ac per hoc mauult causam suam flere, quàm dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* *Ambros.*

Post has iniurias à Christo Domino sic toleratas, adducitur tertio loco in domum Pilati Præsidis. Ait enim S. Euangelista, *Adducunt ergo Iesum à Caipha in Pratorium, &c.* Vbi non semel, sed pluries, ipse iudex protestatus est, se nullam inuenisse mortis causam in eo. Et rectè quidem dixit, *In eo*: quia non in ipso, qui innocētissimus erat, sed in nobis, qui peccauimus, fuit omnis causa Passionis illius, & mortis. Qua ratione in persona Christi dixit S. Iob, *Multiplicauit vulnera mea, etiam sine causa*: & alio loco, *Causa tua, quasi impij iudicata est.* *Iob. 9.* *Quasi impij*, ait quoniam illa impietas, nostra fuit: sed Christus eam misericorditer suscepit, vt eam, moriendo sine culpa, deleret. *Iob. 36.* Vnde non sine maximo mysterio S. Matthæus dixit, *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus, Rex Iudæorum*: *Matth. 27.* vt videamus, quod causa ipsius Christi in Passione, nulla alia fuit, quàm quod ex misericordia, & charitate nimia erga nos, homo fieri voluit, & Iesus Rex noster, vt posset peccata nostra suscipere, & moriendo tollere, atque delere. Quam causam super caput eius ideo posuerunt, quia ipse eam libentissime, atque amantissime suscepit, & tanquam honoratissimam sibi super caput suum habere voluit. Tanti æstimauit, Regem se nostrum esse, & hanc Regni sui coronam habere in capite suo.

Sed obseruemus, obsecro, impijssimi Præsidis Pilati iniquam simulationem, & hypocrisim. Contestatur enim multoties, nullam se causam mortis in eo inuenire, & tamen volens populo satisfacere, & hominibus

placere, sicut Matthæus narrat, *Accepta aqua, lauit* Matt. 27. *manus coram populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius*. Non dicit absolutè, quod lauit manus, sed quod *Lauit manus coram populo*, quia exterius tantum, & coram hominibus se se instificare voluit, & innocens, atque inculpatus apparere. Intus enim, & coram Deo, plenus fuit hypocrisi, & iniquitate, & multo iniustior, atque sordidior, quam antea. *In quo se Pilatus non diluit, sed inquinauit* (vt Ambrosius dicit Ambros. super Psal. 61.) *& implicauit, non exuit. Lauit aqua manus, vt sceleratius inquinaret innocentis sanguine. Non* Leo. *purgant contaminatum animum manus lotæ* (ait sanctus Leo, sermone. 8. de Passione) *nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod, famulante impia mente, committitur*. Quid autem prodest, manus lauare, vbi cor illotum, & Psal. 23. impurum manet? Vtraque enim munditia necessaria est, dicente Dauid: *Innocens manibus, & mundo corde*. Non enim potest vere innocens esse manibus, qui non simul lauerit à malitia cor suum, vt mundo sit corde, sicut & sanctus Iob dicebat: *Si iniquitatem,* Job. 11. *quæ in manu tua est abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia*. Parum enim prodest, mundas manus populo ostendere, si in tabernaeulo interiori cordis nostri iniustitia maneat, abscondita quidem ab oculis hominum, sed quæ non lateat Deum, cui manifesta sunt, & aperta, abscondita cordis nostri. Propte- Psalm. 25. rea etiam sanctus Dauid dicebat: *Lauabo inter innocentes manus meas*. Tunc enim lauamus inter innocentes manus nostras, quando simul cum innocentia cordis puras habemus manus bonarum operationum: & non sicut Pilatus, qui coram populo manus lauit, sed in tabernaculo cordis mansit iniustitia aduersus Christum, quem, cum innocentem pronuntiasset, iniustè Ambros. damnauit ad mortem. Nam (vt vtar verbis Diui Ambrosij, sermone 49.) *Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut reum addixisse nequitiæ, nisi quod grauius peccatum est, vnum eundemque & pronuntiare iustũ, & tradere criminosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absoluit, & corde condemnat. Lauerit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluit. Et quamuis abstergere se putauerit iusti sanguinem, eo tamen sanguine*

*mens eius continetur infecta. Ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum.* Quæ verba eadem omnino sunt apud Diu. Augustinum sermone 118. de tempore. *August.*

Neque solam hanc iniuriam irrogauit Christo iniustissimus Præses Pilatus, sed, quemadmodum. S. Lucas refert, *Misit eum ad Herodem. Interrogabat autem cum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Spreuit autem illum Herodes; & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum, &c.* Vbi videmus Dei Filium, quasi pilam proiectam, mitti, & remitti, ab impijs illusoribus, deridentibus simplicitatem iusti & innocentiam. Desiderabat videre signum Rex incredulus, interrogabat eum multis sermonibus homo fraudulentus: & quoniam tacet Christus, nihilque respondet, despicitur, illuditur, & tanquam insanus proijcitur, & remittitur ad Pilatũ. *Lucæ* 23. *Posui ori meo custodiam* (ait Dominus per os Dauid) *cum consisteret peccator aduersum me: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis; & dolor meus renouatus est.* Obmutuit enim, & tacuit coram impio Herode, siluitque à bonis, abscondens ab eo cœlestia bona, mysteria, atque miracula, quæ ille audire, & videre, indignus erat: & (vt verbis vtar D. Gregorij, lib. 10. Moral. cap. 17. & lib. 22. cap. 12.) *Quia Herodem vidit non perfectum, sed signa, vel scientiam, velle mirari, requisitus ab eo, tacuit: & quia constanter tacuit, ab eo irrisus exiuit. Ingratos foris reliquit, magis eligens à superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari.* Propterea ergo dolor eius renouatus est, quia subsannationem, & derisum ab hostibus, eò quod prudenter tacuit, ignominiose sustinuit. *Psal. 38.* *Gregor.*
*Super quem lusistis* (ait Dominus per Esaiam) *super quem dilatastis os, & iniecistis lignum?* Et paulo inferius. *Quia ego tacens, & quasi non videns* Sed obseruemus, obsecro, Pilati, & Herodis iniustissimam simulationem, qua velut callidæ, ac fraudulentæ vulpes vtebantur. Pilatus lauit manus coram populo, & Iesum, quem innocentem pronuntiauit, damnauit ad mortem. Herodes etiam, quem tanquam innocentem, & sanctum, induit stola alba (Sanctorum enim proprium est, atque innocentum, indui stolis albis, & candidis) eundem tanquam insanum spernit, & illudit. Quod si abo- *Esai.* 57.

minatio Domini est omnis illusor, quanto maior abominatio erit iste illusor, ac derisor ipsius Domini, ac Saluatoris: qui, vt hanc iniuriam innocenter, atque patienter sustineret, coram impio Rege tacuit, neque egressus est ostium Diuinitatis, & maiestatis suæ? Sed neque illud mysterio vacat, quod *Facti sunt in illa die amici, Herodes, et Pilatus. In illa die*, inquit: tum quia illa huius sæculi amicitia, stabilis esse non poterat, & illi solo nomina amici vltra diem permanere, & perdurare non valebant: sed quoniam in illa die sibi inuicem honorem detulerunt, & obsequium præstiterunt, quasi muli mutuo fricantes, & scabentes, propterea amici facti sunt: tum etiam, quia in illa die (vt vtar verbis David) isti *Principes terræ conuenerunt in vnum aduersus Dominum, et aduersus Christum eius.* In illo die hanc inimicā Deo, & Christo, amicitiam inierunt, vt illum iniurijs afficerent, & illusionibus replerent, amici subsannatores, & vt animam eius quærerent ad mortem, quam in vanum quærerent, nisi ipse voluntariè eam ponere voluisset. Videbis in his duobus fictis, & secundum tempus amicis, vulpes Samsonis, caudis tantum colligatas, & coniunctas, capitibus verò disiunctis. Vt enim nocerent Christo, colligati sunt Herodes, & Pilatus, quasi vulpes quædam. (Nam Reges, & Principes huius sæculi *Vulpes* appellari in sacra Scriptura, docet Augustin. sup. Psalm. 62. & sup. Psal. 88. Concione. 2.) Sed illi in nullo nocere potuerunt, sibi autem tanquam miseræ, & fraudulentæ vulpes Samsonis, ignis æterni incendiū lucrati sunt, dicente Christo Domino per os Dauid, *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Rex verò lætabitur in Deo.* Illi tanquàm vulpes in inferioribus terræ, gladio, & incendio traditi, partes vulpium erunt. Tertullianus, libr. 4. contra Marcionem, cap. 16. & Ruffinus in Symbolo dicunt in hoc facto impletam, esse Prophetiam Oseæ. cap. 10. quæ secundùm Septuaginta dicit, *Et ipsum ligantes, tulerunt munus* (siue *xenium*) *Regi Iarib in domo.* Quia velut reconciliationis, & amicitiæ suæ xenium, siue munus, sibi inuicem mittebant iustum Iesum, &c.

*Psalm. 2.*

*Iudic 15.*

*August.*

*Psal 62.*

*Tertull.*

*Ruffinus.*

*Oseæ. 10.*

Non fuit satiatus his iniurijs crudelis, & Tyrannicus

Pilati animus, sed, sicut S. Euangelista narrat, *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellauit.* Neque vtcunque flagellauit, sed multo tēpore, atque grauissimè. Ait enim ipse per os Dauid, *Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinu.* Nam propterea quod vniuersa hominum peccata Christus in se ipso castiganda susceperat (dicente Esaia, *Disciplina pacis nostræ super eum*) voluit ipse Redemptor multa flagella peccatorum nostrorum in se ipso sustinere, & hanc ignominiosam, & seruilem pœnam subire, vt seruos suos ab ignominia, & seruitute peccati liberaret. Idcircò dicebat per os Dauid, *Cōgregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Congregata, dicit, flagella, quia multa, & grauissima fuerunt, & quasi ex omnibus hominibus in ipsum collecta, atque congesta. Sed ignorasse se subdit, quoniam non sua peccata, quæ non habuit, sed nostra, quæ non nouit, exoluebat. Vt hinc discamus nos, patienter flagella Dei sustinere, quæ pro nostris peccatis iustè patimur, ad exemplum nostri Redemptoris, qui nostrorum peccatorum flagella, tanta patientia, & humilitate, atque charitate super se congregata suscepit, vt liuore illius sanaremur, atque ab æterno, quod iustè merebamur, flagello liberaremur.

*Ioan. 19.* *Psalm. 72.* *Esai. 53.* *Psal. 34.*

§. 4.

Prosequitur autem & alium Christi egressum Sanctus Euangelista Ioannes, inquiens. *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum.* Et paulo inferius, *Exiuit ergo Iesus foras, portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.* In quo egressu necesse est, vt & nos *Egrediamur cum filiabus Sion, & videamus Regem nostrum in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Egrediamur à sensu carnis ad intellectum mentis, & videamus Regem Salomonem in corona paupertatis, in corona miseriæ, (vt Bernard. ait, serm. 2. de Epiphan. & in serm. 5. Omnium Sanctorum) non coronatum gloria, & honore, sed peccatorum nostrorum circundatum spinis. Videbimus enim, propterea eum tribulatione, & spinis coronatum esse, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum suscipiens, omnino tolleret, ac pro eis Patri satisfaceret. Punctio enim peccatorum nostrorū, spinis, ac tribulis

*Cant 3.* *Bernar.*

August. comparatur, vt August. dicit, serm. 114. atque id meritò. Nullis enim spinis magis pungitur anima, & laceratur, quam peccatorum, quæ illam ad mortem vsque vulnerant, & cruentant: & vt Ambros. inquit, serm. 36. *Ista* Ambros. *spinæ sunt corporu nostri, quæ præfocant animam: de quibus ait Scriptura, Spinas, & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cum me sæcularium diuitiarum cupiditate discruciat. Spina enim Christiano auaritia sua radix est. Spina viro bono honoris ambitio est: Videntur enim specie apud suos grata esse*; sed lædũt. Has ergo spinas peccatorum nostrorũ, & earum tormenta, & dolores Christus Dominus capiti suo circumposuit: quia tanti æstimauit, pro peccatis nostris pati, & satisfacere, vt ex his, quæ ignominiosa, & nimis aspera sunt, coronam capiti suo circumponendam cõgesserit. O caput! O diadema! O Regem! Videant, Sapient. 2. obsecro, nunc, qui dicunt; *Coronemus nos rosis, antequam* Bernardus. *marcescant*: &, vt D. Bernard. asserit in illo 5. sermone, *Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam ingloriam exhibetur, non habens speciem, aut decorem: pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quam irrisionis.*

Solent etiam in sacra Scriptura spinarum nomine 2. Reg. 23. peccatores designari, iuxta quod 2. Reg. dicitur; *Præuaricatores* August. *autem quasi spinæ euellentur* Et August. sup. Psal. 103. Conc. 3. ait; *Spinæ autem quid significant, nisi peccatores, qui quasi ericij spinis peccatorum cooperti sunt?* Hos ergo peccatores sic dilexit Christus, sic honorare voluit, vt ex eis, quos elegerat, vt redimeret, coronam spineã fecerit, & capiti suo imposuerit. *Corona* enim dicitur, Lactant. *Circumstans in orbem populus* (ait Lactant. Firmianus lib. 4. diuinarum institut. cap. 26. & subdit; *Nos, qui ante cognitionem Dei fuimus spinæ, id est, iniusti, mali, & nocentes eramus, electi ex dumis, & sentibus, sanctum Dei caput cingimus: quia conuocati ab ipso, & circumfusi vndique ad eum, Magistro, ac Doctori Deo assistimus, Regemque illum mundi, & omnium viuentium Dominum coronamus.* Ecce Christus sic dilexit nos, vt peccata nostra, & nos ipsos, coronam capitis sui fecerit, & *Repletus sit ignominia pro* Abac. 2. *gloria*, vt dicit Abacuc Propheta. Iustum ergo, atque

dignissimum est, vt & nos deinceps peccatis omnibus mortui,& in nouitate vitæ soli Christo viuentes,ipsum non spinis,sed pretiosis,& viuis lapidibus coronemus. Et,vt August.dicit in illo serm.114. *Studeamus nunc è diuerso, vt mĕbrorum vita, capitis sit corona.* Studeamus, obsecro, sic in omnibus Christum imitari, Christum sequi,Christum diligere,& honorare,vt ipse solus sit corona capitis nostri, qui est gloria, & corona Sanctorum omnium. *August.*

Quod vero purpureo vestimento Christum induerunt,ad eundem sensum referendum est. Significabatur enim ipsum peccatis hominum, atque ipsis peccatoribus,quasi ignominioso induméto vestitum, & sanguinibus delictorum nostrorum respersum, & quasi maculatum, dicente ipso per Esaiam; *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Propterea enim peccatorum nostrorum sanguinibus respersus est,vt omnia illa lauaret, atque deleret,& sicut Dauid postulabat, *Liberaret nos de sanguinibus Deus noster.* Nisi velimus,cum August.dicere, in illo serm.114 vestimento illo purpureo significari sanctos Christi Martyres,qui pro illius amore, & honore, Martyrij sanguine stolas suas aspersuri erant. *Chlamide coccinea induitur* (ait August.) *quia sanguine Martyrum suorum, Ecclesia corpus ornatur.* Sed in Apocalypsi Ioannis de eis dicitur; *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni.* Aut tertio dicere possumus,ideo veste purpurea,& Regia, quamuis per irrisionem, Christum ab impiis circundatum, atque vestitum,vt nescientes prophetarent, quod ipse suo sanguine non solum redimeret, & lauaret animas nostras,sed etiam Reges,& Principes faceret. Vnde & in Apocalypsi dicebant Christo, illi Sancti seniores, *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo: & fecisti nos Deo nostro Regnum, & regnabimus super terram. Super terram,* inquit: quia electorum regnum nō est de terra, & de mūdo,sed supra omnem terram, in cœlo regnaturi sunt in perpetuum: quemadmodum recte dixit D.Ambro.sup. Psal.118 ser.17, *Sanguis Christi, purpura est, qui inficit Sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus Regnum donet æternum.*

*Esai.93.* *Psal.50.* *August.* *Apocalyp.* *Apoc.5.* *Ambros.*

Sic ergo coronatus, atque vestitus, exiuit Iesus foras coram impiis Pontificibus, & ministris. *Et dicit eis Pilatus; Ecce homo.* Libet profecto dicere cum Hieremia; *Homo est, & quis cognoscet eum?* Fateor enim, vere homo est, mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus; sed quis cognoscet eum, sic alapis cæsum, sputis dehonestatum, toto corpore flagellatum, facie velatum, coccinea veste superamictum, & spinis coronatum? Etiam ipse S. Esai. fatetur, se illum vix cognouisse, cum, inquit; *Vidimus eum, & non erat aspectus, despectum, & nouissimum virorum. Quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum.* Vnde & ipse Christus se ipsum quasi non cognoscebat, quando per os Dauid dicebat; *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Sed non est prætereundum, quod in Esaia, loco citato, secundum Septuaginta, sic dicitur, *Homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, quia aduersa est facies eius, despecta, & non reputata.* Non vtcunque, *Homo* dicitur, sed, *Homo in plaga:* quia plagis, ac liuoribus sic erat immutata, & aduersa facies eius, vt vix cognosci homo; facile autem ab impiis despici posset, & non reputari. Sed profecto, *Homo est, & quis cognoscet eum?* Qui quamuis afflictus esset, & vix humanam speciem haberet, patiens, ac tacens, nec egressus ostium infirmæ carnis suæ, intus tamen plenus erat decore diuinitatis, & infinita virtute omnipotentiæ suæ, & maiestate Regiæ dignitatis. Vnde & ipse Pilatus paulo post dixit Iudæis; *Ecce Rex vester.* Et Esaias multo ante dixerat; *Ecce Deus vester.* Sed quis cognoscet eum? Quis enim cognoscet hominē, tot modis afflictum, vt vix humanam speciem, & aspectum habeat? *quousque Irruitis in hominem?* ait S. Dauid ad impios. Quis cognoscet Regem, spinis coronatum? A sæculo non est auditum, quod Rex quispiā, aut homo, spinis sit coronatus. Legimus, multos rosis coronatos, aut hedera, aut lauro, aut, quod maius est, argento, & auro, ac pretiosis lapidibus: spinis autem coronatum, neminem legimus, nisi Christum. *Lilium inter spinas* cognoscimus, *Arietem inter vepres:* Regem autem inter spinas, & spinis coronatum, quis cognoscet? Denique quis per hæc visibilia Deum cognoscet, tam absconditum, tam peregrina specie, &

Margin notes: *Hiere. 17. secundū Septuaginta.* — *Esa. 53. secundum Septuaginta.* — *Psalm. 21.* — *Esai. 40.*

aſpectu occultatum? Sed vere ille homo eſt,& Rex, & Deus, ſicut & Nathanael confeſſus eſt ei, inquiens, *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Quibus verbis etiam hominem cognouit, & Regem, atque Deum. Imo & Pilatus talem eum agnouit, qui titulum crucis eius ſcripſit; *Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Ieſum dixit,quia Deus erat: Nazarenum,quia homo: Regem Iudæorum,quia Rex conſtitutus eſt à Deo,non Iudæorum tantum,ſed etiam omnium gentium. *Sed quia homo in plaga fuit, quaſi homo infirmatus eſt.* (ait D. Ambroſius ſuper Pſalm.61.) *quaſi homo doluit, & nos quaſi hominem æſtimauimus eum eſſe in doloribus: ſed quaſi victor infirmitatum,non infirmitatibus victus, pro nobis non pro ſe,dolebat,& infirmatus eſt non propter ſua, ſed propter noſtra peccata, vt nos ſuo liuore ſanaret: Ecce homo.* Sanctorum Patrum concors ſententia eſt, idcirco Pilatum produxiſſe foras Ieſum, & Iudæorum oculis propoſuiſſe ſic afflictum, vt eorum animos ſedaret, & ad miſericordiam prouocaret, ne amplius illum perſequerentur: quod optimis verbis docuit S.Leo,ſermo 8.de Paſſione, inquiens; *Quod ergo Pilatus, implacabilis populi victus inſania, multis Ieſum dehoneſtari ludibriis, & immodicis vexari permiſit iniuriis, quodque eum, flagellis cæſum, ſpinis coronatum, & amictu irriſoriæ veſtis indutum, perſequentium oſtentauit aſpectui, mitigandos procul dubio inimicorum animos exiſtimauit: vt exſaturatis inuidiæ oculis,non vltra iam crederent perſequendum, quem tot modis intuebantur afflictum.* Quaſi diceret eis Pilatus cum Dauid; *Quouſque irruitis in hominem, interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſo?* In hominem irruebant,quem Pontifices, & Iudæi,interfici volebant,& poſtulabant, nec ad miſericordiam, & compaſſionem flectebantur, videntes Chriſti corpus, ita miſerabiliter afflictum, & tanquam parietem inclinatum,& depulſum. Sed quia *Ipſe ſtabat poſt parietem noſtrum*,occultatus infirmitate carnis noſtræ,cæci homines, atque crudeles, ignorantes Ieſum, neſcientes Deum, & Regem ſuum negantes, cum vidiſſent eum, clamabant(ſicut ait ſanctus Euangeliſta)dicentes; *Crucifige, crucifige eum.* Bene profecto ipſi (per Eſaiam) apertè confeſſi ſunt hanc cæcitatem ſuam, dicentes,

*Ioan.1.* *Ambroſ.* *Leo.* *Pſalm.61.* *Cant.2.* *Eſai.5 9*

*Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus*: quia Christi carnem in Passione quasi cæci palpauerunt, & in eam offenderunt, irruentes in hominem, & verũ Deum, ac Regem nostrum Iesum Christũ negantes. Sed quoniam diuina ordinatio, & nostra redemptio, impediri non poterat, Deo permittente, & Pilato tradente, & Iudæis clamantibus, & postulantibus, sicut sanctus Euangelista narrat, *Pilatus tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Vt quid enim aliud Christus Dominus, antequam traderetur crucifigendus, corona spinea coronatus est, nisi in signum futuræ victoriæ, quem per mortem crucis reportaturus erat, triumphãs inimicos omnes in semetipso? *Data est ei corona* (ait sanctus Ioannes in Apocalypsi) *& exiuit vincens, vt vinceret.* Propterea enim data est Christo illa spinea corona, vt exiret iam vincẽs mortem, & mortis Regem diabolum iterum vinceret, & victoriam perficeret, atque consummaret: &, vt verbis vtar sancti Matthæi, *Donec eijciat ad victoriam iudicium, & in nomine eius Gentes sperabunt.* In cruce enim moriens, ad victoriam deduxit iudicium Passionis suæ, quam sine culpa pro nobis pertulit, & per ignominiam mortis, & crucis, peccatum deleuit, & victor mortis, & inferni, mortem nostrã moriendo destruxit, & Principem mundi huius de mũdo expulit, foras misit, vt iam non in alium, sed in eum tantum omnes gentes sperarent.

Apoc. 6.

Matth. 12.

§. 5.

SEquitur ergo in lectione, & discursu sancti Euãgelij; *Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eum. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Iesum.* Hic iam noster Isaac in cãpum egreditur, non ad meditandum, sed ad exercendum re ipsa, Passionis, & crucis supplicium, pro salute humani generis. In quo facto considerare licet, & Sponsam inuitantem Christum ad hoc exercitij genus, maximæ dilectionis spiritu excitatam; *Veni*, inquit, *dilecte mi, egrediamur in agrum*: & Iudæorum cumulum, velut alterum patricidam Cain, odio, & inuidia concitatum, inuitare, & trahere ipsum ad mortem. *Egrediamur*, inquit, *foras*. In qua egressione multa sunt nobis obseruanda.

Cant. 7.

Gen. 4.

Primo, quod foras, & extra Hierusalem deductus est Christus ad crucis mortem subeundam, vt iam non solum Iudæi, sed & Gentes in eum sperarent, qui non Iudæorum tantum, sed & Gentium futurus erat Redemptor. Sic enim olim in typo, & figura, præceperat Dominus Moysi, dicens: *Præcipe Filiis Israel, vt adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum. Tradesque eam Eleazaro sacerdoti: qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium.* Per hanc vaccam rufam, & sine macula, Gregor. sub. Psal. 50. intelligit carnem Christi innocentissimam, & proprio sanguine Passionis suæ rubricatam: quæ à Pontificibus, & ministris extra castra educi iubebatur, quoniam Christus extra Hierusalem deducendus erat à Iudæis, & militibus Gentium, vt immolaretur pro expiatione omnium, & salute: quemadmodum D. Paulus explicuit, ad Hebr. inquiens, *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra, Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.*

*Num. 19.* *Gregor.* *Hebr. 13.*

Secundo obseruandum est, quod dicitur, *Et baiulans sibi crucem. Ad irrisionem namque Regiæ dignitatis* (vt S. Leo dicit, serm. 8. de Passione) *iussus est (supplicij) sui esse gestator:* & vt impleretur Esaiæ vaticiniũ, *Factus est principatus super humerum eius.* Quamuis vero (sicut recte scribit Cyrillus, lib. 12. super Ioann. cap. 28.) crucem portaret Christus, nõ sibi, sed nobis trãsgressoribus debitam, rectissime etiam dixit S. Euangelista, *Baiulans sibi crucem:* quia non sibi portauit, sed nobis. Si quidem neque ipse peccatum fecit, quod crucis supplicium mereretur qua ratione & mulieribus, quæ illum sequebantur flentes, & lamentantes, dixit, *Nolite flere super me.* Neque etiam indigebat merito, & fructu Passionis suæ vt beatus, & gloriosus esset, sed nobis peccatoribus crucem portauit, pro nobis doluit, quorum peccata super lignum crucis portabat, vt deleret, & qui sine fructu, & merito Passionis eius nullo modo poteramus sanari, & saluari. *Pro nobis dolet*, ait Esaias: & D. Ambros. in titulo Psalm. 35. dicit, *Quid ipse habuit, quod*

*Leo.* *Esai. 9.* *Cyrillus.* *Esai. 53. secundum Septuag.* *Ambros.*

*doleret? Expreſſit medici affectum, qui etiam ſi ipſe nullum vulnus habuit, quod doelret, tamẽ compaſſus eſt vulneratis.* Et lib. 10. Comment. ſuper Lucam, in ca. 22. *Doles ergo, Domine, non tua, ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem: & nos æſtimauimus, te eſſe in doloribus, cum tu, non pro te, ſed pro me doleres. Infirmatus enim es, ſed propter peccata noſtra: non quia tibi illa infirmitas erat ex Patre aſſumpta, ſed pro me ſuſcepta: quia mihi proderat, vt eruditio pacis noſtræ eſſet in te, & liuore tuo vulnera noſtra ſanares.* Nihilominus tamen (vt diximus) rectiſſime, nec ſine myſterio, dixit S. Euangeliſta, *Baiulans ſibi crucem.* Quoniam ita ardentiſſimo amore crucem, amauit, quam pro nobis portauit, & in qua propter noſtram ſalutem paſſus eſt, vt eam ſolam ex toto opere ſuæ Paſſionis tanquam rem ſibi dilectiſſimam, & pretioſiſſimam elegerit, & aſſumpſerit. Non ſibi elegit gaudia, non conſolationes, non merita, non fructus, non coronas, & triumphos, ſed crucem ſibi inter omnia reſeruauit, quam magis dilexit. Audiſtis aliquando, B. Andream, amatorem crucis, crucem ſibi ſuper omnia elegiſſe, ac dilexiſſe? *Amator tuus*, aiebat, *ſemper fui, & deſideraui amplecti te.* Sed ſi cum amore Chriſti, quo ſibi crucem amauit, & portauit, conferatur, pluſquam cœlum à terra diſtabit:
Hebr. 12. de quo Paulus ad Hebræos ſcripſit, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Quia ſic crucem amauit ſibi, vt gaudia reſpueret, confuſionem contemneret, vt dilectiſſima ſibi cruce potiri poſſet. Videant
Philip. 3. ergo, & confundantur *Inimici crucis Chriſti quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*, vt Paulus ait. Gaudeat Chriſtianus, & amator crucis Chriſti, & cum Paulo deſideret *Chriſto confixus eſſe cruci*: & cum eodem ſemper dicat, *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini no-*
Gala. 2. & 6. *ſtri Ieſu Chriſti.* Studeat cum Simone Cyrenenſi, impoſitam ſibi crucem portare poſt Ieſum. Nam ſi *Eccleſia ſi-*
Luc. 22. *ne cruce ſtare non poteſt* (vt Ambroſ. ait, ſerm. 56. multo
Ambroſ. magis vnuſquiſque fidelium ſine cruce Chriſti, nec ſtare poterit, neque à peccatis reſurgere, neque in gloriam introire.

Luc. 23. Obſeruandum tertio eſt quod S. Lucas dixit, *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficeren-*

*tur*, Quo loco etiam ipsum Christum, sicut & alios, appellasse videtur hominem *nequam*. Quod profecto valde mirabile legentibus videri potest. Quomodo enim nequam sit, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius? Quomodo nequaquam, agnus Dei sine macula, qui venit tollere peccata mundi? Quomodo nequam, Summus ille *Pontifex* (vt Paulus ait) *Sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus?* Sed quoniam, sicut Esai. prædixerat, *Cum iniquis reputatus est*, propterea etiam & à sancto Euangelista inter alios duos nequam videtur deputatus. Aut enim loquebatur iuxta opinionem Iudæorum, & hostium Christi, qui eum hominem peccatorem, & nequam appellabant. *Nos scimus* inquiunt, *quia hic homo peccator est*. Et iterum, *Si non esset hic, malefactor, non tibi tradidissemus eum*. Aut certe ita loquebatur, quia cum pro nobis peccatum factus esset, & iniquitates nostras, ac peccata, super se portaret, hac de causa, qui non solum sanctus sed & omnium sanctificator erat, & assimilatus Filio Dei, vt nos sanctificaret ab omni peccato, & nequitia, assimilari passus est *Genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis*, & inter eos nominari, ac si esset vnus ex ipsis, nec tam segregatus ab eis.

*Hebr. 7.* *Esai. 53.* *Joann. 9.* *Joan. 18.* *Esai. 1.*

Quarto obseruandum est, quod S Euan. dicit, *Vbi crucifixerunt eum: & cum eo alios duos, hinc & hinc: medium autem Iesum*. En iam ascendit crucem Sponsus sanguinum, qui olim Sponsæ promiserat, dicens, *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*. Vbi D. Gregor. per palmam intelligit crucem Christi: & subdit, *In palmam ascendit, & fructus eius apprehendit: quia in cruce suspensus, fructum vitæ inuenit, & apprehendit, & nobis tribuit*. Sed sibi quos fructus apprehendit? Profecto dolores, passiones, tormenta, clauos, blasphemias, & illusiones. Nam sancti Euangelistę referunt, *Populus, & Principes deridebant illum. Milites illudebant ei. Aly prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua*. Deniq; & *latrones*, qui crucifixi erant cum eo, *improperabant ei*. Quæ omnia Christus Dominus mira patientia tolerabat, & plenus dilectione erga inimicos, & persequutores suos, cum malediceretur, non maledicebat, cum

*Cant. 7.* *Greg.*

percuteretur, non comminabatur, sed ad Patrem dicebat cum Dauid, *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Et iterum *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam, &c.*

*Psal. 21.* *Psal. 108.*

Olim Moyses montem ascendens, & habens virgam Dei in manu sua, eleuauit manus, vt oraret pro populo: sed, quia manus illius erant graues, *Aaron, & Hur, sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus illius non lassarentur, vsque ad occasum solis.* Sed multo melius noster Iesus ascendit Caluariæ montem, accepit virgam crucis in manibus suis, vt in ea & sacrificium offerret, & ad Patrem oraret eleuatis manibus: sicut ipse dixit per os Dauid, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Non sustentabant manus eius Aaron, & Hur, sed durissimis clauis sustentabantur: imo potius summo amore, & abscondita virtute ipsius Christi sustentabantur, dicente Propheta, *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* In manibus eius erant claui, erant & cornua crucis, quæ ipsius virtute sustentabantur: non ipsa manus Christi sustinebant. Istæ sunt manus, quæ non sunt lassatæ vsque ad occasum solis. Nam quousque ipse Sol iustitiæ in cruce obscuratus est, & occubuit, manus eius lassatæ non sunt, nec vis amoris illius, nec desiderium patiendi, nec sitis orandi pro nobis vllo pacto defecit, sicut ipse per Esaiam dixit, *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum. Tota die*, inquit. Quia, vt dicebamus, quousque finitus est dies Christi, & ad occasum mortis deuenit, non cessauit expansas habere manus ad populum, pro quo orabat, & quem redimebat, & ad se trahere desiderabat. Nam, vt recte notauit August. serm. 93. de Tempore, *Moyses manus quidem leuauit, sed non extendit. Cui ergo seruabatur, vt manus extenderet, nisi Domino nostro Jesu Christo, qui extentus in cruce, vniuersum orbem complexurus, brachia pietatis expandit?* Quæ verba desumpsit ex Origene, Homilia 11. sup. Exodum. Quo loco multa prosequitur Origenes consequenter, quæ ad mores conducere possunt.

*Exodi. 17.* *Psal. 140.* *Abacuc. 3.* *Esai. 65.* *August.* *Origenes.*

Denique obseruandum est quinto, Christum Domi-

num non solum clauis cruci fuisse affixum, sed ne quod esset ignominiæ, & confusionis genus, quod pro nobis non assumeret, nudus ascendit crucem, confusione contempta, vt nostram nuditatem assumendo, tolleret, atque indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & gloriæ cooperiret. Videbat naturam humanam, peccato primi hominis nudam, & spoliatam, secundum quod per Ezechielem dicitur, *Dimittent te nudam, & ignominia plenam.* Nam primus nostri generis parens, & peccator, vt Ambros. dicit in 2. Apologia Dauid, cap. 8. *Factus est sibi nudus, postquam factus est reus culpæ: in illo nudata est omnis humana conditio per successionem naturæ, non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia.* Hanc ergo nuditatem nostram sumere voluit noster Iesus, egressus ad Passionem crucis, non solum, vt milites possent diuidere sibi inuicem vestimenta eius, sed etiam sua nuditate nostram vestiret, atque operiret. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ,* ait S. Iob, *nudus reuertar illuc.* Sic etiam & Christus, qui propter nos nudus egressus est de vtero Virginis, nudus etiam egressus est ad locum Passionis, vt nudus moreretur in cruce. Vbi contemplari licebit sanctum Noe, inebriatum vino, & nudatum in tabernaculo suo: & Christum Dominum inebriatum vino ardentissimæ charitatis suæ, nudatum in cruce, & illusum. *Ad te quoque perueniet calix* (ait S. Hieremias) *inebriaberis, atque nudaberis.* Hic summus Pontifex Aron nudatur veste in monte, vt colligatur, & moriatur ibi. noster enim Summus Pontifex Iesus, in Monte Caluariæ nudatus est vestimentis suis, vt sic nudus moreretur vt nos vestiret immortalitatis indumento. Videre etiam libet S. Dauid Regem, nudatum coram arca Domini & despectum à filia Saul. *Quam gloriosus,* inquit, *fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum: & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Non aliter Christus, Rex Israel, nudatus est coram arca sanctissimæ crucis, irridente illum Synagoga Iudæorum cum filia Saul. Quæ profectò illa sua Ironia, & irrisione, prophetauit, nesciens quid diceret. Numquàm enim magis gloriosus fuit tota vita sua Christus Rex Israel, quam cum nudatus lusit ante

*Ezech. 16.*
*Iob. 1.*
*Genes. 9.*
*Thren 4.*
*Num. 20.*
*2. Reg. 6.*

arcam sanctæ crucis coràm seruis suis, imo & coràm hostibus Iudæis, & gentibus: qui propterea deridebant Regem suum, quia scire non poterant gloriam sanctæ crucis, & splendidissimum ornatum illius nuditatis, quam Christus misericorditer assumpsit pro nobis, vt nuditatis nostrę ignominiam, & confusionem tolleret: atque etiam, vt doceret nos, hac nuditate assumpta, viriliter præliari aduersus spiritualia nequitiæ. *Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, ait Paulus. Deinde, vt suo exemplo nos instrueret, nuditatem amando, mundum despicere, quemadmodum Esaias *Ambulauit nudus, & discalceatus.* Similiter & Michæas, *Vadam*, inquit, *spoliatus, & nudus* Paulus etiam *in frigore, & nuditate* agebat, *certus, quod neque nuditat posset eum separare à charitate Christi.* Denique vt quemadmodum Christus inimicam Synagogam reliquit, & nudus cucurrit ad crucem, ita & nos inimicos animæ nostræ nudi fugiamus ad ipsam Christi crucem, vt saluari à peccato, & æterna morte, possimus. Ioseph nudus, & relicto pallio, fugit iniquitatem impudẽtissimæ fœminæ, & nudus euasit ab ea. Adolescens, vt S. Marc. refert, nè comprehenderetur ab hostibus, *Relicta syndone, nudus profugit ab eis.* Ac denique, vt Amos Propheta dicit, *Robustus corde, inter fortes nudus fugiet.*

1. Cor. 9.
Esai. 20.
Mich. 1.
1. Cor. 11.
Rom. 8.
Genes. 39.
Marc. 14.
Amos 2.

§. 6.

SEd iam tempus est, vt Christus Dominus, qui hactenus toto discursu Passionis suæ, diuinitatem suã occultauit, & (vt sæpe diximus) tacuit, neque egressus est ostium, egrediatur in salutem populi sui, occultam maiestatem suam ostendat, Diuinitatem electis aperiat, thesauros infinitæ charitatis suæ demonstret: loquatur Rex Israel seruis suis verba salutis, & pacis, verba nouissima, quę in cruce loqui constituit *Fortis Israel, iustus dominator hominum.* Verba enim æternæ vitæ habet. Ipse enim dixit; *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita, sunt. Audiamus & nos, quid nobis loquatur Dominus Deus, & Rex noster: quoniam loquetur pacem in plebẽ suam, & in eos, qui conuertuntur ad cor.* Ad hos enim omnes loquuturus est Christus Dominus in cruce, vt suo ordine demonstrabimus.

2. Reg. 23.
Ioan. 6.
Psalm. 84.

*Primum verbum Christi.*

SVper plebem suam loquutus est pacem, quando sicut S. Luc. narrat, *Stabat populus expectans, & deridebant eum Principes cum eis: Iesus autem dicebat, Pater, ignosce illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Illi blasphemãt, derident, & persequuntur: iste plenus charitate, & dilectione, atque summa patientia, non sentit contumelias, non petit vindictam, sed aperiens os suum in oratione, pro delictis eorum deprecatur. Vide, quàm recte dixit S. Esaias, *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit: vt non perirent.* Quasi diceret, Ipse in cruce eleuatus, & affixus patienter tulit multorum peccata, blasphemias, & illusiones; & non solum non reddidit malum pro malo, sed è contrario eis benedicebat, & pro transgressoribus rogabat, vt non perirent. Et quod maxime commendat charitatem Christi in nos, primum verbum crucis suæ ad hoc direxit, vt pro inimicis, & persequutoribus oraret, & sic loqueretur pacem in plebem suam, & in se ipso, opere perfectissimo, & exemplo monstraret, quod ante sermone docuerat Apostolos, & fideles omnes, inquiens, *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Hoc exẽplo Christi edoctus S. Stephanus, iam iam moriturus, pro inimicis, ac persequutoribus etiam ipse rogauit, vt non perirent, inquiens, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Paulus etiam à Christo edoctus, dicebat Corinthiis, *Maledicimur, & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus.* Sed, vt recte dixit S. Gregorius, Homil. 27. sup Euang. *Quid mirum, si inimicos diligant Discipuli, dum viuunt, quando & tunc eos diligit Magister, cum occiditur.* Illud certe omnibus indubitatum esse debet, inexcusabiles nos futuros esse ante Deum, & Patrem, si eos tantum dilexerimus, qui nos diligunt, & non dilexerimus inimicos, ac persequutores nostros, quemadmodum à Christo Domino verbo, & exemplo, sumus edocti.

*Esai. 53.* *Matth. 5.* *Act. 7.* *1. Cor. 4.* *Gregor.*

**Secundum verbum Christi.**

SEd quomodo obsecro, loquutus est ad eos, qui conuertuntur ad cor? Audiamus S. Lucam Euangelistam, *Vnus* (inquit) *de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens, Si tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicēs, Neque tu times* D. ū, *qui in eadem damnatione es? Et nosquidē iuste, nā digna factis recipim⁹, hic vero nihil mali gessit: Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei dum veneris in Regnū tuū. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Turba multa cum gladiis, & fustibus, vt S. Matt. refert, exierat ad Iesum comprehendendum tanquam ad latronem, vt eū morti traderent: & nunc, vice versa, egreditur ipse Iesus ad latronem, & peccatorem cōprehendendum, vt eum vitæ restituat: eū, inquā, qui fortasse paulo ante Christum blasphemauerat, & conuiciis resperserat, ita vt possimus dicere cum Dauid, *In*
Psalm. 9. *operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Sed hoc tam admirabile opus pietatis, tā nouum, tam rarū, non alibi quàm in cruce Dominus exercere voluit, vt & ipse crucis suæ virtutem ostenderet, & latro eam agnosce-
August. ret: & propter eam (vt S. August. ait, serm. 130.) Iesum Regem appellaret, quia videbat crucifixum: & iuxta consiliū Apostoli, in Epist. ad Hebræos, *Adiret cum fi-*
Hebr. 4. *ducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequeretur, & gratiam inueniret in auxilio opportuno.* Opportunū profecto tunc fuit diuinum auxilium, quod latronem illuminauit, conuertit & traxit ad Christum. Opportuna etiam ipsius latronis conuersio, qui non tardauit con-
August. uerti ad Dominū: & (sicut recte dixit Aug. serm 120) *Nec salutis tempora sciens, distulit: nec remedia status sui in momenta vltima, infelici fraude, posuit: nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit: nec religionē ante nec Christum sciuit. Quod si sciuisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in Regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendā fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* Consideremus, obsecro, altitudinē consiliorum, & iudiciorum Dei. Eo tempore, quo Iudas Discipulus Magistrum tradidit, &

deserente eum Domino, cucurrit ad desperationem,& laqueum, latro, auxiliante Deo, ad Christum conuersus, discipulusque, & confessor Regni illius effectus, paradisum intrauit. *Quod de carcere, & catenis interdum quis egrediatur ad Regnum*, ait Salomon: *& alius natus in Regno, inopia consumatur. Interdum*, inquit: quia singulare hoc fuit, & de his, quæ raro contigisse leguntur. Quod latro de carcere,&catenis,egressus sit ad Regnũ celeste possidendum, & Iudas, qui in Regno Dei, & Christi, nutritus erat, & quasi natus, inopia pœnitentiæ, & gratiæ, consumatur,hoc in abyssum iudiciorum Dei, & altitudinem sapientiæ ipsius, reiiciendum est, queádmodũ reiicit Greg li.25. Mora c.7.&li.39. ca.9. Sed & alterum mirabile in hoc Christi egressu obseruandum nobis est. Ecce enim duo latrones, duo nequam,ducti sunt ad mortem cum Christo. ambo crucifixi cum eo,& fortasse etiam ambo Christũ blasphemabant: & ecce subito vnus eorum conuersus in Christum, credit corde, & ore ipsum confitetur ad salutem, altero in sua cæcitate, & obstinatione vsque ad mortem persistente: & ipse Iesus, medius eorum stãs, vnum ad se trahit, & alterum non trahit, vnum assumit, & alterum relinquit. *Fecit Deus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum.* Firmamentum hoc in medio aquarum, Christus Dominus est in medio duorum latronum Nam quod Christus Dominus, firmamentum sit, plane confitetur S Dauid, inquiens? *Dominus firmamentum meum.* Et iterum? *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Quod si aquæ sunt populi, nihil mirum,si dicamus,aquas sub firmamento significare latronem reprobum, & damnatũ,aquas vero super firmamentum, latronem electum,&super firmamentum cœli in paradisum introductum. Has ergo aquas diuisit hodie Christus in firmamento crucis, medius latronum positus, qui secundum altitudinem suam eum, qui à sinistris eius erat, cum reprobis, & descendentibus in lacum, & in ignem æternum,tanquàm maledictum dereliquit, illũ vero qui a dextris eius erat sua misericordia, & gratia, discernere voluit, & cum electis benedixit, vt possideret Regnum sibi præpara-

*Ecclesf. 4.* *Gregor.* *Genes. 1.* *Psal. 17.* *Psal. 71.*

tum ante mundi constitutionem. Hanc diuisionem aquarum etiam S. Dauid in spiritu præuidisse existimo, cum loquens ad Patrem de Christo, dicebat, *Posuisti*
Psal. 88. *firmamentum eius formidinem: factus est opprobrium vicinis suis: exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius.* Firmamentum Christi, crux eius est, in qua firmus sterit clauis confixus: quam ideo formidinem vocat, quia crux formidabilis solet esset hominibus, tanquam extremum malum, & maledictum. In illa factus est opprobrium vicinis suis: quia non solũ Iudæi, & milites illudebant ei, & blasphemabant, sed etiam latrones, quos habebat vicinos, improperabant ei. Sed Deus, qui diues est in misericordia, & ostendebat omnem patientiam suam, exaltauit dexteram deprimentium illum, conuertendo mirabiliter ad se latronem, qui ad dexteram eius crucifixus erat (vt S. Pa-
Cœlestin. pa Cœlestinus fatetur, epist. 2 ad Episcopos Galliarum, ca 2.) & exaltando illum vsque ad paradisum. Quo facto, absque dubio lætificauit inimicos eius, eius inquam, latronis inimicos, qui perfecto odio oderant illum detestantes illius peccata, & salutem eius amantes, ac desiderantes. Nam si (vt S. Lucas ait) *Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*, quanto,
Luc. 15. putas, gaudio lætificati sunt, & exhilarati, Angeli in cœlo, & Sancti in terra, qui iuxta crucem Christi stabant, super isto vno, & maximo peccatore, tantam, & talem pœnitentiam agente?

*Memento mei, Domine*, inquit, *dum veneris in Regnum tuum. Quàm stupenda, & quam singularis deuotio*, ait Au-
August. gust. in illo serm. 120.) *sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus: & quem iste hominem negat ille Dominum confitetur.* Et serm. 144. *Magna fides. Huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubauerunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantẽ: credidit ille, quem videbat secũ in ligno pendentem. Memento mei inquit, dum veneris in Regnum tuum: si mibi tormenta debentur, quousque tu venias in Regnum tuum.* Paratus enim erat etiã vsque adiudicii diẽ peccatorũ suorum pœnas in Purgatorio soluere: &, vt Aug. dicit iterũ serm. 8. de Verbis Domini, & 48 de tempore, *Considerabat facinora sua, & pro magno habebat, si ei, vel in fine parceretur. Salutem suam longe futuram sperabat: & post longum tẽ-*

*pus accipere contentus erat*. Sed Iesus respondet illi, *Amē dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Misericordia obtulit*, ait August. *quod miseria distulit*: & Ambr. sup. Psal. 118. serm 8. *Futurum promittit: sed id quod futurum est, vnius diei spatio nō patitur protelari, ne dilatatione gratia minueretur. Hodie mecum eris in paradiso.* Hodie mecum in ligno & hodie mecum in paradiso. Nam quoniam in ligno cum Christo patiebatur, & clamabat ad eum, statim exauditus est. *In die tribulationis meæ*, inquit, *clamaui ad te, quia exaudisti me. In die*, inquit: quia iam non in tenebris infidelitatis patiebatur, vt homicida, sed in luce Christi crucis suæ tribulationem libenter sustinebat, tanquā Christianus. Latro de cruce clamabat, & Christus de cruce ilum exaudiebat, & ad paradisi Regnum trahebat, fortasse inquiens cum Dauid. *Clamauit ad me & ego exaudiui eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Latro clamauit, & Christus, qui cum ipso erat in tribulatione crucis exaudiuit eum, eripiens ab æterna morte, & in gloriam paradisi secum introducens. Latro publice, & coram omnibus confessus est Christum Dominum, & Regē omnium: & Christus palam illi promittit ipsum Regnum Dei, quod in Christo cognouit, & postulauit. *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. Excedit humanam conditionem ista promissio* (ait S. Leo, serm. 2. de Passione,) *nec tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis*. Sed quoniam hæc verba Christi, quemadmodum ad illius latronis consolationē dicta sunt, ita etiā ad instructionem, & consolationem nostrā scripta esse credimus, obseruare oportet cum Origen. Homil. 15. sup. Genes. & D. Ambros. sup. Psal. 118. serm. 8. vers. 1. ea non illi soli dicta fuisse à Christo, sed omnibus sanctis, & electis suis, quibus per mortem crucis deuicta morte aperuit Regna cœlorum. Propterea enim dixit, *Hodie*: quoniam ab illa die Christus Dominus aperuit Passione sua ianuas paradisi, quæ peccato primi hominis fuerat clausa quemadmodum diffuse & optime prosequitur D. Thom. 3. part. quæst. 49. art. 5 & D. Cyrillus, libr. 17. de Adoratione in spiritu, &c. docet, quod *Deus nobis in Christo paradisi delitias reddidit, quas propter transgressionem omisimus. Eiecti enim sumus in Adam, sed restituti per Christum.*

Ambros. Psal. 85. Psalm. 90. Leo. Orig. Ambros. D. Thom. Cyrill.

*Audisti enim alibi dicentem latroni, qui ipsi appensus erat: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Auertit enim Christus gladium, qui nos inde arcebat liberque est credentibus deinceps ingressus, ipso omnia in pristinum statum instaurante, atque transformante. Quid est* (ait Gregor. Homil. 6. sup. Ezechiel.) *quod homicida post mortem summi Pontificis absolutus ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus, quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri, peccatorum suorum vinculis absoluitur, & in paradisi possessione reparatur?* Iã igitur (vt Paulus ad Hebræos scribit,) *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi:* quia per Passionem, & sanguinem Christi aperta est nobis via, & ianua paradisi, & patere cœpit introitus in æternam requiem.

Greg. Num. 35.

Hebr. 10.

Sed, ô fœlicissimum latronem, qui huius introitus Sanctorum primitias habere meruit, primus eorum audiens à Christo: *Hodie mecum eris in paradiso:* & ad cuius salutem Christus Dominus non tacuit, sed egressus est ostium! O nouum, & inauditum latronem, qui quamuis fur esset, & latro, non ascendit aliunde (sicut cæteri) sed per ostium intrauit in ouile ouium! O primum, & nouissimum, qui quamuis nouissimè omnium à Christo in cruce vocatus est, primus tamen eorum quasi martyrio crucis laureatus ante omnes Apostolos, ante omnes Martyres, regna cœlorum possidere meruit, & in gaudium Domini sui primus eorum introire! Ad Regnum cœlorum primus Discipulorum vocatus est Petrus, nouissimus autem hic latro: sed (vt Gregor. inquit, Homil. 19. Euangeliorum) *Ad paradisi requiem prius latronem Dominus, quam Petrum introduxit. Venerunt milites.* (ait S. Ioann.) *Et primi quidem fregerunt crura.* Cur, obsecro, sanctum latronem, qui ad dexteram Christi pendebat, *primum*, vocat? Fortasse, quia primus peccator fuerat: non quod ante ipsum alij multi peccatores nõ fuerint, sed quod ex illis duobus latronibus, ipse peior fuerit, atque adeo peiorem in scelere, vocauit *primum*: quemadmodum & de Saulo persequutore Ecclesiæ explicuit Aug. Hom. 9. de verbis Apostoli. Sed quamuis primus peccator esset, & scelestior altero, vocatus est à Christo, atque conuersus, altero relicto, vt sciamus, *Non esse*

Hebr. 10.

Gregor. Ioan. 19.

August.

*volentis, neque currentis*, vt Paulus ait, *sed Dei miserentis: qui cui vult miseretur, & quem vult indurat* : & vt à spei certitudine nulla nos malorum nostrorũ qualitas, nulla quantitas frangat, vt Gregor. ait, Homil. 10. Euangeliorum, qui tantam Dei bonitatem, & misericordiã in isto latronum maximo, & primo, experti sumus, vt de ipsa pœna criminis subito perueniret ad cœlestia præmia virtutis. Potuisset dicere sanctus ille latro id, quod Paulus de seipso dicebat, scribens ad Timotheũ: *Prius blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Fideiis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Aut certè idcirco *primum* vocat, quia inter omnes Sanctos noui testamenti primus post Christi mortem paradisum intrauit: de quo propterea dicere possumus illud Esaiæ: *Primus ad Sion dicet: Ecce adsum.* Quasi diceret: Ecce rem nouam, & hactenus inauditam quod latro, quod blasphemus, & persequutor, ita est mutatus à Christo, & in alterum conuersus, ex persequutore factus est possessor paradisi, & primus possessor. Quo facto Christus Dominus (vt Augustin. ait in illo sermone 130. *Non conculcauit paradisum, sed honorauit, non confudit latronis introitu, sed extulit, & illustrauit. Honor enim paradisi est, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere possit delitiis, & possessione paradisi.* Discamus ergo ab isto latrone sancto, sapienter, atque violenter paradisum rapere, non manibus *Carnis, & sanguinis, quæ Regnum Dei possidere non possunt*, vt Paulus ait sed manibus virtutum, ac bonorum operum quæramus Christum in cruce, in loco afflictionis, in die tribulationis, vt inueniamus illũ, & teneamus, sicut Dauid dicebat: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & non sum deceptus*. Discamus etiam ab illo, nullum esse tempus, aut locum, in quo peccator non possit ad Deum conuerti, & misericordiam eius, & gratiam verè pœnitendo inuenire, sicut eam in-

Rom. 9.
Gregor.
1. Tim. 1.
Esai. 41.
August.
1. Cor. 15.
Psal. 76.

uenit latro, cum iam esset in vltimo spiritu cōstitutus.
Hebr. 12. Procul sit à nobis miserrimus Iudas, qui, velut alter Esau, *Non inuenit pœnitentiæ locum*: quia quamuis culpam suam agnouit, tamen de diuina misericordia miserabiliter desperauit: &, sicut sanctus Leo dicit, sermone 5.
Leo. de Passione, *Tam peruersa impy conuersio fuit, vt etiam pœnitendo peccaret.* Nesciuit enim insipiens id, quod à sapientissimo Salomone, in libro Sapientiæ, multo ante de Deo prædictum erat, ipsum non solum filijs suis, sed
Sapien. 12. etiā inimicis *Dare locum in peccatis pœnitentiæ*: dare etiā tempus, & locum, per quæ possint mutari à malitia.

§. 7.

## Tertium verbum Christi.

LOquatur iā Dominus Iesus verba solatij *super Sanctos suos*. Quos sanctos: nisi Mariam Virginem Genitricem eius, & dilectissimum Discipulum? Hos enim alloquutus est de cruce tertio loco. Vbi obseruare licebit miram Christi charitatem, & non quærentem, quæ sua sunt. Nam primò loco loquutus est Dominus super inimicam plebem orans pro persequentibus eum, & calumniantibus, postulans eis à Patre veniam peccatorū, & pacem. Deinde latronem alloquutus est, antea inimicum, quem misericorditer conuertit ad pacē, & Regni sui consortem fecit. Et ecce iam tertio loco cōuertitur ad Sanctos suos, vt alloquatur eos, & consoletur in illa magna tribulatione sua. Ait enim S. Euangelista. *Stabant autem iuxta crucem Iesu, Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Isti sunt sancti, & iusti, qui stabant in magna constantia iuxta crucem Iesu. Maria virgo stabat, quāuis gladio doloris transfixa, fide stabat mulier illa fortis, spe, & dilectione plena. Quomodo enim non starent illi
Eccl. 26. *Pedes firmi super plantas stabilis mulieris*? Stabat etiam Ioannes iuxta crucē Iesu super pedes suos firmus, & particeps in tribulatione, & patientia Christi, quem

diligebat, & morientem videbat. Stabat & Maria Magdalene secus pedes crucifixi Domini sui, quem dilexit multum. Stabat, inquam, iuxta crucem, plorans: & quia pedes Christi non poterat, terram copiosissimis lacrymis suis rigabat, amore languens, dolore vulnerata, & velut corde mortua, quia vitam suam in ligno pendentem, & ante oculos suos morientem videbat. Sed fortissima, & constantissima inter tres, *Stabat iuxta crucem Iesu Mater, eius Maria*, Fide stabat, & spe firmissima, quia quamuis vnicum Filium suum, & quem vnicè diligebat, morientem videret, credidit tamen, cito resurrecturum ex mortuis: atque hac fide, & spe dolorem minuebat, congratulabatur saluti, ac redemptioni humani generis, & libenti animo, atque obedienti, acceptabat vnici Filij mortem, quam Pater æternus præ ordinauerat. Si enim Abrahæ fides commẽdatur ab Apostolo, propterea, quod *Vnigenitum offerebat, arbitrans, quod à mortuis suscitare potens est Deus*, sicut exponit Au. lib. 16. de Ciuit. cap 32. quanto magis fides B. Virginis, quæ multo perfectius quam omnes credidit, hanc habuit firmitatis excellentiam, vt promptissimo animo Filij sui mortem susciperet, quem credebat cito à mortuis esse resurrecturum, atque sperabat? *Non ignara fuit mysterij* (ait Ambrosius, libro de Institutione virginis c. 7. *quod genuisset resurrecturum*. Stabat etiam in magna fortitudine, atque constantia, sicut decebat Matrem Dei: quæ in omnibus viriliter agebat, atque in Domino confortata, quamuis videret in cruce morientem Filium suum, & fleret, atque summo dolore afficeretur, nihil tamen puerile, nihil muliebre gessit in opere: *Nec poterat* (ait quidam Author) *ex facie colligi crux illa animæ, patibulum spiritus*. Olim Agar, ancilla Abrahæ (sicut Historia Genes. narrat) cùm videret filium suum, siti pereuntem, *Abiecit puerum subter vnam arborem, & abijt, sedit que è regione procul. Dixit enim: Non videbo morientem puerum. Et sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit*. Sed non sic ancilla Domini & Mater Iesu Maria: quæ cum videret Filium suum, non Ismaëlem, sed Christũ, non sub arbore proiectum, sed in alto crucis confixum clauis, & siti morientem non procul sedebat, sed iuxta crucem stabat: non leuabat vocem, sed pudenter ta-

*Hebr. 11.*

*Ambros.*

*Genes. 21.*

cebat: non immoderatè, atque indiscrete lacrymabatur sed verecunde, & modestissime flebat virgineis oculis, quibus morientem Filium suum, constanti animo aspi-
Ambros. ciebat. Vnde D. Ambros. in illo lib. de Instit. virg. c. 7. sic dicit: *Stabat ante crucem, et fugientibus viris stabat intrepida. Videte, vtrum pudorem mutare potuerit Mater Iesu, quæ animum non mutauit. Spectabat pys oculis Filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret perem-*
2. Mac. 7. *ptorem.* Septem sanctorum Machabæorum mater *bonorum memoria digna* (vt 2. Machab. refertur) *et mirabilis*, omnes filios suos, vno die morientes conspexit, & bono animo ferebat: neque suspirium emisisse, neque la-
Hieron. crymas fudisse legitur. Sancta Melania (sicut Sanctus Hieronymus refert, Epistola 25. ad Paulam c. 5.) necdum humato mariti corpusculo, duos simul perdidit filios. Lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, &c. Quanto ergo meliori, ac fortiori animo esset Beatissima, & mirabilis Dei Mater, in morte Filij sui, & iuxta crucem staret immobilis, & vix suspirium, aut lacrymæ
Ambros. guttas emitteret. Rectè dixit Amb. in oratione de obitu Valentini: *Durum quidem funus videtis: sed stabat et sancta Maria iuxta crucem Filij, et expectabat Virgo sui vnigeniti Passionem. Stantem illam lego, flentem non lego, etc.*

*Stabat iuxta crucem Iesu, Mater eius*, vt & ipsa calicem Domini biberet, vt eius animam gladius doloris pertransiret: vt Christo confixa esset cruci, & illi commoreretur, quem ita vnice diligebat, vt sibi viuere solus Christus esset, & vita, mors esset, sine Christo, vt de seipso dicebat sanctus Christi amator Ignatius, epistola
Ignatius. 5. ad Romanos. Stabat etiam iuxta crucem (vt D. Am-
Ambros. bros. adnotauit, lib. 10 epistolarũ, epistola 82. & lib. citato de Institut. virg. cap. 7. *Fortasse, quia cognouerat, per Filij mortẽ mũdi redemptionẽ, aula regalis etiã sua morte putabat se aliquid publico additurã muneri: sed Iesus nõ egebat adiutore ad redẽptionẽ omniũ qui omnes sine adiutore serua-*
Psalm. 87. *uit. De quo Dauid ante prædixerat: Factus sũ sicut homo sine*
Esai. 63. *adiutorio. Et Esai. Circũspexi, et nõ erat auxiliator. Suscepit quidẽ affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxiliũ.*

Hæc Ambrosius. Itaque iuxta crucem Iesu stabat Maria Mater eius, quia tam ardenti amore humanum genus diligebat, & tanta siti salutem eius desiderabat; & redemptionem expectabat, vt optaret illo suo gladio animæ, & patibulo spiritus, aliquid conferre, si posset, ad ipsam mundi reparationem, pro qua libentissime se ipsam, & Filium offerebat. Neque sine mysterio actum est, vt mulier sanctissima, socia esset crucis Christi in redemptione humani generis. Sed quemadmodum, cum genus humanum corruit in ligno per inobedientiam primi hominis, mulier socia fuit peccati, quod ipse vir commisit, & in quo vir, & mulier, male sibi consenserunt, quamuis solius viri peccatum transiuit ad posteros, ita etiam voluit Dominus, & ordinauit, quod in ligno sanctæ crucis, vir, & mulier, offerrent sacrificium pro illius peccati expiatione, & ille secundum carnem moreretur, ista vero secundum spiritum; Christus carnem, & Maria spiritum immolaret; quamuis solius Christi Passione, & morte redempti sumus, & iustificati, non Mariæ compassione: esto quod illa nobis multum contulerit ad salutem, cuius meritis, & precibus ab omni malo liberaremur, & in omni opere bono confirmamur, & ad vitam perducimur sempiternam. Congruum ergo erat, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. *Genes. 3.*

*Cum vidisset ergo Iesus Matrem, dicit ei; Mulier, ecce filius tuus*, D. Ambros. 10. epistolarum, epistola. 79. dicit, his verbis Christum pronuntiasse testimonium de virginitate, & integritate suæ Matris, quod nec virum cognouerit, neque filios ex ipso susceperit. *Hoc ergo* (ait) *testamentum Filij est de Matris integritate: hæc Mariæ locuples integri pudoris hereditas.* Quod etiam insinuauit Chrysost. Homil. 5. super Matth. & Paulinus, scribens August. epist. 58. Sed, vt ad mystica, & moralia tantisper transeamus, oportet consideremus, quanto cum dolore Beatissima Virgo velut altera Rachel genuit hunc secundum filium Beniamin, filium, inquam, doloris sui, quem parturiuit iuxta crucem: quanto etiam animi mœrore suscepit hanc commutationem, vt pro Christo acciperet Ioannem, pro Filio Discipulum, pro Deo hominem. Accessit enim ad cumulum mœroris eius, *Ambros.* *Chrysost.* *Paulinus.*

quod moriente coram oculis eius vnico Filio suo, susciperet loco eius Ioannem, atque adoptaret in filium. Mortuo Abel, quem occidit Cain, Eua mater alium genuit filium, atque alacri animo dixit; *Posuit mihi Dominus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain.* Sed Dei Mater non potuit alacri animo hãc commutationem accipere, sed summo cum mœrore. Quam enim commutationem pro Filio suo, quem diligebat plusquam animam suam, condignam posset existimare? *Non commutabuntur pro ea* (ait S. Iob, loquens de sapientia, quæ Christus est), *vasa auri excelsa, & eminentia, nec commemorabuntur in comparatione eius.* Vas admirabile, & excelsum, S. Ioãnes Euangelista fuit, sed comparatione Christi nec cõmutari, nec commemorari poterat. Quis enim purum hominem Deo homini, & mediatori Dei & hominum conferre audeat? Sed & in hoc sacratissimam Virginis animam doloris gladius pertransiuit, quod hanc commutationem filiorum passa est, vt pro Filio Dei & hominis, acciperet iuxta crucẽ vnum ex filiis hominum, tametsi ipsi Christo, & Matri dilectissimum. *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus.*

Genes. 4.

Iob 28.

Deinde dicit Discipulo, *Ecce Mater tua.* Hæc commutatio non in deterius, sed in multo melius facta est, quæ sanctum Ioannem ad tantam dignitatem extulit, vt filius Beatissimæ Virginis à Christo appellari, & esse meruerit. Sic enim exaltauit eum Dominus, sic honorauit, stantem iuxta crucem eius, vt ipsa Mater Dei, quę (vt verbis vtar Salomonis) *Omnium bonorum mater est*, ex illa hora *Obuiauerit illi, quasi mater honorificata.* Vnde sequitur in Euangelio; *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Fœlix S. Ioannes, qui altiori modo, post Christum, inter omnes homines, & inter omnes Angelos, dicere potuit Mariam esse suam matrem, imo & esse suam. *Melior enim est acquisitio illius, possessione auri, & argenti, pretiosior est cunctis opibus* (vt Salomon ait) *& omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Sed & illud congruè satis factum est, vt Beatissima Virgo Ioanni virgini commendaretur possidenda, atque seruanda. Ioannes enim *Gratia Dei* interpretatur: & propterea merito illi mater gratiæ datur custodienda. *Neque enim* (vt Ambrosius ait in Exhortatione ad virgi-

Sapient. 7.
Ecclesi. 15.

Prouerb. 3.

Ambros.

nes) *Mater Domini Iesu, nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.*

Denique illud obseruandum est, has voces, *Ecce mater tua*, &, *Ecce filius tuus*, non de solo Ioanne, & soli Ioanni prolatas esse à Christo: sed cunctis fidelibus in Christo renatis beatissima Virgo, pia mater est, & ipsi inter eius filios computantur. Et quemadmodum, Eua, *mater est cunctorum viuentium* vita carnis; ita etiam Maria, mater est omnium viuentium vita gratiæ, quæ proinde *Mater gratiæ*, *& misericordiæ* nuncupatur, & vniuersos fideles materno sinu semper amplectitur, & fouet: & ad quam, quasi ad omnium matrem, vt etiam de plenitudine eius accipiant gratiam pro gratia, omnes cōfugiunt. Ipsa enim omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. *Genes. 3.*

§. 8.

## *Quartum verbum Christi.*

POsteaquam crucifixus Dominus loquutus est pacem super inimicos suos, & peccatores, ac denique super sanctos suos; causam suā agere incipit cum Deo. Hactenus enim, iuxta regulam Pauli, non quæ sua sunt, considerauerat, sed quæ aliorum: vt obiter hoc exēplo suo eandem charitatis regulam hominibus persuaderet, & confunderet eos, qui (sicut idem Paulus eodem loco dicit) *Quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* *Philip. 2.*

Ait enim S. Matthæus; *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Magna voce clamauit Christus Iesus, quia magnum salutis documentum illo clamore omnibus fidelibus præbere voluit Nā vox illa (vt S. Leo docuit, ser. 16. de Pas. *Doctrina fuit, nō querela.* Docuit enim nos, vt in maxima tribulatione, ac necessitate, cōstituti magna etiam voce cordis, aut etiam oris, clamemus ad Deum, vt ab ipso exaudiamur, & ab omni malo tā animæ, quam corporis, liberemur. Sic Moyses in Exodo, cum populus Israel persequentibus Ægyptiis periclitaretur, magno clamore cordis clamauit ad Dominum, ita vt Dominus ei diceret: *Quid clamas ad me?* Sic etiam Dauid, in angustia, & necessitate constitutus *Leo.* *Exod. 14.*

*doleret? Expressit medici affectum, qui etiam si ipse nullum vulnus habuit, quod doelret, tamē compassus est vulneratis.* Et lib. 10. Comment. super Lucam, in ca. 22. *Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem: & nos æstimauimus, te esse in doloribus, cum tu, non pro te, sed pro me doleres. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra: non quia tibi illa infirmitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta: quia mihi proderat, vt eruditio pacis nostræ esset in te, & liuore tuo vulnera nostra sanares.* Nihilominus tamen (vt diximus) rectissime, nec sine mysterio, dixit S. Euangelista, *Baiulans sibi crucem.* Quoniam ita ardentissimo amore crucem, amauit, quam pro nobis portauit, & in qua propter nostram salutem passus est, vt eam solam ex toto opere suæ Passionis tanquam rem sibi dilectissimam, & pretiosissimam elegerit, & assumpserit. Non sibi elegit gaudia, non consolationes, non merita, non fructus, non coronas, & triumphos, sed crucem sibi inter omnia reseruauit, quam magis dilexit. Audistis aliquando, B. Andream, amatorem crucis, crucem sibi super omnia elegisse, ac dilexisse? *Amator tuus*, aiebat, *semper fui, & desideraui amplecti te.* Sed si cum amore Christi, quo sibi crucem amauit, & portauit, conferatur, plusquam cœlum à terra distabit:
Hebr. 12. de quo Paulus ad Hebræos scripsit, *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Quia sic crucem amauit sibi, vt gaudia respueret, confusionem contemneret, vt dilectissima sibi cruce potiri posset. Videant
Philip. 3. ergo, & confundantur *Inimici crucis Christi quorum finis interitus, quorum Deus venter est*, vt Paulus ait. Gaudeat Christianus, & amator crucis Christi, & cum Paulo desideret *Christo confixus esse cruci*: & cum eodem semper dicat, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini no-*
Gala. 2. & 6. *stri Iesu Christi.* Studeat cum Simone Cyrenensi, impositam sibi crucem portare post Iesum. Nam si *Ecclesia si-*
Luc. 22. *ne cruce stare non potest* (vt Ambros. ait, serm. 56. multo
Ambros. magis vnusquisque fidelium sine cruce Christi, nec stare poterit, neque à peccatis resurgere, neque in gloriam introire.

Luc. 23. Obseruandum tertio est quod S. Lucas dixit, *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficeren-*

*tur*, Quo loco etiam ipſum Chriſtum, ſicut & alios, appellaſſe videtur hominem *nequam*. Quod profectò valde mirabile legentibus videri poteſt. Quomodo enim nequam ſit, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius? Quomodo nequaquam, agnus Dei ſine macula, qui venit tollere peccata mundi? Quomodo nequam, Summus ille *Pontifex* (vt Paulus ait) *Sanctus, innocens, impolutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cœlis factus?* Sed quoniam, ſicut Eſai. prædixerat, *Cum iniquis reputatus eſt*, propterea etiam & à ſancto Euangeliſta inter alios duos nequam videtur deputatus. Aut enim loquebatur iuxta opinionem Iudæorum, & hoſtium Chriſti, qui eum hominem peccatorem, & nequam appellabant. *Nos ſcimus* inquiunt, *quia hic homo peccator eſt*. Et iterum, *Si non eſſet hic, malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*. Aut certe ita loquebatur, quia cum pro nobis peccatum factus eſſet, & iniquitates noſtras, ac peccata, ſuper ſe portaret, hac de cauſa, qui non ſolum ſanctus ſed & omnium ſanctificator erat, & aſſimilatus Filio Dei, vt nos ſanctificaret ab omni peccato, & nequitia, aſſimilari paſſus eſt *Genti peccatrici, ſemini nequam, filiis ſceleratis*, & inter eos nominari, ac ſi eſſet vnus ex ipſis, nec tam ſegregatus ab eis.

*Hebr. 7.* *Eſai. 53.* *Joann. 9.* *Joan. 18.* *Eſai. 1.*

Quarto obſeruandum eſt, quod S Euan. dicit, *Vbi crucifixerunt eum: & cum eo alios duos, hinc & hinc: medium autem Ieſum*. En iam aſcendit crucem Sponſus ſanguinum, qui olim Sponſæ promiſerat, dicens, *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius*. Vbi D. Gregor. per palmam intelligit crucem Chriſti: & ſubdit, *In palmam aſcendit, & fructus eius apprehendit: quia in cruce ſuſpenſus, fructum vitæ inuenit, & apprehendit, & nobis tribuit*. Sed ſibi quos fructus apprehendit? Profectò dolores, paſſiones, tormenta, clauos, blaſphemias, & illuſiones. Nam ſancti Euangeliſtæ referunt, *Populus, & Principes deridebant illum. Milites illudebant ei. Alij prætereuntes blaſphemabant eum, mouentes capita ſua*. Deniq; & *latrones*, qui crucifixi erant cum eo, *improperabant ei*. Quæ omnia Chriſtus Dominus mira patientia tolerabat, & plenus dilectione erga inimicos, & perſequutores ſuos, cum malediceretur, non maledicebat, cum

*Cant. 7.* *Greg.*

percuteretur, non comminabatur, sed ad Patrem dicebat cum Dauid, *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Et iterum *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam, &c.*

Psal. 21. Psal. 108.

Exodi. 17. Olim Moyses montem ascendens, & habens virgam Dei in manu sua, eleuauit manus, vt oraret pro populo: sed, quia manus illius erant graues, *Aaron, & Hur, sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus illius non lassarentur, vsque ad occasum solis.* Sed multo melius noster Iesus ascendit Caluariæ montem, accepit virgam crucis in manibus suis, vt in ea & sacrificium offerret, & ad Patrem oraret eleuatis manibus: sicut ipse dixit per os Dauid, *Dirigatur oratio mea sicut*

Psal. 140. *incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Non sustentabant manus eius Aaron, & Hur, sed durissimis clauis sustentabantur: imo potius summo amore, & abscondita virtute ipsius Christi sustentabantur, dicente Propheta, *Cornua*

Abacuc. 3. *in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* In manibus eius erant claui, erant & cornua crucis, quæ ipsius virtute sustentabantur: non ipsa manus Christi sustinebant. Istæ sunt manus, quæ non sunt lassatæ vsque ad occasum solis. Nam quousque ipse Sol iustitiæ in cruce obscuratus est, & occubuit, manus eius lassatæ non sunt, nec vis amoris illius, nec desiderium patiendi, nec sitis orandi pro nobis vllo pacto defecit,

Esai. 65. sicut ipse per Esaiam dixit, *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum. Tota die,* inquit. Quia, vt dicebamus, quousque finitus est dies Christi, & ad occasum mortis deuenit, non cessauit expansas habere manus ad populum, pro quo orabat, & quem redime-

August. bat, & ad se trahere desiderabat. Nam, vt recte notauit August. serm. 93. de Tempore, *Moyses manus quidem leuauit, sed non extendit. Cui ergo seruabatur, vt manus extenderet, nisi Domino nostro Iesu Christo, qui extentus in cruce, vniuersum orbem complexurus, bracbia pietatis expandit?* Quæ verba desumpsit ex Origene,

Origenes. Homilia 11. sup. Exodum. Quo loco multa prosequitur Origenes consequenter, quæ ad mores conducere possunt.

Denique obseruandum est quinto, Christum Domi-

num non ſolum clauis cruci fuiſſe affixum, ſed ne quod eſſet ignominiæ, & confuſionis genus, quod pro nobis non aſſumeret, nudus aſcendit crucem, confuſione contempta, vt noſtram nuditatem aſſumendo, tolleret, atque indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ, & gloriæ cooperiret. Videbat naturam humanam, peccato primi hominis nudam, & ſpoliatam, ſecundum quod per Ezechielem dicitur, *Dimittent te nudam, & ignominia plenam.* Nam primus noſtri generis parens, & peccator, vt Ambroſ. dicit in 2. Apologia Dauid, cap. 8. *Factus eſt ſibi nudus, poſtquam factus eſt reus culpæ: in illo nudata eſt omnis humana conditio per ſucceſſionem naturæ, non ſolum culpæ, ſed etiam ærumnæ obnoxia.* Hanc ergo nuditatem noſtram ſumere voluit noſter Ieſus, egreſſus ad Paſſionem crucis, non ſolum, vt milites poſſent diuidere ſibi inuicem veſtimenta eius, ſed etiam ſua nuditate noſtram veſtiret, atque operiret. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ,* ait S. Iob, *nudus reuertar illuc.* Sic etiam & Chriſtus, qui propter nos nudus egreſſus eſt de vtero Virginis, nudus etiam egreſſus eſt ad locum Paſſionis, vt nudus moreretur in cruce. Vbi contemplari licebit ſanctum Noë, inebriatum vino, & nudatum in tabernaculo ſuo: & Chriſtum Dominum inebriatum vino ardentiſſimæ charitatis ſuæ, nudatum in cruce, & illuſum. *Ad te quoque perueniet calix* (ait S. Hieremias) *inebriaberis, atque nudaberis.* Hic ſummus Pontifex Aron nudatur veſte in monte, vt colligatur, & moriatur ibi. noſter enim Summus Pontifex Ieſus, in Monte Caluariæ nudatus eſt veſtimentis ſuis, vt ſic nudus moreretur vt nos veſtiret immortalitatis indumento. Videre etiam libet S. Dauid Regem, nudatum coram arca Domini & deſpectum à filia Saul. *Quam glorioſus,* inquit, *fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum: & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Non aliter Chriſtus, Rex Iſrael, nudatus eſt coram arca ſanctiſſimæ crucis, irridente illum Synagoga Iudæorum cum filia Saul. Quæ profectò illa ſua Ironia, & irriſione, prophetauit, neſciens quid diceret. Numquàm enim magis glorioſus fuit tota vita ſua Chriſtus Rex Iſrael, quam cum nudatus luſit ante

*Ezech. 13.*
*Iob. 1.*
*Geneſ. 9.*
*Thren 4.*
*Num. 20.*
*2. Reg. 6.*

arcam sanctæ crucis coràm seruis suis, imo & coram hostibus Iudæis, & gentibus: qui propterea deridebant Regem suum, quia scire non poterant gloriam sanctæ crucis, & splendidissimum ornatum illius nuditatis, quam Christus misericorditer assumpsit pro nobis, vt nuditatis nostrę ignominiam, & confusionem tolleret: atque etiam, vt doceret nos, hac nuditate assumpta, viriliter præliari aduersus spiritualia nequitiæ. *Omnis enim, qui in agone contendit, ab omni-*
1. Cor. 9. *bus se abstinet*, ait Paulus. Deinde, vt suo exemplo nos instrueret, nuditatem amando, mundum despicere, quemadmodum Esaias *Ambulauit nudus, &*
Esai. 20. *discalceatus.* Similiter & Michæas, *Vadam*, inquit,
Mich. 1. *spoliatus, & nudus* Paulus etiam *in frigore, & nuditate* age-
1. Cor. 11. bat, *certus, quod neque nuditas posset eum separare à charitate Christi.* Denique vt quemadmodum Christus inimicam Synagogam reliquit, & nudus cucurrit ad cru-
Rom. 8. cem, ita & nos inimicos animæ nostræ nudi fugiamus ad ipsam Christi crucem, vt saluari à peccato, & æterna morte, possimus. Ioseph nudus, & relicto pallio, fu-
Genes. 39. git iniquitatem impudētissimæ fœminæ, & nudus euasit ab ea. Adolescens, vt S. Marc. refert, nè comprehenderetur ab hostibus, *Relicta syndone, nudus profugit*
Marc. 14. *ab eis.* Ac denique, vt Amos Propheta dicit, *Robustus*
Amos 2. *corde, inter fortes nudus fugiet.*

§. 6.

SEd iam tempus est, vt Christus Dominus, qui hactenus toto discursu Passionis suæ, diuinitatem suā occultauit, & (vt sæpe diximus) tacuit, neque egressus est ostium, egrediatur in salutem populi sui, occultam maiestatem suam ostendat, Diuinitatem electis aperiat, thesauros infinitæ charitatis suæ demonstret: loquatur
2. Reg. 23. Rex Israel seruis suis verba salutis, & pacis, verba nouissima, quę in cruce loqui constituit *Fortis Israel, iustus dominator hominum.* Verba enim æternæ vitæ habet. Ipse enim dixit; *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita,*
Ioan. 6. *sunt. Audiamus & nos, quid nobis loquatur Dominus Deus, &*
Psalm. 84. *Rex noster: quoniam loquetur pacem in plebē suam, & in eos, qui conuertuntur ad cor.* Ad hos enim omnes loquuturus est Christus Dominus in cruce, vt suo ordine demonstrabimus.

Primum

*Primum verbum Christi.*

SVper plebem suam loquutus est pacem, quando sicut S. Luc. narrat, *Stabat populus expectans, et deridebant eum Principes cum eis: Iesus autem dicebat, Pater, ignosce illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Illi blasphemāt, deridently, & persequuntur: iste plenus charitate, & dilectione, atque summa patientia, non sentit contumelias, non petit vindictam, sed aperiens os suum in oratione, pro delictis eorum deprecatur. Vide, quàm recte dixit S. Esaias, *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit: vt non perirent.* Quasi diceret, Ipse in cruce eleuatus, & affixus patienter tulit multorum peccata, blasphemias, & illusiones; & non solum non reddidit malum pro malo, sed è contrario eis benedicebat, & pro transgressoribus rogabat, vt non perirent. Et quod maxime commendat charitatem Christi in nos, primum verbum crucis suæ ad hoc direxit, vt pro inimicis, & persequutoribus oraret, & sic loqueretur pacem in plebem suam, & in se ipso, opere perfectissimo, & exemplo monstraret, quod ante sermone docuerat Apostolos, & fideles omnes, inquiens, *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Hoc exēplo Christi edoctus S. Stephanus, iam iam moriturus, pro inimicis, ac persequutoribus etiam ipse rogauit, vt non perirent, inquiens, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* Paulus etiam à Christo edoctus, dicebat Corinthiis, *Maledicimur, & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus.* Sed, vt recte dixit S. Gregorius, Homil. 27. sup Euang. *Quid mirum, si inimicos diligant Discipuli, dum viuunt, quando et tunc eos diligit Magister, cum occiditur,* Illud certe omnibus indubitatum esse debet, inexcusabiles nos futuros esse ante Deum, & Patrem, si eos tantum dilexerimus, qui nos diligunt, & non dilexerimus inimicos, ac persequutores nostros, quemadmodum à Christo Domino verbo, & exemplo, sumus edocti.

*Esai. 53.*

*Matth. 5.*

*Act. 7.*

*1. Cor. 4.*

*Gregor.*

*Secundum verbum Christi.*

SEd quomodo obsecro, loquutus est ad eos, qui conuertuntur ad cor? Audiamus S. Lucam Euangelistam, *Vnus (inquit) de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens, Si tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicẽs, Neque tu times D. ũ, qui in eadem damnatione es? Et nosquidẽ iuste, nã digna factis recipim⁹, hic vero nihil mali gessit: Et dicebat ad Iesum, Domine, memento meidum veneris in Regnũ tuũ. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Turba multa cum gladiis, & fustibus, vt S. Matt. refert, exierat ad Iesum comprehendendum tanquam ad latronem, vt eũ morti traderent: & nunc, vice versa, egreditur ipse Iesus ad latronem, & peccatorem cõprehendendum, vt eum vitæ restituat: eũ, inquã, qui fortasse paulo ante Christum blasphemauerat, & conuiciis resperserat, ita vt possimus dicere cum Dauid, *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Sed hoc tam admirabile opus pietatis, tã nouum, tam rarũ, non alibi quàm in cruce Dominus exercere voluit, vt & ipse crucis suæ virtutem ostenderet, & latro eam agnosceret: & propter eam (vt S. August. ait, serm. 130.) Iesum Regem appellaret, quia videbat crucifixum: & iuxta consiliũ Apostoli, in Epist. ad Hebræos, *Adiret cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequeretur, & gratiam inueniret in auxilio opportuno.* Opportunũ profecto tunc fuit diuinum auxilium, quod latronem illuminauit, conuertit & traxit ad Christum. Opportuna etiam ipsius latronis conuersio, qui non tardauit conuerti ad Dominũ: & (sicut recte dixit Aug. serm 120) *Nec salutis tempora sciens, distulit: nec remedia status sui in momenta vltima, infælici fraude, posuit: nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit: nec religionẽ ante nec Christum sciuit. Quod si sciuisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in Regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendã fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* Consideremus, obsecro, altitudinẽ consiliorum, & iudiciorum Dei. Eo tempore, quo Iudas Discipulus Magistrum tradidit, &

*Psalm. 9.* *August.* *Hebr. 4.* *August.*

deserente eum Domino, cucurrit ad desperationem, & laqueum, latro, auxiliante Deo, ad Christum conuersus, discipulusque, & confessor Regni illius effectus, paradisum intrauit. *Quod de carcere, & catenis interdum quis egrediatur ad Regnum*, ait Salomon: & *alius natus in Regno, inopia consumatur. Interdum*, inquit: quia singulare hoc fuit, & de his, quæ raro contigisse leguntur. Quod latro de carcere, & catenis, egressus sit ad Regnũ celeste possidendum, & Iudas, qui in Regno Dei, & Christi, nutritus erat, & quasi natus, inopia pœnitentiæ, & gratiæ, consumatur, hoc in abyssum iudiciorum Dei, & altitudinem sapientiæ ipsius, reiiciendum est, quẽadmodũ reiicit Greg li. 25. Mora c. 7. & li. 39. ca. 9. Sed & alterum mirabile in hoc Christi egressu obseruandum nobis est. Ecce enim duo latrones, duo nequam, ducti sunt ad mortem cum Christo. ambo crucifixi cum eo, & fortasse etiam ambo Christũ blasphemabant: & ecce subito vnus eorum conuersus in Christum, credit corde, & ore ipsum confitetur ad salutem, altero in sua cæcitate, & obstinatione vsque ad mortem persistente: & ipse Iesus, medius eorum stãs, vnum ad se trahit, & alterum non trahit, vnum assumit, & alterum relinquit. *Fecit Deus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab iis, quæ erant super firmamentum*. Firmamentum hoc in medio aquarum, Christus Dominus est in medio duorum latronum Nam quod Christus Dominus, firmamentum sit, plane confitetur S. Dauid, inquiens? *Dominus firmamentum meum*. Et iterum? *Erit firmamentum in terra in summis montium*. Quod si aquæ sunt populi, nihil mirum, si dicamus, aquas sub firmamento significare latronem reprobum, & damnatũ, aquas vero super firmamentum, latronem electum, & super firmamentum cœli in paradisum introductum. Has ergo aquas diuisit hodie Christus in firmamento crucis, medius latronum positus, qui secundum altitudinem suam eum, qui à sinistris eius erat, cum reprobis, & descendentibus in lacum, & in ignem æternum, tanquàm maledictum dereliquit, illũ vero qui a dextris eius erat sua misericordia, & gratia, discernere voluit, & cum electis benedixit, vt possideret Regnum sibi præpara-

Ecclef. 4.
Gregori.
Genes. 1.
Psal. 17.
Psal. 71.

tum ante mundi constitutionem. Hanc diuisionem aquarum etiam S. Dauid in spiritu præuidisse existimo, cum loquens ad Patrem de Christo, dicebat, *Posuisti*

*Psal. 88.* *firmamentum eius formidinem: factus est opprobrium vicinis suis: exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius.* Firmamentum Christi, crux eius est, in qua firmus stetit clauis confixus: quam ideo formidinem vocat, quia crux formidabilis solet esset hominibus, tanquam extremum malum, & maledictum. In illa factus est opprobrium vicinis suis: quia non solū Iudæi, & milites illudebant ei, & blasphemabant, sed etiam latrones, quos habebat vicinos, improperabant ei. Sed Deus, qui diues est in misericordia, & ostendebat omnem patientiam suam, exaltauit dexteram deprimentium illum, conuertendo mirabiliter ad se latronem, qui ad dexteram eius crucifixus erat (vt S. Pa-

*Cælestin.* pa Cœlestinus fatetur, epist. 2 ad Episcopos Galliarum, ca 2.) & exaltando illum vsque ad paradisum. Quo facto, absque dubio lætificauit inimicos eius, eius inquam, latronis inimicos, qui perfecto odio oderant illum detestantes illius peccata, & salutem eius amantes, ac desiderantes. Nam si (vt S. Lucas ait) *Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*, quanto,

*Luc. 15.* putas, gaudio lætificati sunt, & exhilarati, Angeli in cœlo, & Sancti in terra, qui iuxta crucem Christi stabant, super isto vno, & maximo peccatore, tantam, & talem pœnitentiam agente?

*Memento mei, Domine, inquit, dum veneris in Regnum tuum. Quàm stupenda, & quam singularis deuotio,* ait Au-

*August.* gust. in illo serm. 120.) *sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus: & quem iste hominem negat ille Dominum confitetur.* Et serm. 144. *Magna fides. Huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubauerunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantē: credidit ille, quem videbat secū in ligno pendentem. Memento mei inquit, dum veneris in Regnum tuum: si mihi tormenta debentur, quousque tu venias in Regnum tuum.* Paratus enim erat etiā vsque adiudicii diē peccatorū suorum pœnas in Purgatorio soluere: &, vt Aug. dicit iterū serm. 8. de Verbis Domini, & 48 de tempore, *Considerabat facinora sua, & pro magno habebat, si ei, vel in fine parceretur. Salutem suam longe futuram sperabat: & post longum tē-*

*pus accipere contentus erat*. Sed Iesus respondet illi, *Amē dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Misericordia obtulit*, ait August. *quod miseria distulit*: & Ambr. sup. Psal. 118. serm. 8. *Futurum promittit: sed id quod futurum est, vnius diei spatio nō patitur protelari, ne dilatatione gratia minueretur. Hodie mecum eris in paradiso.* Hodie mecum in ligno & hodie mecum in paradiso. Nam quoniam in ligno cum Christo patiebatur, & clamabat ad eum, statim exauditus est. *In die tribulationis meæ*, inquit, *clamaui ad te, quia exaudisti me. In die*, inquit: quia iam non in tenebris infidelitatis patiebatur, vt homicida, sed in luce Christi crucis suæ tribulationem libenter sustinebat, tanquā Christianus. Latro de cruce clamabat, & Christus de cruce ilum exaudiebat, & ad paradisi Regnum trahebat, fortasse inquiens cum Dauid. *Clamauit ad me & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Latro clamauit, & Christus, qui cum ipso erat in tribulatione crucis exaudiuit eum, eripiens ab æterna morte, & in gloriam paradisi secum introducens. Latro publice, & coram omnibus confessus est Christum Dominum, & Regē omnium: & Christus palam illi promittit ipsum Regnum Dei, quod in Christo cognouit, & postulauit. *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. Excedit humanam conditionem ista promissio* (ait S. Leo, serm. 2. de Passione,) *nec tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis*. Sed quoniam hæc verba Christi, quemadmodum ad illius latronis consolationē dicta sunt, ita etiā ad instructionem, & consolationem nostrā scripta esse credimus, obseruare oportet cum Origen. Homil. 15. sup. Genes. & D. Ambros. sup. Psal. 118. serm. 8. vers. 1. ea non illi soli dicta fuisse à Christo, sed omnibus sanctis, & electis suis, quibus per mortem crucis deuicta morte aperuit Regna cœlorum. Propterea enim dixit, *Hodie*: quoniam ab illa die Christus Dominus aperuit Passione sua ianuas paradisi, quæ peccato primi hominis fuerat clausa quemadmodum diffuse & optime prosequitur D. Thom 3. part. quæst. 49. art. 5 & D. Cyrillus, libr. 17. de Adoratione in spiritu, &c. docet, quod *Deus nobis in Christo paradisi delitias reddidit, quas propter transgressionem omisimus. Eiecti enim sumus in Adam, sed restituti per Christum.*

*Ambros.* *Psal. 85.* *Psalm. 90.* *Leo.* *Orig.* *Ambros.* *D. Thom.* *Cyrill.*

*Audisti enim alibi dicentem latroni, qui ipsi appensus erat: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Auertit enim Christus gladium, qui nos inde arcebat liberque est credentibus deinceps ingressus, ipso omnia in pristinum statum instaurante, atque transformante. Quid est* (ait Gregor. Homil. 6. sup Ezechiel.) *quod homicida post mortem summi Pontificis absolutus ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus, quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri, peccatorum suorum vinculis absoluitur, & in paradisi possessione reparatur?* Iã igitur (vt Paulus ad Hebræos scribit,) *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi:* quia per Passionem, & sanguinem Christi aperta est nobis via, & ianua paradisi, & patere cœpit introitus in æternam requiem.

Greg. Num. 35.

Hebr. 10.

Sed, ô fœlicissimum latronem, qui huius introitus Sanctorum primitias habere meruit, primus eorum audiens à Christo: *Hodie mecum eris in paradiso:* & ad cuius salutem Christus Dominus non tacuit, sed egressus est ostium! O nouum, & inauditum latronem, qui quamuis fur esset, & latro, non ascendit aliunde (sicut cæteri) sed per ostium intrauit in ouile ouium! O primum, & nouissimum, qui quamuis nouissimè omnium à Christo in cruce vocatus est, primus tamen eorum quasi martyrio crucis laureatus ante omnes Apostolos, ante omnes Martyres, regna cœlorum possidere meruit, & in gaudium Domini sui primus eorum introire! Ad Regnum cœlorum primus Discipulorum vocatus est Petrus, nouissimus autem hic latro: sed (vt Gregor. inquit, Homil. 19. Euangeliorum) *Ad paradisi requiem prius latronem Dominus, quam Petrum introduxit. Venerunt milites.* (ait S. Ioann.) *Et primi quidem fregerunt crura.* Cur, obsecro, sanctum latronem, qui ad dexteram Christi pendebat, *primum*, vocat? Fortasse, quia primus peccator fuerat: non quod ante ipsum alij multi peccatores nõ fuerint, sed quod ex illis duobus latronibus, ipse peior fuerit, atque adeo peiorem in scelere, vocauit *primum*: quemadmodum & de Saulo persequutore Ecclesiæ explicuit Aug. Hom. 9. de verbis Apostoli. Sed quamuis primus peccator esset, & scelestior altero, vocatus est à Christo, atque conuersus, altero relicto, vt sciamus, *Non esse*

Hebr. 10.

Gregor.

Ioan. 19.

August.

*volentis, neque currentis,* vt Paulus ait, *sed Dei miserentis: qui cui vult miseretur, & quem vult indurat* : & vt à spei certitudine nulla nos malorum nostrorũ qualitas, nulla quantitas frangat, vt Gregor. ait, Homil. 10. Euangeliorum, qui tantam Dei bonitatem, & misericordiã in isto latronum maximo, & primo, experti sumus, vt de ipsa pœna criminis subito perueniret ad cœlestia præmia virtutis. Potuisset dicere sanctus ille latro id, quod Paulus de seipso dicebat, scribens ad Timotheũ: *Prius blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Aut certè idcirco *primum* vocat, quia inter omnes Sanctos noui testamenti primus post Christi mortem paradisum intrauit: de quo propterea dicere possumus illud Esaiæ: *Primus ad Sion dicet: Ecce adsum.* Quasi diceret: Ecce rem nouam, & hactenus inauditam quod latro, quod blasphemus, & persequutor, ita est mutatus à Christo, & in alterum conuersus, ex persequutore factus est possessor paradisi, & primus possessor. Quo facto Christus Dominus (vt Augustin. ait in illo sermone 130. *Non conculcauit paradisum, sed honorauit, non confudit latronis introitu, sed extulit, & illustrauit. Honor enim paradisi est, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere posit delitijs, & possessione paradisi.* Discamus ergo ab isto latrone sancto, sapienter, atque violenter paradisum rapere, non manibus *Carnis, & sanguinis, quæ Regnum Dei possidere non possunt*, vt Paulus ait sed manibus virtutum, ac bonorum operum quæramus Christum in cruce, in loco afflictionis, in die tribulationis, vt inueniamus illũ, & teneamus, sicut Dauid dicebat: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & non sum deceptus.* Discamus etiam ab illo, nullum esse tempus, aut locum, in quo peccator non possit ad Deum conuerti, & misericordiam eius, & gratiam verè pœnitendo inuenire, sicut eam in-

Rom. 9.

Gregor.

1. Tim. 1.

Esai. 41.

August.

1. Cor. 15.

Psal. 76.

uenit latro, cum iam esset in vltimo spiritu cōstitutus. Procul sit à nobis miserrimus Iudas, qui, velut alter E-
Hebr. 12. sau, *Non inuenit pænitentiæ locum*: quia quamuis culpam suam agnouit, tamen de diuina misericordia miserabiliter desperauit: &, sicut sanctus Leo dicit, sermone 5.
Leo. de Passione, *Tam peruersa impij conuersio fuit, vt etiam pænitendo peccaret* Nesciuit enim insipiens id, quod à sapientissimo Salomone, in libro Sapientiæ, multo ante de Deo prædictum erat; ipsum non solum filijs suis, sed
Sapien. 12. etiā inimicis *Dare locum in peccatis pænitentiæ*: dare etiā tempus, & locum, per quæ possint mutari à malitia.

§. 7.

## Tertium verbum Christi.

Loquatur iā Dominus Iesus verba solatij *super Sanctos suos*. Quos sanctos: nisi Mariam Virginem Genitricem eius, & dilectissimum Discipulum? Hos enim alloquutus est de cruce tertio loco. Vbi obseruare licebit miram Christi charitatem, & non quærentem, quæ sua sunt. Nam primo loco loquutus est Dominus super inimicam plebem orans pro persequentibus eum, & calumniantibus, postulans eis à Patre veniam peccatorū, & pacem. Deinde latronem alloquutus est, antea inimicum, quem misericorditer conuertit ad pacē, & Regni sui consortem fecit Et ecce iam tertio loco cōuertitur ad Sanctos suos, vt alloquatur eos, & consoletur in illa magna tribulatione sua. Ait enim S. Euangelista. *Stabant autem iuxta crucem Iesu, Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Isti sunt sancti, & iusti, qui stabant in magna constantia iuxta crucem Iesu. Maria virgo stabat, quāuis gladio doloris transfixa, fide stabat mulier illa fortis, spe, & dilectione plena. Quomodo enim non ta-
Eccl. 26. rent illi *Pedes firmi super plantas stabilis mulieris*? Stabat etiam Ioannes iuxta crucē Iesu super pedes suos firmus, & particeps in tribulatione, & patientia Christi, quem

diligebat, & morientem videbat. Stabat & Maria Magdalene secus pedes crucifixi Domini sui, quem dilexit multum. Stabat, inquam, iuxta crucem, plorans: & quia pedes Christi non poterat, terram copiosissimis lacrymis suis rigabat, amore languens, dolore vulnerata, & velut corde mortua, quia vitam suam in ligno pendentem, & ante oculos suos morientem videbat. Sed fortissima, & constantissima inter tres, *Stabat iuxta crucem Iesu Mater, eius Maria*, Fide stabat, & spe firmissima, quia quamuis vnicum Filium suum, & quem vnicè diligebat, morientem videret, credidit tamen, cito resurrecturum ex mortuis: atque hac fide, & spe dolorem minuebat, congratulabatur saluti, ac redemptioni humani generis, & libenti animo, atque obedienti, acceptabat vnici Filij mortem, quam Pater æternus præ ordinauerat. Si enim Abrahæ fides commẽdatur ab Apostolo, propterea, quod *Vnigenitum offerebat, arbitrans, quod à mortuis suscitare potens est Deus*, sicut exponit Au. lib. 16. de Ciuit. cap 32. quanto magis fides B. Virginis, quæ multo perfectius quam omnes credidit, hanc habuit firmitatis excellentiam, vt promptissimo animo Filij sui mortem susciperet, quem credebat cito à mortuis esse resurrecturum, atque sperabat? *Non ignara fuit mysterij* (ait Ambrosius, libro de Institutione virginis c. 7. *quod genuisset resurrecturum*. Stabat etiam in magna fortitudine, atque constantia, sicut decebat Matrem Dei: quæ in omnibus viriliter agebat, atque in Domino confortata, quamuis videret in cruce morientem Filium suum, & fleret, atque summo dolore afficeretur, nihil tamen puerile, nihil muliebre gessit in opere: *Nec poterat* (ait quidam Author) *ex facie colligi crux illa animæ, parturium spiritus*. Olim Agar, ancilla Abrahæ (sicut Historia Genes. narrat) cùm videret filium suum, siti pereuntem, *Abiecit puerum subter vnam arborem, & abijt, seditque è regione procul. Dixit enim: Non videbo morientem puerum. Et sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit.* Sed non sic ancilla Domini & Mater Iesu Maria: quæ cum videret Filium suum, non Ismaëlem, sed Christũ, non sub arbore proiectum, sed in alto crucis confixum clauis, & siti morientem: non procul sedebat, sed iuxta crucem stabat: non leuabat vocem, sed pudenter ta-

*Hebr. 11.*

*Ambros.*

*Genes. 21.*

cebat: non immoderatè, atque indiscretè lacrymabatur sed verecunde, & modestissime flebat virgineis oculis, quibus morientem Filium suum, constanti animo aspiciebat. Vnde D. Ambros. in illo lib. de Instit. virg. c. 7. sic dicit: *Stabat ante crucem, & fugientibus viris stabat intrepida. Videte, vtrum pudorem mutare potuerit Mater Iesu, quæ animum non mutauit. Spectabat pijs oculis Filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem.* Septem sanctorum Machabæorum mater *bonorum memoria digna* (vt 2. Machab. refertur) *& mirabilis*, omnes filios suos, vno die morientes conspexit, & bono animo ferebat: neque suspirium emisisse, neque lacrymas fudisse legitur. Sancta Melania (sicut Sanctus Hieronymus refert, Epistola 25. ad Paulam c. 5.) necdum humato mariti corpusculo, duos simul perdidit filios. Lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, &c. Quanto ergo meliori, ac fortiori animo esset Beatissima, & mirabilis Dei Mater, in morte Filij sui, & iuxta crucem staret immobilis, & vix suspirium, aut lacrymæ guttas emitteret. Rectè dixit Amb. in oratione de obitu Valentini: *Durum quidem funus videtis: sed stabat & sancta Maria iuxta crucem Filij, & expectabat Virgo sui vnigeniti Passionem. Stantem illam lego, flentem non lego, &c.*

*Ambros.*

*2. Mac. 7.*

*Hieron.*

*Ambros.*

*Stabat iuxta crucem Iesu, Mater eius*, vt & ipsa calicem Domini biberet, vt eius animam gladius doloris pertransiret: vt Christo confixa esset cruci, & illi commoreretur, quem ita vnice diligebat, vt sibi viuere solus Christus esset, & vita, mors esset, sine Christo, vt de seipso dicebat sanctus Christi amator Ignatius, epistola 5. ad Romanos. Stabat etiam iuxta crucem (vt D. Ambros. adnotauit, lib. 10 epistolarũ, epistola 82. & lib. citato de Institut. virg. cap. 7. *Fortasse, quia cognouerat, per Filij mortẽ mũdi redemptionẽ, aula regalis etiã sua morte putabat se aliquid publico additurã muneri: sed Iesus nõ egebat adiutore ad redẽptionẽ omniũ qui omnes sine adiutore seruauit. De quo Dauid ante prædixerat: Factus sũ sicut homo sine adiutorio. Et Esai. Circũspexi, & nõ erat auxiliator. Suscepit quidẽ affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxiliũ.*

*Ignatius.*
*Ambros.*

Psalm. 87.
*Esai. 63.*

Hæc Ambrosius. Itaque iuxta crucem Iesu ſtabat Maria Mater eius, quia tam ardenti amore humanum genus diligebat, & tanta ſiti ſalutem eius deſiderabat; & redemptionem expectabat, vt optaret illo ſuo gladio animæ, & patibulo ſpiritus, aliquid conferre, ſi poſſet, ad ipſam mundi reparationem, pro qua libentiſſime ſe ipſam, & Filium offerebat. Neque ſine myſterio actum eſt, vt mulier ſanctiſſima, ſocia eſſet crucis Chriſti in redemptione humani generis. Sed quemadmodum, cum genus humanum corruit in ligno per inobedientiam primi hominis, mulier ſocia fuit peccati, quod ipſe vir commiſit, & in quo vir, & mulier, male ſibi conſenſerunt, quamuis ſolius viri peccatum tranſiuit ad poſteros, ita etiam voluit Dominus, & ordinauit, quod in ligno ſanctæ crucis, vir, & mulier, offerrent ſacrificium pro illius peccati expiatione, & ille ſecundum carnem moreretur, iſta vero ſecundum ſpiritum; Chriſtus carnem, & Maria ſpiritum immolaret; quamuis ſolius Chriſti Paſſione, & morte redempti ſumus, & iuſtificati, non Mariæ compaſſione: eſto quod illa nobis multum contulerit ad ſalutem, cuius meritis, & precibus ab omni malo liberaremur, & in omni opere bono confirmamur, & ad vitam perducimur ſempiternam. Congruum ergo erat, vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. *Geneſ. 3.*

*Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem, dicit ei; Mulier, ecce filius tuus.* D. Ambroſ. 10. epiſtolarum, epiſtola. 79. dicit, his verbis Chriſtum pronuntiaſſe teſtimonium de virginitate, & integritate ſuæ Matris, quod nec virum cognouerit, neque filios ex ipſo ſuſceperit. *Hoc ergo* (ait) *teſtamentum Filij eſt de Matris integritate: hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas.* Quod etiam inſinuauit Chryſoſt. Homil. 5. ſuper Matth. & Paulinus, ſcribens Auguſt. epiſt 58. Sed, vt ad myſtica, & moralia tantiſper tranſeamus, oportet conſideremus, quanto cum dolore Beatiſſima Virgo velut altera Rachel genuit hunc ſecundum filium Beniamin, filium, inquam, doloris ſui, quem parturiuit iuxta crucem: quanto etiam animi mœrore ſuſcepit hanc commutationem, vt pro Chriſto acciperet Ioannem, pro Filio Diſcipulum, pro Deo hominem. Acceſſit enim ad cumulum mœroris eius, *Ambroſ. Chryſoſt. Paulinus.*

quod moriente coram oculis eius vnico Filio suo, susciperet loco eius Ioannem, atque adoptaret in filium. Mortuo Abel, quem occidit Cain, Eua mater alium genuit filium, atque alacri animo dixit; *Posuit mihi Dominus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain.* Sed Dei Mater non potuit alacri animo hāc commutationem accipere, sed summo cum mœrore. Quam enim commutationem pro Filio suo, quem diligebat plusquam animam suam, condignam posset existimare? *Non commutabuntur pro ea* (ait S. Iob, loquens de sapientia, quæ Christus est), *vasa auri excelsa, & eminentia, nec commemorabuntur in comparatione eius.* Vas admirabile, & excelsum, S. Ioānes Euangelista fuit, sed comparatiōne Christi nec cōmutari, nec commemorari poterat. Quis enim purum hominem Deo homini, & mediatori Dei & hominum conferre audeat? Sed & in hoc sacratissimam Virginis animam doloris gladius pertransiuit, quod hanc commutationem filiorum passa est, vt pro Filio Dei & hominis, acciperet iuxta crucē vnum ex filiis hominum, tametsi ipsi Christo, & Matri dilectissimum. *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus.*

Genes. 4.

Iob 28.

Deinde dicit Discipulo, *Ecce Mater tua.* Hæc commutatio non in deterius, sed in multo melius facta est, quæ sanctum Ioannem ad tantam dignitatem extulit, vt filius Beatissimæ Virginis à Christo appellari, & esse meruerit. Sic enim exaltauit eum Dominus, sic honorauit, stantem iuxta crucem eius, vt ipsa Mater Dei, quę (vt verbis vtar Salomonis) *Omnium bonorum mater est*, ex illa hora *Obuiauerit illi, quasi mater honorificata.* Vnde sequitur in Euangelio; *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Fœlix S. Ioannes, qui altiori modo, post Christum, inter omnes homines, & inter omnes Angelos, dicere potuit Mariam esse suam matrem, imo & esse suam. *Melior enim est acquisitio illius, possessione auri, & argenti, pretiosior est cunctis opibus* (vt Salomon ait) *& omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Sed & illud congruè satis factum est, vt Beatissima Virgo Ioanni virgini commendaretur possidenda, atque seruanda. Ioannes enim *Gratia Dei* interpretatur: & propterea merito illi mater gratiæ datur custodienda. *Neque enim* (vt Ambrosius ait in Exhortatione ad virgi-

Sapient. 7.
Eccles. 15.

Prouerb. 3.

Ambros.

nes) *Mater Domini Iesu, nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.*

Denique illud obseruandum est, has voces, *Ecce mater tua*, &, *Ecce filius tuus*, non de solo Ioanne, & soli Ioanni prolatas esse à Christo: sed cunctis fidelibus in Christo renatis beatissima Virgo, pia mater est, & ipsi inter eius filios computantur. Et quemadmodum, Eua, *mater est cunctorum viuentium* vita carnis; ita etiam Maria, mater est omnium viuentium vita gratiæ, quæ proinde *Mater gratiæ, & misericordiæ* nuncupatur, & vniuersos fideles materno sinu semper amplectitur, & fouet: & ad quam, quasi ad omnium matrem, vt etiam de plenitudine eius accipiant gratiam pro gratia, omnes cõfugiunt. Ipsa enim omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. *Gen. 3.*

§. 8.

## *Quartum verbum Christi.*

POsteaquam crucifixus Dominus loquutus est pacem super inimicos suos, & peccatores, ac denique super sanctos suos; causam suã agere incipit cum Deo. Hactenus enim, iuxta regulam Pauli, non quæ sua sunt, considerauerat, sed quæ aliorum: vt obiter hoc exẽplo suo eandem charitatis regulam hominibus persuaderet, & confunderet eos, qui (sicut idem Paulus eodem loco dicit) *Quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* *Philip. 2.*

Ait enim S. Matthæus; *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Magna voce clamauit Christus Iesus, quia magnum salutis documentum illo clamore omnibus fidelibus præbere voluit Nã vox illa (vt S. Leo docuit, ser. 16. de Pas. *Doctrina fuit, nõ querela.* Docuit enim nos, vt in maxima tribulatione, ac necessitate, cõstituti magna etiam voce cordis, aut etiam oris, clamemus ad Deum, vt ab ipso exaudiamur, & ab omni malo tã animæ, quam corporis, liberemur. Sic Moyses in Exodo, cum populus Israel persequentibus Ægyptiis periclitaretur, magno clamore cordis clamauit ad Dominum, ita vt Dominus ei diceret: *Quid clamas ad me?* Sic etiam Dauid, in angustia, & necessitate constitutus *Leo.* *Exod. 14.*

percuteretur, non comminabatur, sed ad Patrem dicebat cum Dauid, *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Et iterum *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam, &c.*

Psal. 21. Psal. 108.

Olim Moyses montem ascendens, & habens virgam Dei in manu sua, eleuauit manus, vt oraret pro populo: sed, quia manus illius erant graues, *Aaron, & Hur, sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus illius non lassarentur, vsque ad occasum solis.* Sed multo melius noster Iesus ascendit Caluariæ montem, accepit virgam crucis in manibus suis, vt in ea & sacrificium offerret, & ad Patrem oraret eleuatis manibus: sicut ipse dixit per os Dauid, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Non sustentabant manus eius Aaron, & Hur, sed durissimis clauis sustentabantur: imo potius summo amore, & abscondita virtute ipsius Christi sustentabantur, dicente Propheta, *Cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.* In manibus eius erant claui, erant & cornua crucis, quæ ipsius virtute sustentabantur: non ipsa manus Christi sustinebant. Istæ sunt manus, quæ non sunt lassatæ vsque ad occasum solis. Nam quousque ipse Sol iustitiæ in cruce obscuratus est, & occubuit, manus eius lassatæ non sunt, nec vis amoris illius, nec desiderium patiendi, nec sitis orandi pro nobis vllo pacto defecit, sicut ipse per Esaiam dixit, *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum. Tota die,* inquit. Quia, vt dicebamus, quousque finitus est dies Christi, & ad occasum mortis deuenit, non cessauit expansas habere manus ad populum, pro quo orabat, & quem redimebat, & ad se trahere desiderabat. Nam, vt recte notauit August. serm. 93. de Tempore, *Moyses manus quidem leuauit, sed non extendit. Cui ergo seruabatur, vt manus extenderet, nisi Domino nostro Jesu Christo, qui extentus in cruce, vniuersum orbem complexurus, brachia pietatis expandit?* Quæ verba desumpsit ex Origene, Homilia 11. sup. Exodum. Quo loco multa prosequitur Origenes consequenter, quæ ad mores conducere possunt.

Exodi. 17. Psal. 140. Abacuc. 3. Esai. 65. August. Origenes.

Denique obseruandum est quinto, Christum Domi-

num non solum clauis cruci fuisse affixum, sed ne quod esset ignominiæ, & confusionis genus, quod pro nobis non assumeret, nudus ascendit crucem, confusione contempta, vt nostram nuditatem assumendo, tolleret, atque indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & gloriæ cooperiret. Videbat naturam humanam, peccato primi hominis nudam, & spoliatam, secundum quod per Ezechielem dicitur, *Dimittent te nudam, & ignominia plenam.* Nam primus nostri generis parens, & peccator, vt Ambros. dicit in 2. Apologia Dauid, cap. 8. *Factus est sibi nudus, postquam factus est reus culpæ: in illo nudata est omnis humana conditio per successionem naturæ, non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia.* Hanc ergo nuditatem nostram sumere voluit noster Iesus, egressus ad Passionem crucis, non solum, vt milites possent diuidere sibi inuicem vestimenta eius, sed etiam sua nuditate nostram vestiret, atque operiret. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ,* ait S. Iob, *nudus reuertar illuc.* Sic etiam & Christus, qui propter nos nudus egressus est de vtero Virginis, nudus etiam egressus est ad locum Passionis, vt nudus moreretur in cruce. Vbi contemplari licebit sanctum Noe, inebriatum vino, & nudatum in tabernaculo suo: & Christum Dominum inebriatum vino ardentissimæ charitatis suæ, nudatum in cruce, & illusum. *Ad te quoque perueniet calix* (ait S. Hieremias) *inebriaberis, atque nudaberis.* Hic summus Pontifex Aron nudatur veste in monte, vt colligatur, & moriatur ibi. noster enim Summus Pontifex Iesus, in Monte Caluariæ nudatus est vestimentis suis, vt sic nudus moreretur vt nos vestiret immortalitatis indumento. Videre etiam libet S. Dauid Regem, nudatum coram arca Domini & despectum à filia Saul. *Quam gloriosus,* inquit, *fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum: & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Non aliter Christus, Rex Israel, nudatus est coram arca sanctissimæ crucis, irridente illum Synagoga Iudæorum cum filia Saul. Quæ profecto illa sua Ironia, & irrisione, prophetauit, nesciens quid diceret. Numquàm enim magis gloriosus fuit tota vita sua Christus Rex Israel, quam cum nudatus lusit ante

Ezech. 13. Iob. 1. Genes. 9. Thren. 4. Num. 20. 2. Reg. 6.

arcam sanctæ crucis coram seruis suis, imo & coram hostibus Iudæis, & gentibus: qui propterea deridebant Regem suum, quia scire non poterant gloriam sanctæ crucis, & splendidissimum ornatum illius nuditatis, quam Christus misericorditer assumpsit pro nobis, vt nuditatis nostrę ignominiam, & confusionem tolleret: atque etiam, vt doceret nos, hac nuditate assumpta, viriliter præliari aduersus spiritualia nequitiæ. *Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, ait Paulus. Deinde, vt suo exemplo nos instrueret, nuditatem amando, mundum despicere, quemadmodum Esaias *Ambulauit nudus, & discalceatus.* Similiter & Michæas, *Vadam*, inquit, *spoliatus, & nudus* Paulus etiam *in frigore, & nuditate* agebat, *certus, quod neque nuditat posset eum separare à charitate Christi.* Denique vt quemadmodum Christus inimicam Synagogam reliquit, & nudus cucurrit ad crucem, ita & nos inimicos animæ nostræ nudi fugiamus ad ipsam Christi crucem, vt saluari à peccato, & æterna morte, possimus. Ioseph nudus, & relicto pallio, fugit iniquitatem impudétissimæ fœminæ, & nudus euasit ab ea. Adolescens, vt S. Marc. refert, nè comprehenderetur ab hostibus, *Relicta syndone, nudus profugit ab eis.* Ac denique, vt Amos Propheta dicit, *Robustus corde, inter fortes nudus fugiet.*

1. Cor. 9. Esai. 20. Mich. 1. 1. Cor. 11. Rom. 8. Genes. 39. Marc. 14. Amos 2.

§. 6.

SEd iam tempus est, vt Christus Dominus, qui hactenus toto discursu Passionis suæ, diuinitatem suā occultauit, & (vt sæpe diximus) tacuit, neque egressus est ostium, egrediatur in salutem populi sui, occultam maiestatem suam ostendat, Diuinitatem electis aperiat, thesauros infinitæ charitatis suæ demonstret: loquatur Rex Israel seruis suis verba salutis, & pacis, verba nouissima, quę in cruce loqui constituit *Fortis Israel, iustus dominator hominum.* Verba enim æternæ vitæ habet. Ipse enim dixit; *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus, & vita, sunt. Audiamus & nos, quid nobis loquatur Dominus Deus, & Rex noster: quoniam loquetur pacem in plebē suam, & in eos, qui conuertuntur ad cor.* Ad hos enim omnes loquuturus est Christus Dominus in cruce, vt suo ordine demonstrabimus.

2. Reg. 23. Ioan. 6. Psalm. 84.

Primum

*Primum verbum Christi.*

SVper plebem suam loquutus est pacem, quando sicut S. Luc. narrat, *Stabat populus expectans, & deridebant eum Principes cum eis: Iesus autem dicebat, Pater, ignosce illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Illi blasphemãt, derident, & persequuntur: iste plenus charitate,& dilectione, atque summa patientia, non sentit contumelias, non petit vindictam, sed aperiens os suum in oratione, pro delictis eorum deprecatur. Vide, quàm recte dixit S. Esaias, *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit: vt non perirent.* Quasi diceret, Ipse in cruce eleuatus, & affixus patienter tulit multorum peccata, blasphemias, & illusiones; & non solum non reddidit malum pro malo, sed è contrario eis benedicebat,& pro transgressoribus rogabat, vt non perirent. Et quod maxime commendat charitatem Christi in nos, primum verbum crucis suæ ad hoc direxit, vt pro inimicis, & persequutoribus oraret, & sic loqueretur pacem in plebem suam, & in se ipso, opere perfectissimo, & exemplo monstraret, quod ante sermone docuerat Apostolos, & fideles omnes, inquiens, *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Hoc exẽplo Christi edoctus S. Stephanus, iam iam moriturus, pro inimicis, ac persequutoribus etiam ipse rogauit, vt non perirent, inquiens, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* Paulus etiam à Christo edoctus, dicebat Corinthiis, *Maledicimur, & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus.* Sed, vt recte dixit S. Gregorius, Homil. 27. sup Euang. *Quid mirum, si inimicos diligant Discipuli, dum viuunt, quando et tunc eos diligit Magister, cum occiditur,* Illud certe omnibus indubitatum esse debet, inexcusabiles nos futuros esse ante Deum, & Patrem, si eos tantum dilexerimus, qui nos diligunt, & non dilexerimus inimicos, ac persequutores nostros, quemadmodum à Christo Domino verbo, & exemplo, sumus edocti.

*Esai. 53.* *Matth. 5.* *Act. 7.* *1. Cor 4.* *Gregor.*

**Secundum verbum Christi.**

SEd quomodo obsecro, loquutus est ad eos, qui conuertuntur ad cor? Audiamus S. Lucam Euangelistam, *Vnus* (inquit) *de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens, Si tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicēs, Neque tu times* D. *ũ, qui in eadem damnatione es? Et nos quidē iuste, nā digna factis recipim⁹, hic vero nihil mali gessit: Et dicebat ad Iesum, Domine, memento meidum veneris in Regnũ tuũ. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Turba multa cum gladiis, & fustibus, vt S. Matt. refert, exierat ad Iesum comprehendendum tanquam ad latronem, vt eũ morti traderent: & nunc, vice versa, egreditur ipse Iesus ad latronem, & peccatorem cōprehendendum, vt eum vitæ restituat: eũ, inquã, qui fortasse paulo ante Christum blasphemauerat, & conuiciis resperserat, ita vt possimus dicere cum Dauid, *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Sed hoc tam admirabile opus pietatis, tã nouum, tam rarũ, non alibi quàm in cruce Dominus exercere voluit, vt & ipse crucis suæ virtutem ostenderet, & latro eam agnosceret: & propter eam (vt S. August. ait, serm. 130.) Iesum Regem appellaret, quia videbat crucifixum: & iuxta consiliũ Apostoli, in Epist. ad Hebræos, *Adiret cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequeretur, & gratiam inueniret in auxilio opportuno.* Opportunũ profecto tunc fuit diuinum auxilium, quod latronem illuminauit, conuertit & traxit ad Christum. Opportuna etiam ipsius latronis conuersio, qui non tardauit conuerti ad Dominũ: & (sicut recte dixit Aug. serm 120) *Nec salutis tempora sciens, distulit: nec remedia status sui in momenta vltima, infælici fraude, posuit: nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit: nec religionē ante nec Christum sciuit. Quod si sciuisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in Regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendã fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* Consideremus, obsecro, altitudinē consiliorum, & iudiciorum Dei. Eo tempore, quo Iudas Discipulus Magistrum tradidit, &

Psalm. 9.

August.

Hebr. 4.

August.

deserente eum Domino, cucurrit ad desperationem, & laqueum, latro, auxiliante Deo, ad Christum conuersus, discipulusque, & confessor Regni illius effectus, paradisum intrauit. *Quod de carcere, & catenis interdum quis egrediatur ad Regnum*, ait Salomon: *& alius natus in Regno, inopia consumatur. Interdum*, inquit: quia singulare hoc fuit, & de his, quæ raro contigisse leguntur. Quod latro de carcere, & catenis, egressus sit ad Regnũ celeste possidendum, & Iudas, qui in Regno Dei, & Christi, nutritus erat, & quasi natus, inopia pœnitentiæ, & gratiæ, consumatur, hoc in abyssum iudiciorum Dei, & altitudinem sapientiæ ipsius, reiiciendum est, quẽadmodũ reiicit Greg. li. 15. Mora c. 7. & li. 39. ca. 9. Sed & alterum mirabile in hoc Christi egressu obseruandum nobis est. Ecce enim duo latrones, duo nequam, ducti sunt ad mortem cum Christo, ambo crucifixi cum eo, & fortasse etiam ambo Christũ blasphemabant: & ecce subito vnus eorum conuersus in Christum, credit corde, & ore ipsum confitetur ad salutem, altero in sua cæcitate, & obstinatione vsque ad mortem persistente: & ipse Iesus, medius eorum stãs, vnum ad se trahit, & alterum non trahit, vnum assumit, & alterum relinquit. *Fecit Deus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum.* Firmamentum hoc in medio aquarum, Christus Dominus est in medio duorum latronum. Nam quod Christus Dominus, firmamentum sit, plane confitetur S. Dauid, inquiens: *Dominus firmamentum meum.* Et iterum: *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Quod si aquæ sunt populi, nihil mirum, si dicamus, aquas sub firmamento significare latronem reprobum, & damnatũ, aquas vero super firmamentum, latronem electum, & super firmamentum cœli in paradisum introductum. Has ergo aquas diuisit hodie Christus in firmamento crucis, medius latronum positus, qui secundum altitudinem suam eum, qui à sinistris eius erat, cum reprobis, & descendentibus in lacum, & in ignem æternum, tanquàm maledictum dereliquit, illũ vero qui a dextris eius erat sua misericordia, & gratia, discernere voluit, & cum electis benedixit, vt possideret Regnum sibi præpara-

Ecclef. 4.

Gregor.

Genef. 1.

Psal. 17.

Psal. 71.

tum ante mundi constitutionem. Hanc diuisionem aquarum etiam S. Dauid in spiritu prauidisse existimo, cum loquens ad Patrem de Christo, dicebat, *Posuisti*
Psal. 88. *firmamentum eius formidinem: factus est opprobrium vicinis suis: exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius.* Firmamentum Christi, crux eius est, in qua firmus stetit clauis confixus: quam ideo formidinem vocat, quia crux formidabilis solet esset hominibus, tanquam extremum malum, & maledictum. In illa factus est opprobrium vicinis suis: quia non solũ Iudæi, & milites illudebant ei, & blasphemabant, sed etiam latrones, quos habebat vicinos, improperabant ei. Sed Deus, qui diues est in misericordia, & ostendebat omnem patientiam suam, exaltauit dexteram deprimentium illum, conuertendo mirabiliter ad se latronem, qui ad dexteram eius crucifixus erat (vt S. Papa
Cœlestin. Cœlestinus fatetur, epist. 2. ad Episcopos Galliarum, ca 2.) & exaltando illum vsque ad paradisum. Quo facto, absque dubio lætificauit inimicos eius, eius inquam, latronis inimicos, qui perfecto odio oderant illum detestantes illius peccata, & salutem eius amantes, ac desiderantes. Nam si (vt S. Lucas ait) *Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*, quanto,
Luc. 15. putas, gaudio lætificati sunt, & exhilarati, Angeli in cœlo, & Sancti in terra, qui iuxta crucem Christi stabant, super isto vno, & maximo peccatore, tantam, & talem pœnitentiam agente?

*Memento mei, Domine, inquit, dum veneris in Regnum tuum. Quàm stupenda, & quam singularis deuotio*, ait Au-
August. gust. in illo serm. 120.) *sub illo tempore credidit reus, quo negauit electus: & quem iste hominem negat ille Dominum confitetur.* Et serm. 144. *Magna fides. Huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubauerunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantẽ: credidit ille, quem videbat secũ in ligno pendentem. Memento mei inquit, dum veneris in Regnum tuum: si mihi tormenta debentur, quousque tu venias in Regnum tuum.* Paratus enim erat etiã vsque adiudicii diẽ peccatorũ suorum pœnas in Purgatorio soluere: &, vt Aug. dicit iterũ serm. 8. de Verbis Domini, & 48 de tempore, *Considerabat facinora sua, & pro magno habebat, si ei, vel in fine parceretur. Salutem suam longe futuram sperabat: & post longum tẽ-*

*pus accipere contentus erat.* Sed Iesus respondet illi, *Amẽ dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Misericordia obtulit,* ait August. *quod miseria distulit:* & Ambr. sup. Psal. 118. serm 8. *Futurum promittit: sed id quod futurum est, vnius diei spatio nõ patitur protelari, ne dilatatione gratia minueretur. Hodie mecum eris in paradiso.* Hodie mecum in ligno & hodie mecum in paradiso. Nam quoniam in ligno cum Christo patiebatur, & clamabat ad eum, statim exauditus est. *In die tribulationis meæ*, inquit, *clamaui ad te, quia exaudisti me. In die*, inquit: quia iam non in tenebris infidelitatis patiebatur, vt homicida, sed in luce Christi crucis suæ tribulationem libenter sustinebat, tanquã Christianus. Latro de cruce clamabat, & Christus de cruce ilum exaudiebat, & ad paradisi Regnum trahebat, fortasse inquiens cum Dauid. *Clamauit ad me & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Latro clamauit, & Christus, qui cum ipso erat in tribulatione crucis exaudiuit eum, eripiens ab æterna morte, & in gloriam paradisi secum introducens. Latro publice, & coram omnibus confessus est Christum Dominum, & Regẽ omnium: & Christus palam illi promittit ipsum Regnum Dei, quod in Christo cognouit, & postulauit. *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. Excedit humanam conditionem ista promissio* (ait S. Leo, serm. 2. de Passione,) *nec tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis.* Sed quoniam hæc verba Christi, quemadmodum ad illius latronis consolationẽ dicta sunt, ita etiã ad instructionem, & consolationem nostrã, scripta esse credimus, obseruare oportet cum Origen. Homil. 15. sup. Genes. & D. Ambros. sup. Psal. 118. serm. 8. vers. 1. ea non illi soli dicta fuisse à Christo, sed omnibus sanctis, & electis suis, quibus per mortem crucis deuicta morte aperuit Regna cœlorum. Propterea enim dixit, *Hodie*: quoniam ab illa die Christus Dominus aperuit Passione sua ianuas paradisi, quæ peccato primi hominis fuerat clausa quemadmodum diffuse & optime prosequitur D. Thom 3. part. quæst. 49. art. 5 & D. Cyrillus, libr. 17. de Adoratione in spiritu, &c. docet, quod *Deus nobis in Christo paradisi delitias reddidit, quas propter transgressionem omisimus. Eiecti enim sumus in Adam, sed restituti per Christum.*

Ambros. Psal. 85. Psalm. 90. Leo. Orig. Ambros. D. Thom. Cyrill.

*Audisti enim alibi dicentem latroni, qui ipsi appensus erat: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Auertit enim Christus gladium, qui nos inde arcebat liberque est credentibus deinceps ingressus, ipso omnia in pristinum statum instaurante, atque transformante. Quid est* ( ait Gregor. Homil. 6. sup Ezechiel.) *quod homicida post mortem summi Pontificis absolutus ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus, quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri, peccatorum suorum vinculis absoluitur, & in paradisi possessione reparatur?* Iã igitur (vt Paulus ad Hebræos scribit, ) *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*: quia per Passionem, & sanguinem Christi aperta est nobis via, & ianua paradisi, & patere cœpit introitus in æternam requiem.

Greg. Num. 35.

Hebr. 10.

Sed, ô fœlicissimum latronem, qui huius introitus Sanctorum primitias habere meruit, primus eorum audiens à Christo: *Hodie mecum eris in paradiso:* & ad cuius salutem Christus Dominus non tacuit, sed egressus est ostium. O nouum, & inauditum latronem, qui quamuis fur esset, & latro, non ascendit aliunde (sicut cæteri) sed per ostium intrauit in ouile ouium! O primum, & nouissimum, qui quamuis nouissimè omnium à Christo in cruce vocatus est, primus tamen eorum quasi martyrio crucis laureatus ante omnes Apostolos, ante omnes Martyres, regna cœlorum possidere meruit, & in gaudium Domini sui primus eorum introire! Ad Regnum cœlorum primus Discipulorum vocatus est Petrus, nouissimus autem hic latro: sed (vt Gregor. inquit, Homil. 19. Euangeliorum) *Ad paradisi requiem prius latronem Dominus, quam Petrum introduxit. Venerunt milites.* ( ait S. Ioann.) *Et primi quidem fregerunt crura.* Cur, obsecro, sanctum latronem, qui ad dexteram Christi pendebat, *primum*, vocat? Fortasse, quia primus peccator fuerat: non quod ante ipsum alij multi peccatores nõ fuerint, sed quod ex illis duobus latronibus, ipse peior fuerit, atque adeo peiorem in scelere, vocauit *primum*: quemadmodum & de Saulo persequutore Ecclesiæ explicuit Aug. Hom. 9. de verbis Apostoli. Sed quamuis primus peccator esset, & scelestior altero, vocatus est à Christo, atque conuersus, altero relicto, vt sciamus, *Non esse*

Hebr. 10.

Gregor. Ioan. 19.

August.

*volentis, neque currentis*, vt Paulus ait, *sed Dei miserentis: qui cui vult miseretur, & quem vult indurat*: & vt à spei certitudine nulla nos malorum nostrorũ qualitas, nulla quantitas frangat, vt Gregor. ait, Homil. 10. Euangeliorum, qui tantam Dei bonitatem, & misericordiã in isto latronum maximo, & primo, experti sumus, vt de ipsa pœna criminis subito perueniret ad cœlestia præmia virtutis. Potuisset dicere sanctus ille latro id, quod Paulus de seipso dicebat, scribens ad Timotheũ: *Prius blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Fideiis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Aut certè idcirco *primum* vocat, quia inter omnes Sanctos noui testamenti primus post Christi mortem paradisum intrauit: de quo propterea dicere possumus illud Esaiæ: *Primus ad Sion dicet: Ecce adsum.* Quasi diceret: Ecce rem nouam, & hactenus inauditam quod latro, quod blasphemus, & persequutor, ita est mutatus à Christo, & in alterum conuersus, ex persequutore factus est possessor paradisi, & primus possessor. Quo facto Christus Dominus (vt Augustin. ait in illo sermone 130. *Non conculcauit paradisum, sed honorauit, non confudit latronis introitu, sed extulit, & illustrauit. Honor enim paradisi est, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere posit delitiys, & possessione paradisi.* Discamus ergo ab isto latrone sancto, sapienter, atque violenter paradisum rapere, non manibus *Carnis, & sanguinis, quæ Regnum Dei possidere non possunt*, vt Paulus ait sed manibus virtutum, ac bonorum operum quærimus Christum in cruce, in loco afflictionis, in die tribulationis, vt inueniamus illũ, & teneamus, sicut Dauid dicebat: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & non sum deceptus*. Discamus etiam ab illo, nullum esse tempus, aut locum, in quo peccator non possit ad Deum conuerti, & misericordiam eius, & gratiam verè pœnitendo inuenire, sicut eam in-

Rom. 9.

Gregor.

I. Tim. 1.

Esai. 41.

August.

1. Cor. 15.

Psal. 76.

uenit latro, cum iam esset in vltimo spiritu cõstitutus.
*Hebr. 12.* Procul sit à nobis miserrimus Iudas, qui, velut alter Esau, *Non inuenit pænitentiæ locum*: quia quamuis culpam suam agnouit, tamen de diuina misericordia miserabiliter desperauit: &, sicut sanctus Leo dicit, sermone 5.
*Leo.* de Passione, *Tam peruersa impij conuersio fuit, vt etiam pænitendo peccaret*. Nesciuit enim insipiens id, quod à sapientissimo Salomone, in libro Sapientiæ, multo ante de Deo prædictum erat; ipsum non solum filijs suis, sed
*Sapien. 12.* etiã inimicis *Dare locum in peccatis pænitentiæ*: dare etiã tempus, & locum, per quæ possint mutari à malitia.

§. 7.

## *Tertium verbum Christi.*

Loquatur iã Dominus Iesus verba solatij *super Sanctos suos*. Quos sanctos: nisi Mariam Virginem Genitricem eius, & dilectissimum Discipulum? Hos enim alloquutus est de cruce tertio loco. Vbi obseruare licebit miram Christi charitatem, & non quærentem, quæ sua sunt. Nam primo loco loquutus est Dominus super inimicam plebem orans pro persequentibus eum, & calumniantibus, postulans eis à Patre veniam peccatorũ, & pacem. Deinde latronem alloquutus est, antea inimicum, quem misericorditer conuertit ad pacẽ, & Regni sui consortem fecit. Et ecce iam tertio loco cõuertitur ad Sanctos suos, vt alloquatur eos, & consoletur in illa magna tribulatione sua. Ait enim S. Euangelista. *Stabant autem iuxta crucem Jesu, Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cum vidisset* [illegible]*o Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat,* [illegible] *Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Di*[illegible]*pulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Isti sunt sancti, & iusti, qui stabant in magna constantia iuxta crucem Iesu. Maria virgo stabat, quãuis gladio doloris transfixa, fide stabat mulier illa fortis, spe, & dilectione plena. Quomodo enim non starent illi *Pedes firmi super plantas stabilis mulieris*? Stabat
*Eccl. 26.* etiam Ioannes iuxta crucẽ Iesu super pedes suos firmus, & particeps in tribulatione, & patientia Christi, quem

diligebat, & morientem videbat. Stabat & Maria Magdalene secus pedes crucifixi Domini sui, quem dilexit multum. Stabat, inquam, iuxta crucem, plorans: & quia pedes Christi non poterat, terram copiosissimis lacrymis suis rigabat, amore languens, dolore vulnerata, & velut corde mortua, quia vitam suam in ligno pendentem, & ante oculos suos morientem videbat. Sed fortissima, & constantissima inter tres, *Stabat iuxta crucem Iesu Mater, eius Maria*, Fide stabat, & spe firmissima, quia quamuis vnicum Filium suum, & quem vnicè diligebat, morientem videret, credidit tamen, cito resurrecturum ex mortuis: atque hac fide, & spe dolorem minuebat, congratulabatur saluti, ac redemptioni humani generis, & libenti animo, atque obedienti, acceptabat vnici Filij mortem, quam Pater æternus præordinauerat. Si enim Abrahæ fides commẽdatur ab Apostolo, propterea, quod *Vnigenitum offerebat, arbitrans, quod à mortuis suscitare potens est Deus*, sicut exponit Au. lib. 16. de Ciuit. cap 32. quanto magis fides B. Virginis, quæ multo perfectius quam omnes credidit, hanc habuit firmitatis excellentiam, vt promptissimo animo Filij sui mortem susciperet, quem credebat cito à mortuis esse resurrecturum, atque sperabat? *Non ignara fuit mysterij* (ait Ambrosius, libro de Institutione virginis c. 7. *quod genuisset resurrecturum*. Stabat etiam in magna fortitudine, atque constantia, sicut decebat Matrem Dei: quæ in omnibus viriliter agebat, atque in Domino confortata, quamuis videret in cruce morientem Filium suum, & fleret, atque summo dolore afficeretur, nihil tamen puerile, nihil muliebre gessit in opere: *Nec poterat* (ait quidam Author) *ex facie colligi crux illa animæ, patibulum spiritus*. Olim Agar, ancilla Abrahæ (sicut Historia Genes. narrat) cùm videret filium suum, siti pereuntem, *Abiecit puerum subter vnam arborem, & abijt, seditque è regione procul. Dixit enim: Non videbo morientem puerum. Et sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit.* Sed non sic ancilla Domini, & Mater Iesu Maria: quæ cum videret Filium suum, non Ismaëlem, sed Christũ, non sub arbore proiectum, sed in alto crucis confixum clauis, & siti morientem: non procul sedebat, sed iuxta crucem stabat: non leuabat vocem, sed pudenter ta-

*Hebr. 11.*

*Ambros.*

*Genes. 21.*

ctebat: non immoderatè, atque indiscrete lacrymabatur sed verecunde, & modestissime flebat virgineis oculis, quibus morientem Filium suum, constanti animo aspiciebat. Vnde D. Ambros. in illo lib. de Instit. virg. c.7. sic dicit: *Stabat ante crucem, & fugientibus viris stabat intrepida. Videte, vtrum pudorem mutare potuerit Mater Iesu, quæ animum non mutauit. Spectabat pijs oculis Filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem.* Septem sanctorum Machabæorum mater *bonorum memoria digna* (vt 2. Machab. refertur) *& mirabilis*, omnes filios suos, vno die morientes conspexit, & bono animo ferebat: neque suspirium emisisse, neque lacrymas fudisse legitur. Sancta Melania (sicut Sanctus Hieronymus refert, Epistola 25. ad Paulam c. 5.) necdum humato mariti corpusculo, duos simul perdidit filios. Lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit, &c. Quanto ergo meliori, ac fortiori animo esset Beatissima, & mirabilis Dei Mater, in morte Filij sui, & iuxta crucem staret immobilis, & vix suspirium, aut lacrymæ guttas emitteret. Rectè dixit Amb. in oratione de obitu Valentini: *Durum quidem funus videtis: sed stabat & sancta Maria iuxta crucem Filij, & expectabat Virgo sui vnigeniti Passionem. Stantem illam lego, flentem non lego, &c.*

*Ambros.* | *2. Mac. 7.* | *Hieron.* | *Ambros.*

*Stabat iuxta crucem Iesu, Mater eius*, vt & ipsa calicem Domini biberet, vt eius animam gladius doloris pertransiret: vt Christo confixa esset cruci, & illi commoreretur, quem ita vnice diligebat, vt sibi viuere solus Christus esset, & vita, mors esset, sine Christo, vt de seipso dicebat sanctus Christi amator Ignatius, epistola 15. ad Romanos. Stabat etiam iuxta crucem (vt D. Ambros. adnotauit, lib. 10 epistolarũ, epistola 82. & lib. citato de Institut. virg. cap. 7. *Fortasse, quia cognouerat, per Filij mortẽ mũdi redemptionẽ, aula regalis etiã sua morte putabat se aliquid publico additurã muneri: sed Iesus nõ egebat adiutore ad redẽptionẽ omniũ qui omnes sine adiutore seruauit. De quo Dauid ante prædixerat: Factus sũ sicut homo sine adiutorio. Et Esai. Circũspexi, & nõ erat auxiliator. Suscepit quidẽ affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxiliũ.*

*Ignatius.* | *Ambros.* | *Psalm. 87.* | *Esai. 63.*

Hæc Ambrosius. Itaque iuxta crucem Iesu stabat Maria Mater eius, quia tam ardenti amore humanum genus diligebat, & tanta siti salutem eius desiderabat; & redemptionem expectabat, vt optaret illo suo gladio animæ, & patibulo spiritus, aliquid conferre, si posset, ad ipsam mundi reparationem, pro qua libentissime se ipsam, & Filium offerebat. Neque sine mysterio actum est, vt mulier sanctissima, socia esset crucis Christi in redemptione humani generis. Sed quemadmodum, cum genus humanum corruit in ligno per inobedientiam primi hominis, mulier socia fuit peccati, quod ipse vir commisit, & in quo vir, & mulier, male sibi consenserunt, quamuis solius viri peccatum transiuit ad posteros, ita etiam voluit Dominus, & ordinauit, quod in ligno sanctæ crucis, vir, & mulier, offerrent sacrificium pro illius peccati expiatione, & ille secundum carnem moreretur, ista vero secundum spiritum; Christus carnem, & Maria spiritum immolaret; quamuis solius Christi Passione, & morte redempti sumus, & iustificati, non Mariæ compassione: esto quod illa nobis multum contulerit ad salutem, cuius meritis, & precibus ab omni malo liberaremur, & in omni opere bono confirmamur, & ad vitam perducimur sempiternam. Congruum ergo erat, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. *Genes. 3.*

*Cum vidisset ergo Iesus Matrem, dicit ei; Mulier, ecce filius tuus*, D. Ambros. 10. epistolarum, epistola. 79. dicit, his verbis Christum pronuntiasse testimonium de virginitate, & integritate suæ Matris, quod nec virum cognouerit, neque filios ex ipso susceperit. *Hoc ergo* (ait) *testamentum Filij est de Matris integritate: hæc Mariæ locuples integri pudoris hereditas*. Quod etiam insinuauit Chrysost. Homil. 5. super Matth. & Paulinus, scribens August. epist. 58. Sed, vt ad mystica, & moralia tantisper transeamus, oportet consideremus, quanto cum dolore Beatissima Virgo velut altera Rachel genuit hunc secundum filium Beniamin, filium, inquam, doloris sui, quem parturiuit iuxta crucem: quanto etiam animi mœrore suscepit hanc commutationem, vt pro Christo acciperet Ioannem, pro Filio Discipulum, pro Deo hominem. Accessit enim ad cumulum mœroris eius, *Ambros.* *Chrysost.* *Paulinus.*

quod moriente coram oculis eius vnico Filio suo, susciperet loco eius Ioannem, atque adoptaret in filium. Mortuo Abel, quem occidit Cain, Eua mater alium genuit filium, atque alacri animo dixit; *Posuit mihi Dominus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain.* Sed Dei Mater non potuit alacri animo hāc commutationem accipere, sed summo cum mœrore Quam enim commutationem pro Filio suo, quem dil gebat plusquam animam suam, condignam posset existimare? *Non commutabuntur pro ea* (ait S. Iob, loquens de sapientia, quæ Christus est), *vasa auri excelsa, & eminentia, nec commemorabuntur in comparatione eius* Vas admirabile, & excelsum, S. Ioānes Euangelista fuit, sed comparatiōne Christi nec cōmutari, nec commemorari poterat. Quis enim purum hominem Deo homini, & mediatori Dei & hominum conferre audeat? Sed & in hoc sacratissimam Virginis animam doloris gladius pertransiuit, quod hanc commutationem filiorum passa est, vt pro Filio Dei & hominis, acciperet iuxta crucē vnum ex filiis hominum, tametsi ipsi Christo, & Matri dilectissimum. *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus.*

Genes. 4.

Iob 28.

Deinde dicit Discipulo, *Ecce Mater tua.* Hæc commutatio non in deterius, sed in multo melius facta est, quæ sanctum Ioannem ad tantam dignitatem extulit, vt filius Beatissimæ Virginis à Christo appellari, & esse meruerit. Sic enim exaltauit eum Dominus, sic honorauit, stantem iuxta crucem eius, vt ipsa Mater Dei, quę (vt verbis vtar Salomonis) *Omnium bonorum mater est*, ex illa hora *Obuiauerit illi, quasi mater honorificata.* Vnde sequitur in Euangelio; *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Fœlix S. Ioannes, qui altiori modo, post Christum, inter omnes homines, & inter omnes Angelos, dicere potuit Mariam esse suam matrem, imo & esse suam. *Melior enim est acquisitio illius, possessione auri, & argenti, pretiosior est cunctis opibus* (vt Salomon ait) *& omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari* Sed & illud congruè satis factum est, vt Beatissima Virgo Ioanni virgini commendaretur possidenda, atque seruanda. Ioannes enim *Gratia Dei* interpretatur: & propterea merito illi mater gratiæ datur custodienda. *Neque enim* (vt Ambrosius ait in Exhortatione ad virgi-

Sapient. 7.
Eccles. 15.

Prouerb. 3.

Ambros.

nes) *Mater Domini Iesu, nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.*

Denique illud obseruandum est, has voces, *Ecce mater tua*, &, *Ecce filius tuus*, non de solo Ioanne, & soli Ioanni prolatas esse à Christo: sed cunctis fidelibus in Christo renatis beatissima Virgo, pia mater est, & ipsi inter eius filios computantur. Et quemadmodum, Eua, *mater est cunctorum viuentium* vita carnis; ita etiam Maria, mater est omnium viuentium vita gratiæ, quæ proinde *Mater gratiæ, & misericordiæ* nuncupatur, & vniuersos fideles materno sinu semper amplectitur, & fouet: & ad quam, quasi ad omnium matrem, vt etiam de plenitudine eius accipiant gratiam pro gratia, omnes cōfugiunt. Ipsa enim omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. *Genes. 3.*

§. 8.

## *Quartum verbum Christi.*

Posteaquam crucifixus Dominus loquutus est pacem super inimicos suos, & peccatores, ac denique super sanctos suos; causam suā agere incipit cum Deo. Hactenus enim, iuxta regulam Pauli, non quæ sua sunt, considerauerat, sed quæ aliorum: vt obiter hoc exēplo suo eandem charitatis regulam hominibus persuaderet, & confunderet eos, qui (sicut idem Paulus eodem loco dicit) *Quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* *Philip. 2.*

Ait enim S. Matthæus; *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Magna voce clamauit Christus Iesus, quia magnum salutis documentum illo clamore omnibus fidelibus præbere voluit Nā vox illa (vt S. Leo docuit, ser. 16. de Pas. *Doctrina fuit, nō querela*. Docuit enim nos, vt in maxima tribulatione, ac necessitate, cōstituti magna etiam voce cordis, aut etiam oris, clamemus ad Deum, vt ab ipso exaudiamur, & ab omni malo tā animæ, quam corporis, liberemur. Sic Moyses in Exodo, cum populus Israel persequentibus Ægyptiis periclitaretur, magno clamore cordis clamauit ad Dominum, ita vt Dominus ei diceret: *Quid clamas ad me?* Sic etiam Dauid, in angustia, & necessitate constitutus *Leo.* *Exod. 14.*

Psalm 68. dicebat; *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.*
Psalm. 119. Et iterum? *Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Propterea etiam & Christus Dominus in tribulatione crucis positus magna voce clamauit ad Dominum: non quia oratione, aut clamore ipse indigeret, sed vt nos doceret istum orandi modum. *Poterat*
August. (ait Augustin. tract. 104. sup Ioan.) *Dominus noster, Vnigenitus, & coæternus Patri, in forma serui, & ex forma serui, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exibere voluit precatorem, vt meminisset, nostrum se esse Doctorem. Proinde eam, quam fecit, orationem pro nobis, notam fecit & nobis: quoniam tanti Magistri non apud ipsos sermocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis ad Patrem oratio, Discipulorum est ædificatio.* Ait igitur ad Deum, & Patrem suum? *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Non est existimandum* (vt Gregor. Nazien. admonet, Oration. 36.)
Nazian. *Christum à Deo quasi Passionem illam extimescētem derelictum: verum in se ipso nostra representat. Nos enim eramus primum derelicti illi, atque contempti, &c.* Hoc ergo est, quod dolebat, quod clamabat, videns, propter peccata nostra iuste nos esse à Deo derelictos. Quasi dice-
Psalm. 9. & 73. ret cum Dauid? *Vt quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione?* Et iterum? *Vt quid Domine, repulisti in finem. iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Congregari ad Deum optabat, & postulabat, oues suas, quæ propter peccatum suum dispersæ erant, ne derelictæ ab ipso, in æternum perirent. Aut fortasse dicebat, se derelictum à Deo, quia Iudæi, &
Matth. 27. persequutores ita existimabant, dicentes? *Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult.* Quod irridendo, & subsanando dicebant. Quos sanctus Dauid præuiderat, inquiens? *Omnes videntes me, deriserunt me, loquuti sunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum*
Psalm. 21. & 70. *saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Et iterum? *Dixerunt inimici mei mihi, &, qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum, dicentes? Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Existimant enim frequenter viri impij, Sanctos, & iustos, à Deo derelinqui, & deseri in necessitatibus; cum tamen è contra se res habeat, quia ab ho-

minibus, ab amicis, & à parentibus frequentissimè deseruntur, & à solo Deo proteguntur, & adiuuantur. Neque enim quisquam à Deo deseritur, nisi qui ipsum deserit. *Non vidi iustum derelictum*, ait S. Dauid. Et iterum: *Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos*. Et in alio Psalmo. *Pater meus, & mater mea, dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Et Paulus: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: Dominus autem mihi astitit, & confirmauit me.* *Psal. 36. & 26.*

Aut tertio, propterea dixit: *Vt quid dereliquisti me?* sicut Origenes insinuat, tract. 35. super Matt. quia videbat multa peccata hominum, pro quibus patiebatur, & paucos esse saluandos, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus Considerabat hominum ingratitudinem, atque cordis duritiam, & obstinationem, & dicebat: *Vt quid dereliquisti me?* Quasi diceret: Propter quos peccatores, propter quos ingratos? Ardens etiam summo quodam desiderio, & amore salutis hominum, & volens omnes saluos fieri, sciensque paucissimos esse consequuturos fructum Passionis suæ, dicebat: *Vt quid dereliquisti me?* Propter quem fructũ, ob quã vtilitatẽ? Quæ vtilitas in sanguine meo, & morte mea? Quasi diceret illud Michææ: *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Quæ verba & Origenes ibi & Hieronymus, libro 3. Commentar. super Hierem. cap. 15. & multo melius super ipsum Mich. cap. 7. referunt ad Christum. Ait enim Hieronymus: *Sunt, qui ex persona Saluatoris hoc dici putent, causantis, quod in tanta credentium multitudine, & in toto orbe generis humani, vix suo sanguine digna opera reperiat: qui & in 29. Psalm. ait: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionẽ?* Sed & Diuus August. in Comment. super Psalm. 37. in illa verba, *Ne derelinquas me, Domine Deus, &c.* (cuius sensum habet etiam Cyrillus in lib. de Recta fide ad Reginas, paulò post principium) dicit, in illis verbis Christum transfigurasse se in personam primi, & veteris hominis, quem ad hoc voluit Dominus crucifigere secum, vt renouaret: quemadmodum Apostolus ad Romanos scribit, *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Et Origenes, Hom. 8. super Iosue, animaduertit, Regem Hai, suspensum fuisse in

*1. Tim. 4. Origenes. Mich. 7. Origenes. Hieronym. Psal. 29. August. Cyrillus. Roman. 6. Origenes.*

gemino ligno, ad insinuandum secretum mysterium, quod crux Domini nostri Iesu Christi gemina fuit: quia visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est, inuisibiliter vero in ea cruce non solum vetus homo noster crucifixus est, sed etiam diabolus cum principatibus suis, & potestatibus, affixus est cruci, vt de illo mirabiliter Christus triumpharet, quemadmodum

*Coloss. 2.* idem Apostolus ad Colos. scribit; *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso* Ergo vox illa, nostra erat, & nostræ infirmitatis, quando Christ⁹ in cruce dixit; *Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

*August.* *Vnde enim hæc vox* (August. ait sup. Psal. 4 9.) *nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris? Qui enim suscepit similitudinem carnis peccati, cur non susciperet similitudinem vocis peccati?* Hac voce Christus meruit, & obtinuit, vt genus humanum, peccato inueteratum, renouaretur, & à Deo derelictum reciperetur. & recōciliaretur, atque à paradiso eiectum in cœlum referre-

*Esai. 62.* tur: ita vt possimus iam dicere humanæ naturæ cum Esaia, *Non vocaberis vltra derelicta, &c.*

Denique quinto intelligere possumus, Christum Dominum etiam de se ipso ea verba protulisse, *Vt quid dereliquisti me?* Propterea quod in ipsa Passione circa inferiorem portionem, seu partem sensitiuam, ita destitutus est omni prorsus consolatione, & solatio, quo leniri, & temperari solent afflictiones eorum, qui aduersa patiuntur, vt absque vllo leuamine vniuersa tormenta, & summa cum tristitia, ac dolore, passus sit.

*Psalm. 42. & 68.* Vnde dicebat Deo Patri: *Tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.* Et alibi; *Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.* Vt enim nobis ostenderet, quam incredibili charitate diligeret humanum genus, quàm copiosa redemptione, quàm superabundanti satisfactione pro illius peccato satisfaceret Deo Patri, omnem illam pœnarum & tormentorū acerbitatem, nude, & absque vlla consolatione pati vo-

*Psal. 76.* luit, & *renuit consolari anima eius*: quasi diceret cum san-

*Iob 6.* cto Iob ipsi Deo, *Soluat manum suam, & succidat me: &*

*hæc*

*hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat*: vt ista sua desolatione ostenderet virtutem, & fortitudinem magnã spiritus sui, ita vt possimus dicere cum Apostolo; *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Quamuis enim non omnis passio, digna sit consolatione (vt Ambros. ait sup. Psal. 118. serm. 10.) tamen passio, quæ pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur. Sicut & Christus, qui pro nobis passus est, eam sibi meruit post labores, & tormenta, queadmodum ipse prædixerat per os Dauid; *Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas, & malas, &c.* Et paulo inferius; *Et conuersus, consolatus es me.* Et in alio Psalm. *Videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu, Domine, adiuuisti me, & cõsolatus es me.* Tandem docuit nos Christus, eos, qui in tribulationibus, & angustiis, non confugiunt ad humanas cõsolationes, sed respuunt illas, mereri, vt diuinis consolationibus visitati subleuentur, sicut Dauid dicebat; *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Alioquin, sicut D. Bernard. dicit in Declamationibus, *Pretiosa est diuina consolatio, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.*

2. Cor. 1.

*Ambros.*

Psalm. 70. & 85.

Psalm. 76.

*Bernard.*

## *Quintum Verbum Christi.*

POstea sciens Iesus (ait S. Ioan. Euangeli.) *quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit; Sitio. Vas autem positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam, plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius*. Multis sane sensibus hoc quintum Christi verbum à sanctis Doctoribus explicari solet quo Christus Dominus & causam suam agebat, & nostram. In primis D. Augustinus super Psalm. 61. & 68. intelligit hunc locum de siti, qua sitiebat fidem omnium hominum, etiã eorum, qui eum persequebantur, & pro quibus ad Patrem orauerat. Quæ sitis multo amplius animam eius cruciabat, quam corporea sitis, licet ipsa esset acerbissima. Aut fortasse propterea dixit, *Sitio*, vt ostenderet, peccata nostra iam esse purgata in corpore suo per tormenta, & per mortem crucis. Est enim Medicorum

*August.*

regula, quod purgati non quiescunt, donec sitiant, & dormiant. Quia ergo Christus in cruce purgauit peccata totius humani generis, propterea sitiuit, & statim dormiuit in pace. vt ostenderet, ipsum esse, qui purgabat omnes nostras infirmitates, & iniquitates, quas assumpsit, vt sanaret, atque purgaret. Neque solum purgauit in cruce, sed semper purgat, & delet. Vnde & à
Hebr. 1. Paulo in epistola ad Heb. appellatur, *Purgationem peccatorum faciens.* Quo fit, vt etiam illa sitis nostræ salutis
Psalm 61. adhuc in eo satiata, & extincta non sit. Vnde in Psalm.
August. dicit; *Cucurri in siti.* Vbi Aug. recte dicit; *Huc vsque in finem sitit iste, currit, & sitit. Multos enim bibit, sed nunquam erit sine siti* Sunt etiam, qui hoc verbum Christi referant ad sitim ardentissimam, quam habebat patiẽdi adhuc plura tormenta, si opus esset, pro salute humani generis. Quamuis enim plurimos dolores pertulisset, propè nullos efficiebat eos ardentissimus amor: & quasi
Genes. 29. alteri Iacob, *Videbantur ei pauci, præ amoris magnitudine*: & quamuis milites, illi adderent grauiores clauos, plures, & acutiores spinas, omnes illas facile consumeret, ac deuoraret flamma charitatis eius. Quod si Pontifices, & sacerdotes, & ministri, adhiberent illi alias plures cruces, & subiicerent ligna, ignis sanctus, qui nunquam deficiebat in altari pectoris Christi, omnia consumeret: egressus, inquam, ignis ardentissimæ charitatis à Christo, omnia quasi stipulam statim deuoraret. En, quantas ostendit illi Deus tribulationes multas, & malas, ita vt intrarent aquæ passionum vsque ad animam eius: & tamen (vt vtar verbis ipsius Sponsi
Cant. 8. in Cant.) *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, hoc est, sitim feruentissimi amoris, quo sitiebat adhuc plura, & maiora tormentorum flumina bibere pro salute hominum, quam etiam extinguibili siti desiderabat, atque sitiebat. Propterea necesse fuit, vt Deus Pater terminum poneret huic immenso mari dilectionis Christi, quem ipse ex obedientia non transgrederetur, & diceret cum S. Iob;
Iob 38. *Huc vsque venies, & non procedes amplius* Non enim decebat, vt amplius pateretur pro nobis. quam ex diuina ordinatione, & voluntate, constitutum illi erat, ad hoc vt copiosa esset apud eum nostra redemptio. Vnde etiam per os Dauid di-

cit; *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. Manum eius tenuit, & continuit Deus Pater, & in voluntate sua deduxit eum, quia non permisit illi, vt tantum pateretur, quantum desiderabat: quasi diceret illi. Angelo noui testamenti; *Sufficit nunc, contine manum tuam*. Nisi enim continuisset manum eius, & in voluntate sua deduxisset illum, nullus esset finis in eo patiendi, sicut nullus erat finis amandi. Tanta erat sitis, & tam ingens ardor amoris eius erga nos. Psalm. 72. 2. Reg. 24.

Denique quarto & magis proprie, & iuxta literam, intelligitur hoc verbum Christi de corporali eius siti, quam vehementissimam patiebatur in cruce: in qua non solum exterius patiebatur, sed etiam interius acerbissima siti torquebatur: neque erat, qui ei in tam acerbissimo cruciatu, quo in illa flamma tormentorum, & sitis, cruciabatur, vel guttam aquæ porrigeret, qua posset refrigerare linguam suam, quæ, præ nimio ardore, iam pene adhæserat ad palatum eius in siti, sicut ipse dicebat per os Dauid; *Et lingua mea adhæsit faucibus meis*. O tyrannicam Iudæorum crudelitatem in Christum! Sed ô mirabilem ipsius Christi patientiam, qui in hac siti quasi derelictus est, qui non solet derelinquere confugientes ad se. Filius Agar siti moriebatur: & ecce Angelus Domini ostendit ei puteum aquæ; deditque puero bibere, cuius vocem Dominus exaudierat. Populus Israel sitim patiebatur in deserto: & quamuis murmurarent contra Moysem, & tentarent Dominum, ipse Dominus eduxit eis aquas de petra, vt biberent, & satiarentur. Fortissimus Samson, postquam in maxilla asini interfecit mille Philisthæos, sitiuit valde, & clamauit ad Dominum, & ait; *Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, atque victoriam, & en, siti morior. Apperuitque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressa sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillauit spiritum, & vires recepit*. Et tamen noster Iesus, qui in cruce positus, non mille Philistæos, sed mortem nostram moriendo occidit, vniuersa peccata deleuit, aëreas potestates debellauit, & in cuius manu fecit Deus salutem magnam, atque victoriam, en, siti moritur, & clamat ad Deum, inquiens; *Sitio*: & ipse Dominus illum non exaudit. Psalm. 21. Genes. 21. Exodi. 17. Iudic. 15.

nec puteum aquæ illi aperit, nec de petra educit aquas, nec de ipsa mandibula crucis egredi facit, vt bibere possit, & refocillare spiritum illum contribulatum, &
*Psal. 103.* vires recipere. *Emittis fontes in conuallibus* (ait Dauid ad Dominum) *potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua* Etiam ipsæ bestiæ sitientes, aquarum fontes inueniunt, & onagri in siti sua aquas expectant à Domino, vt bibant: & Dei Filius in cruce sitiens, & moriens, potum aquæ frigidæ, neque à Deo expectat,
*Iob 18.* neq; accipit: sed (vt vtar verbis sanct. Iob, *Exardescet contra eum sitis.*

*Esai. 21.* Sed quid homines? Nunquid *Occurrentes, sitienti attulerunt aquam*: vt Esaias præceperat? Audiamus sanctum Euangelistam; *At illi spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* O nouum, & inauditum crudelitatis genus! Christus sitit in cruce, & Iudæi non contenti, quod dedissent illi bibere myrrhatum vinum, & vinum etiam cum felle mixtum, adhuc sitien-
*Prouerb. 25.* ti in cruce acetum offerunt bibendum: & cum scriptum sit, *Aqua frigida animæ sitienti*: & iterum; *Si inimicus tuus si tierit, da ei aquam bibere*: illi omnium inimicorum immanissimi, Dei Filio, pro inimicis tam amice deprecanti, amarissimum acetum offerunt in siti. Si peccator aduersus Dominum multa scelera commisisset, fortasse mirum non esset, quod in siti sua tam amaro poculo ab aduersariis potaretur, Domino id per-
*Hierem. 8.* mittente, aut etiam ordinante. Scriptum est enim per Hieremiam; *Dominus Deus noster potum dedit nobis aquam fellis peccauimus enim Domine* Sed quod iustus, & sanctus Redemptor noster, in siti sua aquam fellis, vinum cum felle mixtum, atque acetum bibendum accipiat, inauditum est sæuitiæ, & crudelitatis genus. Veruntamen ipse etiam hoc immane tormentum voluntariè
*Ambros.* propter nos suscipere voluit: tum vt nullum esset tormenti genus, quod pro nostra salute non susciperet: tum etiam: vt isto suo amarissimo potu nobis promereretur multitudinem dulcedinis diuinæ. Nam (vt Ambrosius inquit in Psal. 118. serm. 18. versic. 5) *Meas amaritudines bibit Christus, vt mihi sua donaret gratiæ suauita-*
*Psalm. 68.* *tem.* Tum denique, vt hoc facto adimpleret Scripturam, quæ dicit; *Dederunt in escam meam fel: & in siti mea*

*potauerunt me aceto*. Quam, huius rei fuisse Prophetiam, vniuersi sanctæ Ecclesiæ Doctores vnanimi consensu docent.

§. 9.

## *Sextum verbum Christi,*

CVm *ergo accepisset Iesus acetum* (ait S. Euangelista) *dixit; Consummatum est*. Recte per Salomonem de Filio Dei dictum est in Ecclesiastico; *Consummatio sermonum, ipse est in omnibus*. Quoniam Christus Dominus noster, & Dei Filius, in terra, tam vita sua, quam Passione, & morte, non solum hanc Scripturam, & sermonem, sed etiam omnes Scripturas, quæ de ipso erãt, adimpleuit, & consummauit. Neque vero solas Scripturas, Passione sua consummauit, sed etiam totum opus nostræ redemptionis, & salutis, dicente Apostolo in epist. ad Hebr. quod *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*. In qua vna consummatione completum est id, quod S. Dauid dicit; *Omnis consummationis vidi finem*. Dicente enim Christo, *Consummatum est*, & moriente, finem habuit peccatum, & mors, & vsque ad consummationem, & finem, peruenit perfectissima eius charitas, & misericordia erga nos, qua mirabiliter consummauit opus copiosæ redemptionis nostræ, & cursum sanctissimæ vitæ suæ. Non enim voluit Christus mori, antequam diceret; *Consummatum est*. Hoc est, Consummata est vita mea, obedientia, humilitas, charitas, patientia, & cætera omnia consummatissima, & perfectissima virtutum opera: & post istam virtutum consummationem, inclinato capite, tradidit spiritum, vt doceret nos, neminem posse perfecta morte vitam finire, nisi prius vitã ipsam studuerit habere in virtute consummatam. Propterea Paulus, instante iam tempore suæ resolutionis, & mortis, dicebat; *Cursum consummaui*. Id est; Vitam habere studui consummatam, atque perfectam. Quæ est enim vita nostra, nisi cursus quidam ad mortem? Hunc ergo cursum ille consummauit, & sic lætus expectabat mortem, & repositam sibi coronam gloriæ. Similiter etiã quilibet Christianus faciat necesse est: ante mortẽ consummet vitam

*Eccles. 43.* *Heb 10.* *Psalm. 118.* *2 Timot. 4.*

suam virtutibus, ac bonis operibus, vt possit postmodum fœliciter mori. *Considera* (inquit Seneca, epistol. 34.) *quam pulchra res sit, vitam consummare ante mortem.* Et de viro iusto celeriter mortuo dicit alius Sapiens, quod *consummatus in breui expleuit tempora multa.*

*Seneca.*

*Sap. 4.*

## *Septimum verbum Christi.*

QVamuis autem S. Euangelista Ioannes tacuit septimum, & vltimum verbum Christi prolatum in cruce, S. Lucas illud accurate posuit, inquiens, *Et clamans voce magna Jesus, ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* A Patre incœpit Christus primã vocem in cruce, & ad Patrem etiam conuertit vltimam hanc: vt doceret nos, quod omnis nostra oratio, & operatio, à Deo incipere debet, qui est totius boni principium, & in Deum ipsum terminari, qui eiusdem boni præcipuus finis est. Merito autẽ clamans magna voce spiritũ commendauit Patri: quia summum hominis negotium est, hora mortis, secure cõmendare spiritumsuum in manus Dei Patris. Aut etiam ideo *magna voce clamauit* (vt Athanas. docet Quæst. 76. ad Anthiochum) vt potentiam suam, & virtutem ostenderet, & Iudæos, atque Gentiles deterreret, & ad fidem adduceret. Hæc enim vox velum templi disrupit, petras scidit, monumenta aperuit, &c. Vnde S. Matthæus sic dicit, *Jesus autem clamans voce magna, emisit spiritum: & ecce velum templi, scissum est in duas partes, & terra, mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta, aperta sunt, &c.* Et de Centurione dicit sanct. Marcus, *Videns autem Centurio, quod sic clamans expirasset ait, Vere hic homo Filius Dei erat.* Et, vt S. Bernard. ait, serm. 28. sup. Cant. *Ad vocem credidit: ex voce agnouit Filiũ Dei, & non ex facie. Erat enim fortasse ex ouibus eius de quibus, ait Oues meæ vocem meã audiunt.* Et paulo post, *Ad vnam expirantis vocem, sub tot infirmitatis iudiciis, Dominum maiestatis agnouit: ideoque non despexit, quod vidit, quia credidit, quod non vidit.* Et S. Lucas addit, *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.*

*Luc. 23.*

*Athanas.*

*Matth. 27.*

*Marc. 15.*

*Bernard.*

*Joan. 10.*

Aut etiam tertio, magna voce commendauit spiritum

suum in manus Patris, quia commendabat Matrem suam, quam hic vocat, spiritum suum, id est, charissimā sibi, & vnitissimam. Si enim *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est* (vt Paulus inquit) quanto magis Maria quæ sic adhæsit Christo Filio suo, & Deo suo, erit spiritus eius? Solet enim, quod charissimum est alicui, vocari anima, aut spiritus eius. Quo sensu de Christo dicit Hieremias) *spiritus oris nostri, Christus Dominus*: quia dilectissimus nobis esse debet, & quasi anima, & vita, & respiratio nostra. Ita etiam & sacratissimam Mariam, spiritum suum Christus vocat, quia sicut animā suam, eā habebat, & diligebat, & quam prius commendauerat Discipulo, nunc moriens commendat in manus Patris custodiendam. Aut denique quarto, magna voce clamans commendauit Christus spiritum suum in manus Patris, quia commendauit in manus eius Ecclesiam suā, quæ illi erat sponsa dilectissima, & quasi spiritus eius, aut duo in vno spiritu, & anima vna Vnde sub persona Iob patientis dictum est de Christo ad Sathanam, *Ecce in manu tua est: veruntamen animam illius serua.* Vbi Diuus Gregorius lib. 3. Moralium. cap 31. per animam Christi, qui in Passione manibus impiorum traditus est, intelligit Ecclesiam electorum, quos ipse dilexit sicut animam suam, & seruauit, atque à potestate Sathanæ, moriendo eripuit, & in manus Patris seruandos tradidit, vt iam *Nemo posset eos rapere de manu Patris sui*, vt sanctus Ioannes Euangelista dicit.

1\. Cor. 6.

Thren. 4.

Iob. 2.

Gregor.

Ioan. 10.

Subdit autem S. Euangelista Ioannes, *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* Multipliciter, & varie explicari solet à SS. Partibus, & aliis huius loci expositoribus, quod Christus Dominus inclinato capite mori voluit. Sed illis prætermissis expositionibus, quæ licet optimæ sint, facile tamen apud ipsos legi possunt, alias nonnullas referemus.

Inprimis videtur significare voluisse, quod nec moriebatur pro seipso, qui verus Deus erat neq; pro obtinēda gloria animę suæ, quā ab instāti Incarnationis perfectissimā habuit, secundum quod Dauid dicit in Psal. *Beatus, quem elegisti, & assūpsisti* neq; opus habebat tēpore mortis, cœlū aspicere, vt spirit' eius susciperetur à Domino in pace Alii sancti homines, quando moriūtur

Psalm. 64.

necesse habent leuare oculos, & caput ad cœlum, vnde veniet eis auxilium: quemadmodum Stephanus, iam moriturus, *Intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem, &c.* Et paulo inferius, *Lapidabant Stephanum, inuocantem, & dicentem, Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Et sanct. Martinus, iam iam moriturus, dicebat, oculis, ac manibus in cœlum semper intentus, *Sinite, me cœlum videre, vt spiritus dirigatur ad Dominum.* Sed Christus, capite, & oculis ad terram inclinatis, moritur: quia pro salute humani generis ponebat animam suam, non aliqua sua necessitate, sed sola sua voluntate.

*Actor. 7.*

*Seuerus Sulpitius in vita S. Martini.*

Præterea etiam voluit inclinato ad terram capite mori, vt honoraret sanctos Angelos, ne quis putaret quod pro illis moriebatur, vel quod ipsi, qui in cœlo erant beati, indigerent redemptione Christi: sed, vt scirent, quod pro solis hominibus, qui erant in terra, moriebatur, propterea inclinato capite tradidit spiritum. Vnde & ipsi Angeli pastoribus dixerunt, *Natus est vobis hodie Saluator*: & in Apocalyp. non leguntur adorasse agnum, sed Deum. Et D. Ambr. sup Psalm. 118. serm. 10. vers. 1. docet, nobis natũ esse Christum, non Angelis Quare miror Theologos, & interpretes Sacræ Scripturæ, qui aduersus doctrinã D. Thom. 3. par. quæst 59. art. 6. & de Veritate, quæst 29. art. 7. ad 5. & communem ac veram, affirmare audent, Christum Dominum meruisse Angelis gratiam, & gloriam essentialem qui tamen simul coguntur affirmare cum Augustino, in Enchirid. cap. 61. Christum proprie loquendo, non esse mortuum pro Angelis, neque propriè dici Redẽptorem eorum. Est enim prorsus inintelligibile, quod Christus meruerit aliquibus gratiam, & gloriã essentialem. & quod non sit mortuus pro illis: quoniam meritũ Christi in morte, & per mortẽ ipsius consummatum est, & applicatum omnibus prædestinatis, quibus meruit gratiam, & gloriam essentialem. Denique non bene conueniunt hæc duo, quod Christus meruerit Angelis gloriam essentialem, & quod ipsi Angeli multo ante eam gloriam obtinuerint, quam Christus illis de facto meruit, & quod multo ante in eam gloriam introierint membra, quam caput. Propterea ergo inclinato capite

*Luc. 2.*

*Apocal. 7.*

*Ambros.*

*D. Thom.*

*August.*

moritur, Christus, quia per mortem illam non Angelis sed tantum hominibus meruit gratiam, & gloriam: Angelis vero eam contulit in quantum Deus à principio mundi, vt D. Thom. dicit.

Aut tertio, propterea inclinato capite, mori voluit: quoniam, sicut Paulus ad Corinthios scribit, *Caput Christi, Deus est.* Hic autem Deus, propter peccatum primi parentis, faciem, & oculos suos auerterat ab hominibus, atq; declinauerat quasi inimicus: nec poterat ad nos conuerti, & inclinari, nisi per Passionem, & mortẽ Christi. Inclinari autem alicui solet quis dici in sacra Scriptura, quando illũ ex animo diligit, & amicũ habet, quemadmodum in secundo li. Machab. dicitur de Nicanore, *Habebat autem Iudam semper charum ex animo, & erat viro inclinatus.* Igitur quoniam Christus Dominus, consummato sacrificio crucis satisfecit Deo pro nobis, & summa quadam, & superabundanti iustitia, & iratum illum, atque offensum humano generi, placauit, *Inimicitias soluens in carne sua* (vt Paul. ad Ephes. scribit) & nos in eius amicitiam, & gratiam, reduxit (sicut idẽ Paul. ad Rom. dicit) *Recõciliati sumus Deo per mortem Filij eius:* idcirco inclinato capite mortuus est, quia non ante voluit emittere spiritum, quã caput suum (qui Deus est) ad homines inclinaret, & placatum, atque reconciliatum nobis illum redderet. 1. Cor. 11. 2. Machabeorum. 14. Ephes. 2. Roman. 5.

Aut denique quarto, inclinato capite tradidit spiritũ, quia ex tũc incipiebat requiescere à laboribus suis, quos tota vita pro nobis passus est, in qua nullam habuit requiẽ caro eius: sicut & ipse dicebat, *Filius hominis non habet vbi caput reclinet:* sed in cruce moriens, incipit iam reclinare caput in illo reclinatorio plusquam aureo, iã incipit respirare, & requiescere, *Dormiam*, inquit, *& requiescam.* Ecce quo pacto Iacob fatigatus ex itinere, *Volens requiescere post solis occubitũ, supponit lapidem capiti suo, & dormit.* Quoniam Christus lõgo itinere, vitæ & Passionis suæ, fatigatus, quẽ ille Iacob figurabat (vt Augu. ostendit ser. 79.) in occubitu suo, qui Sol iustitiæ est, super lapidem sanctæ crucis, quã capiti suo supposuit, reclinauit caput, ac dormiens requieuit: vt & nos etiã discamus ab ipso, quod viris iustis nulla requies esse potest in hac vita, sed tunc incipiunt à laboribus requies- Matth. 8. Psal. 4. Genes. 28. August.

cere, cum incipiunt mori. *Mors* enim, vt Ambros. dicit in lib. de Isaac, & anima, cap. 8., *requies est corporis, & animæ libertas* Et lib. de Bono mortis, cap. 8. *Denique iustis mors, quietis est partus.*

*Ambros.*

Inclinato Iesus igitur capite, *tradidit spiritum*, siue, vt S. Matth. dicit, *emisit spiritum*. Ecce alterum Domini egressum in salutem humani generis, quo exiuit spiritus eius, & anima egressa est a corpore, vt sic tandem consummaret opus redemptionis nostræ, & inciperet colligi fructus Passionis & mortis suæ. Et recte dicit S: Ioannes, quod *Inclinato capite tradidit spiritum*: vt sciant fideles, quod de cruce sua dat Christus spiritum suum, petẽtibus se. Et quemadmodũ Elisæus olim, clamãs ad Eliam eleuatũ in curru igneo, accepit spiritum duplicem eius, ita& ipsi, si cũ vero corde accesserint ad currũ sanctę crucis, in qua Christus igne charitatis succensus, & turbine tormentorum conquassatus, eleuatus est, accipient à Deo spiritum eius duplicem, videlicet spiritum fidei, & dilectionis, per quem fit perfectus quicunque homo iustus; & ad omne opus bonum instructus, & quodcunque malum viriliter tolerandum fortis, & potens, secundum quod Dauid dixit, *Spiritu oris eius, omnis virtus eorum*. Nulla enim est Christiani hominis virtus ad bene operãdum, nulla fortitudo ad quęcunque aduersa tolerãda, quam nõ accipiat à spiritu Iesu Christi, quem pro nobis, & nobis tradidit in cruce, inclinato capite: quasi vocãs nos, & clementer inuitans, vt cum fiducia accedamus ad currum sanctę crucis eius; vt accipiamus hunc spiritũ bonum quem ipse promisit, & tradidit iis, qui sperant super misericordia eius.

*Matth. 27.*

*4. Reg. 2.*

*Psal. 32.*

Sed & quod S. Matth. dixit; *Emisit spiritum*, existimo hanc, inter alias, posse habere intelligentiam: quod per peccatum primi hominis tota humana natura mortua erat, non habens spiritum vitæ, & vetustate culpæ deformata, & quasi in puluerẽ redacta Vt ergo Christus Dominus eam reduceret in pristinum sanctitatis, & iustitię statum, & mortuam viuificaret, & deformatam reformaret iste nouissimus Adam, qui, vt Paul. ad Corinth. scribit, *Factus est in spiritum viuificantem*, inclinato ad eam capite spiritum emisit: vt adimpleret, quod olim Dauid in spiritu ab eo postulaue-

*1. Cor. 15.*

rat, inquiens, *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Nam emittente Christo spiritum suum de cruce, capite ad terram inclinato, homines, qui nihil aliud, quàm terra sunt, per spiritum Christi quasi de nouo creati sunt, & qui mortui erant peccato, per spiritum Christi viuificati, sicut Paulus ad Ephes. dicit: *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Et paulò post: *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu, &c.* Terra enim humanæ naturæ, quæ inueterata erat, atque deformata peccatis, per hũc spiritum Christi Iesu, quem emisit super nos abundè, moriens in cruce, per hunc spiritum renouationis renouata est, & ad nouam sanctitatis speciem, & iustitiæ pulchritudinem redacta. Propter quod Paulus eos, quos ad Christum vocabat, sic hortabatur, scribẽs ad Ephesios: *Renouamini spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis.* Propterea ergo moriens in cruce Christus, inclinato capite ad terram spiritum suum emisit, quia sine eius spiritu humanum genus nec viuere poterat vita Dei, nec renouari, nec ad ipsum vllo modo pertinere, atque inter Sanctos, & electos eius connumerari, dicente Apostolo ad Roman. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

*Psal. 103.* *Ephes. 2.* *Ephes. 4.* *Rom. 8.*

Aut fortasse hanc etiam habet intelligentiam, quòd Christus moriens in cruce, inclinato ad terram capite emisit spiritum: quod inclinato capite ad terram, in qua detinebantur sancti Patres in sinu Abrahæ, expectantes beatam spem, emisit illis spiritum suum, siue animam, vt educeret illos de illo carcere, & lacu, & in paradisi gaudium, & gloriam introduceret. Et quemadmodum olim Noe, inter aquas diluuij positus, ex arca emisit columbam, quæ ad eum *Reuersa est ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo,* ita Christus inter aquas tribulationum positus & in arca sanctæ crucis conclusus, atq; confixus (nã quod per arcã illam crux Christi significetur, docuit Aug. in lib. de Catechizandis rudibus, cap. 19. & lib. 15. de Ciuitate, cap. 26.) de ipsa arca emisit spiritum suum, quasi columbam, vt ex sinu Abrahæ adduceret sanctos Patres, quasi ramum oliuæ. Oliua, populum Iudæorum significat, vt

*Genes. 8.* *August.*

ex sacris literis cõstat, maxime vero ex Apost. ad Rom.
Rom. 11. scribente, vbi populum Iudæorum, oliuam vocat, cuius rami propter incredulitatem eorum fracti sunt: quem populum Hieremias etiam, *Oliuam* vocat, inquiens:
Hierem. 11. Psal. 51. *Oliuam huberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Ex hac oliua ramum attulit columba in ore suo, quia non totam arborem, sed partem illius: non omnes Iudæos, sed solos sanctos, & electos Patres adduxit: vt posset vnusquisque illorum dicere cum Dauid: *Ego autem sicut oliua fructifera in Domo Dei*: quos spiritu oris sui momordit, atque
Osea. 13. auulsit, vt impleret, quod per Oseam prædixerat, *Ero morsus tuus, Inferne.* Partem enim inferni, & non totum abstulit, & propterea morsus illius appellatur, vt August. docet, sermon. 137. & Gregor. 12. Moral. cap.
August. Gregor. 8. Hoc autem ad vesperam contigisse dicitur, quia factum est, Christo iam ad vesperam moriente, & in cruce emittente spiritum. Vsque ad hanc enim vesperam, in qua Christus spiritum emisit, omnis ille populus, quasi immundus fuit, & in castra Domini introire non potuit: sed illo ad vesperam mortuo: iam purificatus, & mundus, introductus est, anima Christi descendente ad eos, & illustrante illos splendore diuinitatis, & gloriæ suæ: vt fieret quod S. Iob olim illi populo prædi-
Iob. 11. xerat: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: Et cùm te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.*

§. 10.

Defuncto iam in cruce Domino, sicut S. Matth. inquit, *Velum templi scissum est in duas partes, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, &c.* Quod factum diuersimode à sanctis Patribus solet explicari. Aliqui enim existimant, id ita contigisse, vt omnes illæ creaturæ quadam quasi compassione ostenderent, velle, si possent, cum ipso Christo moriente simul mori, atque finiri. *Nam creaturas quoque Creatori*
Nazianz. *condolere oportebat*, inquit Greg. Nazian. Orat. 42. Sic
Leo. docet S. Leo, serm. 6. de Passione, inquiens: *Pendente in patibulo Creatore, vniuersa creatura congemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt: Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui, & terram traxit,*

& cælum: hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus Authori, vt in occasu Conditoris sui vellent cuncta finiri. Aut fortasse ideo factum est, vt illa insensibilia elementa, Iudæorum duritiam arguerent, ac detestarentur, quæ crucem Christi, & mortem multo magis sentire potuerunt, quàm dura, & cæca illorum corda. Ait enim S. Leo, serm. 10. de Passione: *Cælum, terra, sol, syderaque indignos vos suo ministerio protestantur terribili motu, insolitoque defectu, tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt.* Sed & D. August. has easdé causas huius insolitæ nouitatis insinuat, serm. 120. vbi inquit. *Aperte rerum natura perspicitur commoueri, velut in vindictam Authoris sui velit armari. Terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat, tanquam ad scelus proprium contremiscit. Dies refugo lumine, quo modo potest, sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu more lugentis induitur. Et vt tota cæli facies dominicæ Natiuitatis gloriam noua luce testatur, ita crucis iniuriam nouis tenebris detestatur.* Hæc August. Vbi paulò post subdit, elementa illa his motibus insolitis voluisse testimoniũ reddere diuinitatis Christi, quã dura, & cæca corda hominum credere, & confiteri noluerunt. Ait enim: *Væ eis, qui inter ista non credunt: quandoquidem creatura irrationabilis, quæ recipere non potest credulitatis affectum; dat tamen Deo confessionis obsequium: & cum pro solo homine Christus mortuus sit, perhibet ei etiam pars illa mundi testimonium diuinitatis, ad quam non peruenerunt beneficia Passionis.* Videri posset alicui completũ hic esse, quod Christus antea Iudæis obstinatis dixerat: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

*Leo.* *August.* *Lucæ 19.*

Origenes copiose ista refert ad Allegoricos, & mysticos sensus, quod etiam efficit Amb. lib. 10. Commẽt. sup. Luc. & Hieronymus, epistola 150. ad Hedibiam, quæst. 8. Et Nizetas in annotationibus sup. Orationem 42. Gregor. Nazian In quibus sunt multa, lectione dignissima, quæ apud ipsos legi possunt.

*Origenes.* *Ambros.* *Nicetas.* *Hieron.*

Sed Iudæi, simulata specie religionis, & fallacia solitæ hypocrisis pleni, deponendũm de cruce Christi corpus solicite student, vt seruare videantur præceptũ legis, quo præceperat Dominus in Deuteronomio, quod

*Deuter 21.*

*Si adiudicatus morti homo, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.*

Matth. 23. O quã rectè de his hypocritis Christus apud Matthæũ prædixerat! *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem.* Obseruabant isti erga Christum minora legis præcepta, postulantes, vt de cruce deponeretur, & grauiora reliquerant, blasphemantes illum, & cogentes iudicem, vt eum crucifigeret, petentes, vt seditiosum Barrabam dimitteret, & sanctum Iesum morti traderet: sicut ipse Christus dixit: *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

Gregor. Nam vt Greg dicit, libr 1. Moral cap 6. *Liquauerunt Iudæi culicem; quia seditiosum dimitti latronem petierunt: camelum vero glutierunt, quia eum, qui ad suscipiẽda nostræ mortalitatis onera descenderat, extinguere clamãdo conati sunt.* Quod desumpsit ex Augustin. libr. 1.

August. Quæst sup. Euang. cap. 35.

Ait ergo S. Euangelista Ioannes: *Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho; (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* En, quo pacto Iudæi, illius tantæ solemnitatis violatores, ostẽdere conantur se ipsos magni illius Sabbathi obseruatores: quasi non esset scriptum per Esaiam:

Esai. 56. *Custodies Sabbathum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum.* Quis enim magis quàm isti polluerũt sanctum illud Sabbathum, facientes omne malum aduersus Christum, quem occiderunt: & tamen custodire se illud simulant, rogantes, eum deponi de cruce, quem clamoribus, & importunis postulationibus crucifixerunt? Sed & in hoc facto Iudæi nescientes prophetauerunt. Ita enim conueniens erat, vt post Christi mortem non amplius maneret corpus eius in cruce in Sabbatho illo, de quo non sine magno mysterio dixit Sanctus Euangelista: *Erat enim magnus dies ille Sabbathi. Dies ille,* inquit: quia inter omnia Sabbatha solum istud meretur magni nomen, in quo Christus requieuit à laboribus suis, à cruce, à morte, à doloribus, ab iniurijs, & in quo cessauit mors, & peccatum: cessauerunt aquæ diluuij, egrediente columba, & deferente signum recon

ciliationis, & pacis: in quo vetera omnia transierunt, & consummato opere nostræ redemptionis, *Facta sunt in Christo omnia noua*, vt Apostolus dicit. 2. Cor. 5.

*Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* Latronum ossa, qui puri homines, & peccatores erant, frangi à militibus potuerunt: ossa autem Christi, qui agnus Dei, & verus Deus erat, confringi non potérant: vt adimpleretur (sicut sanctus Euangelista refert) Scriptura, quæ dicit: *Os non comminuetis ex eo.* Quin etiã in Psalm 33. iuxta Hebræam translationem Diui Hieronymi, scriptum est: *Multæ tribulationes iusti, & ex omnibus illis liberabit eum Dominus. Custodit omnia ossa eius, vnum ex his non confringetur.* Quod multo melius intelligitur de Christo, quàm de quolibet alio iusto. Nemo enim inter Sanctos, & iustos, fuit, qui tot tribulationes, tãtosque dolores passus sit, vt Diuus Thomas ostendit. 3. p q 46. art 6 & à quibus ita abunde, & perfecte liberatus à Domino sit. Illud autem dolẽdum est, quod cùm in corpore Christi vero ossa frangi non possint, in corpore eius mystico, quod est Ecclesia, multoties ossa dissipantur, & confringuntur, non sine magna insultatione, & lætitia inimicorum: sicut ipse Christus per os Dauid prædixerat: *Cum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.* Tunc enim confringuntur ossa Christi, cùm fortes Ecclesiæ, tentationibus cedunt, aut persequutionibus victi succũbunt: quod in magnum opprobrium Christi redundat, & infirmorum scandalum.

Exod. 12. Psal. 33. secundum translationẽ Diui Hiero. D. Thom. Psalm 41.

*Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua.* En sumus iam in vltimo egressu Christi Domini, qui postquàm aperto ore, & inclinato capite, emisit spiritum, nunc tandem, aperto latere dextro, singularissimo quodam miraculo, emittit aquam, & sanguinem, in testimonium ardentissimæ charitatis suæ, qua dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Neque enim tradidit solum spiritum, moriens pro nobis, sed etiam aquam, & sanguinem, iam mortuus, de corde suo tradidit nobis: quod certe summæ erga nos charitatis manifestum in terra testimonium est. Et verum est testimonium illius, qui

dixit: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus,* 1. Ioann. 5.
*aqua, & sanguis.* Spiritus quem emisit moriens, aqua, & sanguis, quæ de latere ipsius iam mortui prodierunt. In qua re & miraculum magnum inueniemus, & grande mysterium Miraculum quidem, quia ex corpore iam mortuo & tam exhausto, vera aqua, verusque sanguis exietit. *In alijs mortuis corporibus* (ait Origenes, libro.2.

Origenes. contra Celsum) *sanguis cogitur, nec aqua limpida ex eis promanat: ex Iesu autem mortui corpore, ne tunc quidem cessantibus miraculis, sanguis. & aqua profluxit de latere.* Mysterium vero, vt agnoscant fideles, se habere ab illo latere Christi aquam emundationis, & sanguinem redẽptionis, pretium simul, & lauacrum: habere etiam aquã refectionis, & sanguinem calicis salutaris, quo in mystica mensa inebriantur amatores Christi. Fœlices illi, qui ab ipso Dominici pectoris latere, & fonte, haurire merentur, & bibere vulnerati sanguinem. Inter alia præconia, & benedictiones Israelitici populi, illam ap-

Num. 23. posuit Balaam Propheta, quod *Sanguinem vulneratorum biberet.* Quanto ergo fœlicior Christianus populus, qui in altari sanctæ Ecclesiæ carnem Christi comedit,

Esa. 53. & sanguinem vulnerati bibit? Ipse enim *Vulneratus est propter iniquitates nostras,* vt Esai. inquit. Cuius salutari vulnere non solum consequimur sanitatem, sed etiam salubriter pascimur, & potamur, & quasi quodam effuso

Ambros. vnguento suauissime perũgimur: quia, sicut D. Ambrosius inquit, super Psalm. 118 sermone 5. versu. 1. *Vulnus est, quod Christus excepit, sed vnguentum est, quod effudit.* Denique ab isto vulnere charitatis habent sancti Martyres Christi aquã cœlestem, qua in tormentis refrigerentur, & recreentur, & qua ignis totius doloris, & pœnę, extinguatur. Habent & sanguinem vuæ, cuius aspectu animentur, & acuantur multo melius, quàm

1. Mach. 6. elephanti, ad bellum, & martyrium pro Christi nomine suscipiendum.

Hoc igitur est testimoniũ veritatis, & charitatis, huius postremi miraculi, quod Christ⁹ pro nobis in cruce operat⁹ est: de quo S. Ioã. dicit, *Et qui vidit, testimon. ũ perhibuit: & verũ est testimoniũ eius* quod si hoc Christi testimoniũ tam credibile, cõfirmatum est in nobis, necesse est, vt à peccatis omnibus nos contineãtes, seruiamus illi in

sanctitate, & iustitia, omni tempore, neque vltra offendentes persequamur Deum: qui, vt nos redimeret, Filium suum vnigenitum exire in mundum constituit, & ad Passionem venire, & in cruce immolari constituit. Cùm Rex Moab opprimeretur ab exercitu Filiorum Israel (vt habetur lib. 4. Reg. *Arripiens filium suum primogenitũ, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustũ super murum: & facta est indignatio magna in Israel; statimque recesserunt ab eo.* Si ergo hostes illius Regis, ita indignati sunt ex quadam compassione, & misertì sunt eius, quem viderunt ad has angustias deuenisse, vt filiũ suum primogenitum immolaret pro salute populi sui, & sic cessauerunt ampliùs persequi, & expugnare illum: quantò magis nos debemus indignari aduersùs peccata nostra, & cessare ab offensione Dei, qui (vt Paulus inquit) *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* & super murum sanctæ crucis eum constituit offerri sacrificium pro redemptione, & salute totius humani generis? Væ illis, qui hunc æterni Regis Filium, iam in cœlo regnantem, non verentur peccatis offendere, & iniquitatibus persequi, atq; contemnere, & (vt Paulus ad Heb. inquit) *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Multò enim maiorem crucem Christus hanc æstimat, grauiores persequutiones, & acerbiores cruciatus, quam eorum, qui ipsum in terra cruci affixerunt, & tam crudeli, ac turpissima morte occiderunt, sicut ipse Filius ad Patrem dicit de eiusmodi persequutoribus suis, *Quem tu percussisti, persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Quasi diceret; Quem tu, Pater, voluisti in Passione vulnerari, isti etiã post Passionem persequuti sunt peccatis, & criminibus, & maiores dolores, atque cruciatus in me contulerunt, quàm illos, quos in Passione pro eorum salute voluntariè sustinui.

4. Reg. 3.

Roman. 8.

Hebr. 6.

Psal. 68.

Rectè dixit Aug. in persona Christi alloquens vnumquemq; ex his peccatoribus, serm. 67. de Temp. & serm. 181. cap. 9. *Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in qua tui misertus, mortem tuam oc-*

August.

*cisurus, ascendi. Cùm essem impaßibilis pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in cruce vitam, in suppliciis medicinam.* Superest ergo, vt, quemadmodum idem Augustinus admonet, sermone 120. *Agnoscat homo, quantum valeat, & quantum debeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat, & potiùs vicem muneris Saluatori ex ipso bono suo, id est, de conseruata salute restituat. Custodiamus ergo solicitè, quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit. Reus enim erit non parui pretij, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam, Christi sanguine, & Paßione mundatam.*

Idē Aug.

Ipsi Christo sit gloria, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, viuit, & regnat vnus Deus, Amen.

# DE SEPVLTVRA CHRISTI DOMINI.

## CONCIO PRIMA.

*In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* PSALM. 4.

DEFVNCTO iam in cruce Domino, in qua tam glorioſè occubuit, & fœliciter obdormiuit, ſolum illi reſtabat pientiſſimum opus ſepulturæ, in qua requieſceret: ac ſi diceret cum ſancto Iob; *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum.* Quapropter (ſicut ſancti Euãgeliſtæ referunt) viri nobiles, & iuſti, deponentes eũ de crucis ligno, poſuerunt in monumento, nouo quidẽ, ſed alieno. Nam ita fuit perfectæ paupertatis amator, vt *Nec paſſum pedis in terra dederit ei*, Deus, ſicut de Abraham dicit S. Stephanus: imò multò perfectiùs, quã de Abraham, poteſt hoc dici de Chriſto Quoniam ille habuit ius, & poſſeſſionẽ proprii ſepulchri, quod emit pecunia ab Ephrõ filio Seor: Chriſtus verò nõ habuit, quo poſſet emere locũ ſepulchri ſui, quin potiùs propterea vẽditus eſt triginta argẽteis, vt eius pretio Iudæi *Emerẽt agrũ figuli* (ſicut S. Matth. dicit) *in ſepulturam peregrinorũ*. Neq; etiã excidit ſibi ſepulchrũ in petra, & memoriale, ſicut Sobna Præpoſitus Tẽpli (vt Eſaias inquit) ſed in alieno ſepulchro, & monumẽto exciſo, ꝙ Ioſeph exciderat in petra, ſepeliri voluit. Nã, qui propriũ peccatũ nõ habuit, aut mortis reatũ, ſed pro aliorũ moriebatur ſalute, propriã etiã ſepulturã habere nõ potuit, vt Aug. dicit, ſerm. 133. *Vt quid ergo ei propria ſepultura, qui in ſe propriã mortẽ nõ habebat? Vt quid illi tu-*

*Actor. 17.* *Actor. 7.* *Geneſ. 32.* *Matth. 27.* *Eſai. 22.* *Auguſt.*

terram sepulchri sui benedixit, vt eam benedictionem pariter susciperent aliorum sepulchra iustorum. Deinde etiam hæc Christi sepultura captiuitatem auertit populi Christiani, peccata eius remittit, & ea, quæ per eius mortem sunt mortua, per ipsius sepulturam operiuntur, ne amplius videri possint à Deo, & puniri. Vnde August. libro 1. quæst sup. Genes. quæst. 61. dicit; *Sepultura mortuorum, remissionem significat peccatorum, eò pertinens, quod dictum est, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Hinc est, quòd S. Patriarcha Iacob noluit in Ægypto sepeliri, sed in ea terra, vbi ille crucifixus est, & sepultus, cuius sanguine facta est remissio peccatorum. Hinc etiam est, quòd baptismus Christi, in quo datur fidelibus remissio omnium peccatorum, quasi sepultura illis est, dicente Apostolo; *Consepulti sumus cum illo per baptismum in morte.* Quæ verba referens August. sermon. 328. inquit; *Baptismus Christi nobis est sepultura, in qua peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientia resoluta, in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur. Magna igitur sepulturæ huius est gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vtilior condonatur. Magna, inquam, sepulturæ huius gratia quæ & purificat peccatorem & viuificat morientem.* *August.* *Psal. 31.* *Genes.* *Rom. 6.* *August.*

Tertiò, quia (vt S. August. docet, libr. 4 sup. Genes. cap. 11.) sicut Deus, (vt ex principio Genesis constat) die sexto creauit hominem, postremum omniũ creaturarum, & sic compleuit omne opus suum, quod sex diebus operatus fuerat, Sabbatho autem requieuit ab omnibus operibus suis. *Compleuit Deus* (ait Scriptura) *die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit ab vniuerso opere, &c.* Ita & Christus Dominus in hac mundi renouatione, & reparatione, die sexto redemit hominem, & compleuit vniuersum opus redemptionis nostræ, dicens in cruce; *Consummatum est.* Solùm ergo restabat, vt Sabbatho requiesceret in sepulchro ab omni opere, & labore suo, & nos in illo similiter requiem haberemus. *Sepultura enim Christi* (vt Aug. dicit in illo sermon. 128.) *quid est aliud, nisi requies Christiani?* *Aug.* *Ioan. 3.* *August.*

Tota vita Domini Iesu, continua quædam pas-

sio, & crux fuit, atque martyrium, perpetuus quidam labor, quo laborauit anima eius vsque ad mortem, vt hominem redimeret, ac Deo, & Angelis reconciliaret, *Pacificans per sanguinē crucis suæ* (vt Paulus ait) *siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Hanc reconciliationem, & pacem, nobis comparauit Christus tot tantisque laboribus, ac doloribus, vsque ad sanguinem, & crucis mortem: ita vt meruerit vocari reconciliatio nostra, & pax nostra, sicut Apostol. ad Ephes. dicit; *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Pacificauit enim Deum cum homine, cœlum cum terra, Angelos cum peccatoribus, & quasi vnum in Domino fecit hæc omnia in vnitate spiritus, & vinculo pacis. Ait ergo mirabiliter S. Esaias; *Veniat pax, requiescat in cubili suo*: ac si diceret; Veniat hæc diuina pax nostra, quæ Christus est, & post debellatas aëreas potestates, post tot, tantosquè exhaustos labores, post captam ab hostibus tam mirabilem prædam, dormiat, & requiescat leo de tribu Iuda. Requiescat, inquam, in cubili suo, & quasi leo in spelunca sua, qui hactenùs nullam requiem temporalem habere voluit, vt nobis æternam compararet. Et, vt sciamus, quod de cubili sepulturæ loquebatur Propheta Esaias in eo loco, iuxta editionem Septuaginta sic dicitur; *Erit in pace sepultura eius.* In illa enim sepultura cœpit habere pacē caro Christi, & requiescere in die tribulationis à labore suo, & concussione sua, & à seruitute dura, qua ante seruiuit, propter iniquitates, & peccata nostra, sicut ipse dixerat per Esaiam, *Seruire fecisti tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

*Coloss.* 1.

*Ephes.* 2.

*Esai.* 57.

*Secundùm Septuaginta.*

*Esai.* 43.

Hoc igitur est, quod in persona Christi dicit S. Dauid, *In pace in idipsū dormiā, & requiescā.* Dormiuit enim in morte, & somnū cepit Christus Dominus, & in sepultura requieuit in pace: in qua finē posuit vniuersis laboribus vitæ huius mortalis, & expectauit triduò resurrectionem carnis suæ ad vitā immortalē, & gloriosam. Sed & aliquid secretioris mysterij contineri videtur in his verbis, *In pace in idipsum dormiā & requiescā.* Cæteri enim mortuorū, & sepultorū, qui in Dño moriuntur, habēt quidē pacē, & requiē, in animabus suis, quoniā animæ eorū in bonis demorantur cœlestibus,

nec labores sentiunt, aut dolores, nec persecutiones patiuntur, & ab omni genere tormentorũ liberæ sunt, & securæ, in sinu Domini requiescẽtes: (sic enim gaudẽt in cœlis animæ sanctorũ:) cæterùm corpora eorum, in monumẽtis, & sepulchris, non integrè requiescunt, & in pace, quin potiùs multas patiuntur varietates, alterationes, corruptiones, ita vt etiã in vermes, & tandem in cineres conuertãtur. Vnde Abacuc Propheta, mortẽ, & sepulturã exoptãs, dicebat, *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat; vt requiescam in die tribulationis.* Quod non sine speciali Dei prouidentia, & ad eorũ vtilitatẽ factũ esse multis rationibus probat Chryso. Hom. 35. super Matth. Et si quis nobis obiiciat, quod de sepulturis Sanctorũ dicitur à Salomone in Ecclesia. *Corpora eorum in pace sepulta sunt*: hoc intelligendum est in pace à Tyrannis, à tormentis, à doloribus, & necessitatibus, & aliis huiusmodi, quæ in hac vita mortali pro Deo, & virtute, passi sunt: non autem in pace à corruptione, & vermibus, & cineribus. Homines enim, & peccatores sunt, atque adeò in puluerem, ac cinerem conuertendi. At Christus Dominus in sepultura sua singulariter præ omnibus pacem habuit, & requiem. Mirificauit enim Dominus sanctum suum, & quia corpus illud sacratissimum sine peccato erat, & ipsi Deo personaliter vnitũ, non solũ pacẽ habuit, & requieuit à doloribus, & tormentis, sed etiam (vt D. Thom. ostendit optimè in illa qu. 51. art. 3.) ab omni alteratione, & corruptione, perfectè, & integrè requieuit. Propterea dicit, *In pace in idipsum, &c.* ac si dicat. In illo *idipsum*, quod non mutatur, aut variatur, sed incommutabiliter permanet, in illo dormiã in pace ab omni mutatione. Vnde & Dauid hoc discrimen agnoscens inter alia Sãctorũ corpora, & sanctũ Christi Domini corpus, inquit, *Mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idẽ ipse es.* Omnes creaturæ, quæcũq; illæ sint, mutationes suscipiũt, siue homines sint, siue Angeli: solus verò De⁹ est, qui mutari nõ potest, *apud quẽ* (vt S. Iacob ait) *nõ est trãsmutatio, nec vicissitudinis obũbratio.* Est enim De⁹ illud *idipsũ*, qui nec mutatur, nec mutari potest. Vnde in morte, & sepultura, quamuis alia corpora, etiam Sanctorum,

*Abac. 3.* *Chrysost.* *Ecclesi. 44.* *D. Thom.* *Psal. 101.* *Iacob. 1.*

vſque ad corruptionem, & cineres, mutentur, ſanctum Domini corpus ſingulariter in hac ſpe conſtitutũ eſt, quòd nec mutatũ eſt, neq; vllã vidit corruptionẽ quia neque peccatũ nouerat, neque à Verbo diuino ſeparatũ erat. Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, & Reges, & iuſti, quamuis in pace dormiiſſent, mutati ſunt, & corruptionem viderunt: & vt S. Paul. in Actis Apo-

Actor. 13. ſtolorum dixit, *Dauid dormiuit, & vidit corruptionem: quē verò Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionem.*

Pſal. 15. Et hoc eſt, quod ipſe Dauid in perſona Chriſti dicebat, *Caro mea requieſcet in ſpe: quoniam nõ derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Caro enim Chriſti Domini in ſepulchro requieuit in hac ſingulari ſpe, & quam ſolus ipſe habuit, quòd anima eius non eſt à Deo derelicta, deſcendens ad inferos. Neque enim ſeparatum eſt Verbum diuinum ab anima in morte, neque deſeruit illam, ſed deſcendit cum illa in foueam, ex qua eduxit ſanctos vinctos ſuos. Neque etiã dereliquit ſanctum corpus, ſed deſcendit cum illo in foueam ſepulchri, in quo nullã potuit videre corruptionẽ & propterea dixit, *Sanctum tuum*: vt inſinuaret duas illas cauſas, & rationes, propter quas caro Chriſti Domini in hac ſpe tã ſingulari requieſceret in ſepulchro: videlicet, quia ſanctũ corpus erat, & abſque vllo reatu peccati: & quia corpus ipſius Dei erat, vnitum illi ſubſtantialiter in perſona Verbi diuini. Hoc ipſum etiã de S. Iob dictum eſt à quodã ipſius amico, qui in ſpiritu loquebatur de hac ipſa ſepultura Chriſti Domini, *Cùm te conſumptum putaueris,*

Iob. 11. *orieris vt lucifer: & habebis fiduciã, propoſita tibi ſpe: & effoſſus, ſecurus dormies, &c.* Moriens enim in cruce Chriſtus Dominus, quaſi conſumptus doloribus, & morte,

Ioan. 19. videbatur, cùm diceret, *Conſummatum eſt.* Sed ſtatim, vt lucifer oriri cœpit in cordibus hominũ, qui (vt ſancti Euangeliſtæ referunt) viſo terræ motu, & his, quæ fiebant, reuertebantur percutientes pectora ſua, & dicen-

Matth. 27. tes, *Verè Filius Dei erat iſte.* Habuit etiam certam fiduciã, & ſingularẽ ſpẽ, quòd ſepultus, cum omni ſecuritate dormiret, non ſolùm ſecurus à doloribus, & tormẽtis, & morte, ſicut alia corpora Sanctorum, ſed ſecurus à vermibus, & corruptione, atque omnimoda muta-

tione. Quam securitatem ille solus habuit, qui solus inter mortuos ab iis omnibus liber extitit, & propterea dicit, Et *deffossus*, siue *effossus, securus dormies*. Quem locum etiam de Christo sic possumus intelligere, quòd hanc securitatem, & singularem spem habuit in sepulchro: non solùm quia caro eius sancta erat, & Dei caro, sed etiam quia ex merito passionis suæ, & mortis, quã ex obedientia ad Patrem propter nos sustinuit, illi debitum erat, quòd caro eius non videret corruptionem. *Effossus*, inquit, *securus dormies*. Ac si diceret, Posteà quàm in cruce clauis perfossus fueris, & lancea confossus (*Foderunt*, inquit Dauid, *manus meas, & pedes meos*) & postquàm sanguinem, quasi aquam effundens, exhaustus, atque exinanitus fueris, tunc dormies, & sepelieris in pace. & propter meritum effossionis istius, securitatem ab omni corruptione, & mutatione, obtinebis. Propterea etiam Dauid in persona ipsius Christi dicebat, *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Ac si diceret, Quænam essent merita mea, qui in cruce effossus sum, & effusus, sicut aqua, euacuato omni sanguine meo, etiam ab ipso pectore, & corde, si tam copiosa sanguinis effusione non meruissem hanc habere incorruptionem in sepulchro, & electis omnibus, vt in vltima resurrectione liberarentur. *A seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei*, vt Paul. ad Rom. scribit? *Psalm. 21.* *Psalm. 29.* *Rom. 8.*

Sed relinquamus modò Christum in sepulchro suo quiescentem, & veniamus ad spiritualem sepulturam, quam habere debet Christianus homo, & verus Christi mortui, & sepulti, imitator, & dicere etiam cum Dauid, *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, De quibuscunque fidelibus dicit Apostolus ad Rom. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in morte*. Et Ambr. lib. de Bono mortis, cap. 2. dicit, quòd Apostolus loquitur de morte spirituali, & mystica, quando quis peccato moritur, & Deo viuit. Et D. Thom. ibi, lectione 1. animaduertit, quod in morte corporali priùs moritur homo, & posteà sepelitur: sed in hac morte spirituali, priùs sepelitur, quàm moriatur. Ipsa enim sepultura baptismi, per virtutem, quam habet à sepultura Christi, efficit hanc mortem spiritualem, occidendo *Rom. 6.* *Ambro.* *D. Thom.*

peccatum, quod est mors animæ, & conferendo nouã vitam gratiæ, & charitatis, per quam anima suscitatur,
Origenes. & viuit cum Christo. *Sepultura enim Christi* (vt rectè dicit Origen. lib. 2. contra Celsum) *non peruenit, nisi ad conformes mortis eius, & ad simul cum eo crucifixos, & mortuos.* Nemo enim viuus aliquando sepelitur, nisi fortè
Num. 16. illi, de quibus scriptum est, *Descenderunt viui in infernum, operti humo.*

Est autem in hac Christiani hominis spirituali morte, & sepultura, adhûc alia magis perfecta, & conformis similitudini mortis, & sepulturæ Christi: & cui cõueniunt verba Psalmi iam proposita, *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* In qua sepultura priùs etiam est dormire, & mori, non solùm peccato, & concupiscentiis eius, sed etiam ab omnibus curis, & negotiis sæculi, & ab omni terrena cogitatione. Est enim mors quædam, & dormitio perfecta, quæ fit in ipso Deo, vel in sinu eius, in illa summa pace, in illo Idipsum immutabili, ac diuino. Ibi moritur anima, & dormit, ab omnibus, quæ non sunt ipse Deus. Ibi sepelitur, & absconditur, excutiens à corde suo omnem vanam spem sæculi, & in solo Christo certam spem suam repositam
Psal. 4. habẽs, & dicens, *Quoniam tu, Domine, singulariter, in spe constituisti me.* Tu es, Domine, fœlix mors mea, & sepultura mea: tu es, Domine, spes mea, in te moriar, in te sepeliar, atque sepulta, in tua pace dormiam, & secura
Apoc. 14. requiescam. *Beati mortui* (ait S. Ioannes in Apocalyp) *qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* In Domino moriuntur animæ Sanctorum, in quo spiritus intimæ dilectionis eius, & omni morte fortior, eas occidit, & sepelit, & in pace requiescere facit ab omni tumultu, & inquietudine huius sæculi, & in securitate à curis, & solicitudinibus illius, quæ animam, multò plùs quam vermes, mordere solẽt, & inquietare. Moriuntur ergo priùs in Domino, & postmodùm in ipso sepeliuntur, vt quiescant, non solùm à laboribus, sed etiam ab omnibus curis, & negotiis huius mundi, absconditi ab ipso mundo, & quasi ab hominum memoria omninò pe-
Psal. 30. reuntes. Talis erat Dauid, cum dicebat, *Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Et de sibi similibus, *Ab-*

*scondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* De vnoquoque etiã istorum conuenienter dicitur. *Et effossus, securus dormies.* Quoniam euacuatus, & exhaustus ab omnibus, quæ sunt mundi, & confossus acutissima sagitta diuini amoris, & Christo confixus, securus dormit in illo, & suauiter requiescit: neque est, qui illum exterreat, cùm in pace Christi constitutus sit. *Ingredere in petram* (ait Esaias) *& abscondere in fossa humo.* In petram ingreditur, quæ Christus est, anima viri sancti, in petram, quæ clauis, & lancea, aperta est, & excisa, in passione, vt eam intrarent iusti, & inuenirent sepulturam quietis, & pacis, & in illa fossa humo absconderentur. In illa, inquam, humo, quæ in cruce effossa est, & in sepulchro defossa, vt sepeliret secum Sanctos: & electos suos, quibus Apostolus dicit. *Mortui estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Aut certè in *fossa humo* absconduntur viri sancti (vt D. Greg. insinuat, lib. 31. Moral. cap. 13.) quando omnes terrenas occupationes egerentes, in humilitatis suæ mente celantur. Docet enim D. Tho. 2.2.q.161.art.5. ad 2. hoc esse proprium munus humilitatis, expellere ab anima superbiam, cui Deus resistit, remouere vanitatem, & præbere hominem subditum, & patulum, ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ, euacuando omnẽ inflationẽ superbiæ in illo: atq; adeò in hac effossa humo confert illi Deus requiẽ, & pacem, quã superbis, & vanis hominibus non concedit, dicente Esaia. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilẽ & quietum?* Hoc est, Quem faciet spiritus meus habere pacẽ, & quietem, nisi eum, qui per humilitatem spiritus euacuatus, & effossus est vniuersis mundi huius vanitatibus? Sic Christus Dominus, humilis spiritu fuit, qui seipsum humiliauit vsque ad mortẽ crucis, & proptereà dormiuit, & requieuit singulariter in pace, & in spe. Pari etiam modo quicũque iustorum humilis spiritu, mortuus mundo, & cum Christo defossus, atque sepultus, in pace ipsius Christi requiescet, & in sinu suo habens hãc repositã spẽ, quòd (sicut Paul. dicit) *Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in nobis.* Ipsi Christo sit gloria, qui cum Patre, &c. Amen.

*Iob. 11.*
*Esai. 2.*
*Colos. 3.*
*Gregor.*
*D. Thom.*
*Esai. 66. secundùm Septuag.*
*Rom. 8.*

sit Deus, docet quod diuerso modo contingit in rebus Christi ab ijs, quæ contingere solent in rebus humanis: nam cum hi, qui hîc in magna gloria, rebusque florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis simul alia omnia, id quod non solum in diuite, sed & in Principe, atque adeò in Regibus ipsis quis videt? Nam leges eorum irritantur, statuæ obscurantur, memoria extinguitur, nomen eorum in obliuionem venit, à cognatis despiciuntur, &c. Et propterea S. Dauid dicebat; *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Et alio loco. *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* At in rebus Christi secùs euenit. Nam ante mortem, & crucem, omnia in tristitia, & luctu, erant: post mortem verò crucis in summo honore, atque gloria: neque est aliquid gloriosius, aut magis honorabile in terra, quàm mors, & crux Christi. *Nam Reges* (ait Chrysostomus) *positis diadematis, crucem suscipiunt, mortis symbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa crux, & in toto orbe crux, & super solem fulget crux.* Et de sepultura ipsius Christi paulò inferius subdit; *Et locus quidem, quo corpus hoc positum, breuis erat, & valde angustus, angustior tamen, & venerabilior mille Regum Palatijs, imò etiam Regibus ipsis. Et erit requies eius honor.* Ecce ergo, quo pacto Christus Dominus, qui propter nos seipsum *Humiliauit vsque ad mortem crucis* (vt Paul. ad Philip. scribit) ita exaltatus est, *Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris:* & sicut ad Hebr. etiam scribit, *Videmus Jesum propter Passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Quemadmodùm sæpe à nobis dictum est, quousque Dominus Iesus mori voluit in cruce, multas passus est iniurias, blasphemias, & contumelias ab hominibus. At quando in cruce cœpit mori, tunc vniuersæ creaturæ senserunt gloriam diuinitatis eius, cœperuntque Dominum suum honorare, & prædicare: non tantùm homines, qui percu-

*Psalm. 49.*

*Psalm. 145.*

*Chrysost.*

*Philip. 2.*

*Hebr. 2.*

tientes pectora sua, confitebantur, quod Filius Dei erat; sed etiam creaturæ inanimatæ venerabuntur ipsum, & crucem, ac mortem eius, quando (sicut S. Matth. refert) *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt*. His enim mutationibus insolitis, quibus dedit Deus prodigia in cœlo sursum, & prodigia in terra deorsum, istæ creaturæ insensibiles testabantur, Deum suum esse eum, qui moriebatur in cruce: & eo modo, quo poterant, significabant, velle se cum illo mori, si possent, atque crucifigi. *Pendente in patibulo creatore* (ait sanct. Leo, sermone 6. de Passione) *omnis creatura congemuit: & crucis clauos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui & terram traxit, & cælum: hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus Authori, vt in occasu Conditoris sui vellent vniuersa finiri.*

Matth. 27.

Leo.

*Et monumenta aperta sunt*. Aut propterea, vt hoc pacto honorarent, & confiterentur Dominum: & significarent (vt Diuus Thomas dicit 3. par. quæstion. 44. art. 4. ad 3.) quòd per eius mortem daretur mortuis vita animæ, & corporis, & in signum futuræ resurrectionis, vt Hieronymus ait, epist. 150. ad Hedibiam, quæst. 8. *Monumenta aperiuntur* (ait August. sermone 114.) *quia mortis iura iure superantur*. Aut certè, idcircò, moriente in cruce Domino, monumenta aperta sunt, vt reuerentiam singularem exhiberent illi, qui de cruce deponendus erat, & ponendus in monumento: quasi vellet vnumquodque monumentum apertum, obnixè illum deprecari, vt in eo acciperet locum sepulturæ: & quasi certabant in hoc monumenta Regum, & Prophetarum, & iustorum, vt alterum illorum præriperet sibi benedictionem hanc: quasi dicerent id, quod olim dixerunt Filij Heth Abrahæ, volenti sepelire Saram mortuam: *Audi nos, Domine. Princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* Sed non conueniebat hoc honori, & gloriæ sepulchri Domini: quia quamuis in alieno sepulchro sepeliēdus esset, propterea quòd proprium

D. Thom.

Hieronym.

August.

August.

Genes. 23.

non habuit; oportebat tamē mortuū illū Principis cœli, & terræ, in sepulchro mūdo & nouo sepeliri. Et ita SS. Euang. affirmāt quod Ioseph depositū de cruce corpus Iesu; *Posuit in monumēto suo nouo, in quo nondū quisquam positus fuerat.* Primò, vt (quemadmodū Cyrill. li. 12. super Ioan. c. 42. & alij Sancti affirmant) magis confirmaretur fides Resurrectionis eius, & nemo dicere posset, quod alius resurrexit ex mortuis, & nō ipse Christus. Præterea (sicut D. Thom. docuit 3. p. q. 51. art. 2. ad 4.) vt significaretur, quod illa sepultura tā noua, in qua Deus erat cōditus, renouatura erat animas, & corpora, & liberatura ab æterna morte, & ab omni corruptione. Deinde tertiò propter reuerētiam, quæ debita erat illi diuino corpori, formato à Spiritu sancto in purissimo vtero Mariæ Virginis, & vnito Verbo Dei, vt non sepeliretur in sepulchro aliquo, in quo positus aliquādo fuisset homo peccator, & in iniquitate conceptus: & sicut rectè dixerunt D. Ambr. ser. 48. & D. Aug. ser. 133. *Beatum plane corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit enim illud Ioseph tumulo incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ vterus illibatum. Sicut enim pollutione ibi nō tangitur, sic mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas. Nouus ille venter concepit, nouus tumulus conclusit. Dominica ergo est virgo vulua, & virgo est sepultura.* Bene profectò adnotauit Rupertus, li. 1. Comm. sup. Leuit. c. 16. quòd Leuitici 4. mādauit Dominus, corp' vituli mortui poni extra castra in loco mūdo, vbi cineres effundi solēt; ad significādum quod Christi corpus, pro salute humani generis oblatū, quāuis collocandū esset in terra, in qua aliorū mortaliū corpora sepeliri solēt, oportebat tamē in monumēto nouo, & mundo illud recōdere, quod tam nouum erat corpus, &, inter omnia defunctorum corpora, tam liberum ab omni immūditia peccati, & corruptionis, & quod sua morte, & sepultura, renouaturum erat cœlum, & terram.

Matth. 27. Luca 22. Cyrillus. D. Thom. Ambr. August. Rupertus. Leuit. 4.

Hęc igitur Christi sepultura, finis, & terminus fuit omniū laborū, & contumeliarū eius, & initiū quietis, honoris, & gloriæ ipsi'. Ita significatū est olim, cū Dominus dixit primo homini; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris ad terram, de qua assumptus es.* Genes. 3.

Hanc maledictionem intulit Dominus primo homini peccatori in pœnam, & supplicium inobedientiæ suæ: atque ita videmus, ac experimur, omnem mortalium vitam, plenam esse miserijs, laboribus, atque sudoribus, donec per mortem reuertantur in terram, &
Eccles. 40. in sepultura requiescant: quemadmodùm etiam Salomon in Ecclesiast. dicebat: *Graue iugum super omnes filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, &c.* Sed hanc maledictionem Christus Dominus voluntariè pro hominibus suscipere voluit, atque hoc graue, iugum non minùs patienter, quàm libenter super humeros suos imponere. Tota enim vita sua hoc iugum continui laboris, & sudoris, & crucis, super se tulit, quousque in illa moriens, & vitam cùm sanguine fundens, veniret ad locum sepulturæ, vbi honorificentissimè collocatus, inciperet iam à laboribus, & sudoribus requiescere. Et quidem primo homini præuaricatori Dominus sudorem tantùm vultus sui indixit; secundo verò homini, qui de cœlo veniebat soluere peccatum totius mundi, totius corporis sudorem imposuit, quo totum hominem sanaret, atque mundaret, & à noxijs vitiorum humoribus om-
Luca 22. ninò purgaret. *Factus est* (ait S. Lucas) *sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* Erat enim constitutus in agonia, & pugna, cum passione sua, cum morte, cum peccatis totius mundi, cum dæmonibus, ac denique cum seuerissima Dei iustitia. Et propterea toto corpore tam copiosum sudorem, atque illum sanguinem, emittebat: & sicut per Ezechielem dici-
Ezech. 24. tur; *Multo labore sudatum est.* Sed tanto labore, & sudore opus habuit homo peccator, vt per Christum Dominum nostrum sanaretur, & totus mundus à peccato redimeretur. De illo cœlesti manna dicitur in Exodo, quòd *Cùm incalesceret sol, liquefiebat.* Non ali-
Exod. 16. ter Christus Dominus, manna diuinum de cœlo descendens, positus in horto, & ardore charitatis suæ inflammatus, atque zelo reparationis nostræ, quasi quodam solis calore, accensus, cœpit liquefieri, atque sudare, & in aquam, & sanguinem resolui, toto corpore,
Iustinus. guttis ad terram decurrentibus: & (sicut Iustinus Martyr inquit, Dialogo contra Tryphonem) tunc impletum

impletum est, quod Dauid prædixerat: *Sicut aqua effusus sum:* & postea: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Totus enim quasi effusus, atque resolutus est in aquam, & sanguinem, non solùm ex facie, sed ex ipso corde, & toto corpore, defluente diuino liquore illo copiosissimo, vt etiam ex hac parte tam copiosa esset nostra salus: atque redemptio. Sed omnes isti labores, atque sudores, finem habuerunt in ipsa Christi morte, & sepultura, in qua tam gloriosè Christus accepit Sabbathum quietis, & corpus eius sanum, & integrum, atque incorruptum, propter inhabitantem in eo plenitudinem diuinitatis corporaliter. Et quemadmodùm illud manna cœleste, sexto die collectum, & Sabbatho seruatum, *Non computruit, nec vermibus scaturiuit:* ita Christus Dominus noster, manna diuinum, manna absconditum, sexto die collectus est per passionem, & mortem à Iudæis, & Gentibus: Sabbatho autem in sepulchro mansit, sanus, integer, & incorruptus. Vnde Esaias Propheta dicebat: *A facie iniquitatis sublatus est iustus.* Iste iustus, iuxta cõmunem sanctorum Patrum intelligentiam Christus Dominus est, qui inter omnes iustus, & sanctus est: de quo paulò antè Propheta dixerat: *Videbunt Gentes iustum tuum.* Et postea: *Donec egrediatur, vt splendor, iustus eius:* iustus tota vita sua, quæ iustissima, atque sanctissima fuit: iustus in morte, per quam ex summa iustitia satisfecit pro peccato totius mundi. Hic iustus, à Iudæis iniustè occisus, & collectus est, quibus dicebat S. Petrus: *Vos autem sanctum, et iustum negastis: et Authorem vitæ interfecistis:* Hos vocat Propheta, faciem iniquitatis, Pontifices, & iudices iniquissimos, & habentes omniũ iniquitatum personas, & facies, quemadmodum Dauid eis dicebat: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?* Ab his Dominus Iesus, iustus noster, circumuentus est malitia, & oppressus iniquitate, collectus Passione, & morte, & abscissus de terra viuentium. Sed, vt statim subiungit Esai Propheta: *Erit in pace sepultura eius.* Locus enim sepulturæ eius, in pace factus est Christo: quoniam communi consensu omnium Iudæorum crucifixus est Dominus, & sepulturæ tradi-

*Psal. 21.* *Exod. 16.* *Esai. 57.* *Esai. 62.* *Actor. 3.* *Psal. 81.*

tus,in qua posuit illi Deus fines laborum suorum, atque sudorum,pacem,& requiem:in qua etiā nec mors, neque corruptio,aliquid efficere in carne eius deifica potuerunt: quin potiùs ipsa Christi sepultura mortē, & corruptionem deleuit, quoniā in illa Dominus nos liberauit à perpetua morte animæ, & corporis. Vnde rectè, & acutè dixit S. Petrus Chrysologus, serm. 74. *Mutatur hic ordo rerum:mortem,non mortuum deuorat hoc sepulchrum*. Et quemadmodùm docet Rupert. in commentar. sup Ionam, cap.2. Sicut anima Christi, vnita Verbo, eduxit ab inferis animas Sanctorum, & beatas illas effecit: ita sanctum corpus eius, vnitum Verbo,& veniens ad sepulchrum, dedit corporibus electorum gratiam resurrectionis advitam immortalem,vt illum, qui surrexit die tertia, sequantur posteà in nouissima resurrectione iustorum. Qua ratione Gregor.Naziā. Oration.1.Apologetica,docet,idcircò Christum Dominum sepulturæ traditum esse,vt nos liberaret ab illa cōdemnatione,& maledictione primi hominis, qui statim post transgressionem, & inobedientiam, audiuit à Domino, *Puluis es.& in puluerem reuerteris*.

Chrysol. (Corys. ol.)
Rupertus.
Nazian.
Genes 3.

Ad hunc modum Christi Domini sepulchrum,gloriosum fuit, & honorificum, & plenum requie, & pace, atque gloria,simulque pretiosissimis vnguentis, & optimis.Nam, vt S. Ioannes refert, sepultus est *cum aromatibus*: atque id meritò. Nam si olim(teste D. Dionys. lib.de Eccles. Hierarch. c. 7. par. 3.) super defuncti corpus oleum, aut vnguentum effundebatur, vt significaretur, eum,qui defunctus est, sacra perfecisse certamina,sicque fuisse consummatum, atque eius resurrectionem perfectam,& exactam fuisse futurā:multò magis decuit, defuncto Domino pretiosissima vnguenta, & aromata superinfundi, qui omnium perfectissimè pro nostra salute decertauit vsque ad mortem, & opus nostræ redemptionis tam mirabiliter consummauit: & non tantùm ipse à mortuis in vitam immortalem resurrexit,sed etiam resurrectionis nostræ, atque incorruptionis causa extitit. Deinde etiam cum aromatibus sepeliri voluit, vt nos admoneret, atque doceret,honorare sepulturas nostras pretiosis vnguē-

Ioann. 19.
Dionys.

tis, & aromatibus bonorum operum, & sanctarũ operationum, atque eleemosynarum, ac cæterarum virtutum, quæ multò suauius fragrant, ac redolent in conspectu Domini, quàm quæcunque vnguenta pretiosa. Rectè dicit Basilius, Homil. 2. contra diuites auaros: *Bonum sepulchrum est pietas: omnibus tuis ornatus hinc discede: fac ornent te tuæ diuitiæ, &c.* Et D. Chrysost. Hom. 84. in Ioannem, dicit de viris iustis, quod *Sepulturam optimam putant vitam optimam.* Et rectè id dicit: quoniam vita sancta, & pia, secum affert pretiosam mortẽ & sepulturam gloriosam, atque honorificentissimam, ad imitationem vitæ, & mortis, & sepulturæ ipsius Christi Domini. Cuius sepulchrum ita gloriosum fuit, quod statim esse cœpit locus Sanctorum, & Angelorũ: (Ait enim Chrysost. in commentarijs super Psalm. 2. quòd Angeli ideò visi sunt in sepulchro Domini, & vt in cœlo manebant, vt ostenderent, Deum ibi esse sepultum, cui Angeli seruiunt, & obediunt, & summos honores deferunt vero Domino, ac Deo suo) similiter etiam factus est locus sanctarum mulierum, de quibus in Euangelio dicitur, quod *Erant sedentes contra sepulchrum.* Attentissimis enim oculis cõsiderabant sanctum illud, & gloriosum Christi sepulchrum & summa cordis deuotione venerabantur, tanquam rẽ quandam diuinam, atque hactenùs in terra neque auditam, neque visam: quod Deus non solum esset in terra, sed etiam sepultus esset, & reconditus sub terra. *Ergo ne putandum est* (aiebat Salomon) *quòd Deus habitet super terram?* Quanto igitur mirabilius esse putarẽt illæ sanctæ mulieres, quod Deus habitaret sepultus sub terra, *& in corde terræ?*

*Basilius.* *Chrysost.* *Chrysost.* *Matth. 27.* *3. Reg 8.*

Sola sacratissima Virgo Maria fuit inter omnes magis desolata, & solatio destituta, in hac sepultura Christi Domini: & quæ merito dicere potuit cum Hieremia: *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.* Nũquam enim sola fuit, quandiu secum habuit Christum Filium suum viuum, cum quo omnia simul bona cumulatè se habere existimabat. At eo momento, quo ipse in cruce expirauit, mansit illa quasi sine vita, sine filio, sine sponso, sine amico, sine lætitia, sine adiutorio,

*Thren. 1.* *Ambros.*

*Ambros.* & quasi bonis omnibus destituta. Ecce iterum manna cœleste ardore solis liquefactum. Diuus Ambr. serm. 3. docet, quòd beata Virgo est manna cœleste, quod dedit nobis Christum in cibum animarum nostrarũ. Manna diuinum, vnde processit vermis ille, qui sua passione & morte redemit mundum. Hoc ergo manna purissimum, ardore tormentorũ passionis, & mortis Christi Filij sui, qui est sol iustitiæ, quem solum diligebat præ omnibus, & in quo omne solatium repositum habebat, mansit hodie ita liquefactum, ac resolutum præ tristitia, atque solitudine, vt omnem suam spem, & dilectionem, repositam haberet in illa Christi sepultura: in qua etiam cor suum, & thesaurũ suum repositum, & consepultum habebat.

Similiter sola esset, ac desolata, Maria Magdalena, quæ vnicè Christum amabat, & cui viuere solus Christus erat. Haud dubium, quod cùm eum videret mortuum, & sepultum, mansit & ipsa sola, vidua, ac desolata, & mœstissima sine ipso, & diceret illud Baruc: *Baruc. 4.* *Nemo gaudeat super me, viduam & desolatam.*

Et veluti quoddam manna cœleste, ipsa etiam vera amatrix Christi, cum videret ipsum spirantem in cruce, & transeuntem ex hac vita, atque sepultum, *Cant 5.* deficeret præ tristitia, liquefieret, & resolueretur in lamenta, & lachrymas: & cum sponsa diceret. *Ille declinauerat, atque transierat: anima mea, liquefacta est.*

Transeunte enim Christo, & declinante per mortem, anima eius liquefacta est calore ardentissimi amoris, quo eum diligebat quærebat eum, & non inueniebat: vocabat, neque illi respondebat. Solus etiam esset, ac desolatus, discipulus ille, quem diligebat Iesus, *Hierem. 15.* & vsque ad mortem, & crucem socium habuit: quia sine Christo vita illi tormentum, & solitudo, & mors amarissima erat. Vnde cum Hieremia diceret: *Solus sedebam, quia amaritudine repleſti me.* Denique apud eos, qui gustauerunt, quam suauis & Christus Dominus, ille tantummodo solus est, qui sine Christo. Et quẽadmodùm inquit D Gregor. lib. 4. super. 1, Reg. c. *Gregor.* 4. *ille solus est, quem Deus dereliquit* Qui enim secum habet Christum, omnia in ipso possidet, omnibus bo-

nis abundat, omnes thesauros celestes habet, qu absconditi sunt, in ipso, qui est verus Deus, & vita æterna, qui cum Patre & spiritu sancto viuit, & regnat, &c. Amen.

*Finis primi tomi.*

---

## *Priuilege du Roy.*

HENRY par la grace de Dieu, Roy de Frãce & de Nauarre, à nos amez & feaulx Conseillers les gens tenans noz cours de Parlemẽs de Paris, Thoulouze, Roüen, Bourdeaux, Digon, Aix, Grenoble & Bretaigne Baillis, Preuosts & Seneschaux desdits lieux, & à tous nos autres officiers salut, Receu auons l'humble supplication de nostre bien aimé Nicolas du Fossé marchand Libraire iuré en l'vniuersité de Paris, nous a faict dire & remonstrer qu'il luy a esté mis en ses mains, vn liure intitulé, *De Cardinalibus & præcipuis Iesu Christi & sanctorum operibus, quæ festis eorum diebus in Ecclesia festiue, celebrantur Tomi duo Authore Didaco de Iangnas sacræ Theologiæ Magistro Hispano ordinis Prædicatorum:* lequel liure ledict du Fossé desireroit faire Imprimer, & mettre en lumiere, mais il doubte que quelque Libraire, Imprimeur, ou autres ne le face imprimer en quelques endroits de celuy nostre Royaume, qui luy causeroit vne grande perte & dommage s'il ne luy estoit sur ce par nous pourueu de reme-

de conuenable: humblement requerant iceluy. POVRCE est il que nous inclinant liberalemẽt à la Requeste dudict exposant & pour aucunement le releuer de ses frais & mises qu'il luy a conuenu & conuiendra faire auõs par ces presentes permis & accordé, permettons & accordons de nostre pleine puissance & authorité Royalle audict du Fossé & à ceux qui auront droict de luy & non autres, qu'ils puissent faire imprimer lesdits liures tãt de fois que bon leur semblera & en tel volume & caractere qu'ils verront bon estre durant le temps & terme de dix ans prochains & consecutifs à compter du iour que ledit liure sera acheué d'imprimer pour la premiere fois auec deffẽces à tous marchãs Libraires, Imprimeurs ou autres de quelque estat ou cõdition qu'ils soient d'imprimer ou faire imprimer soit dedans ou dehors nostre Royaume, tronquer ny alterer lesdits liures ny en extraire aucune chose, vendre ny debiter si ce n'est du consentement dudit du Fossé ou autres ayans droit de luy sur peine de confiscation des liures & exemplaires qui seront trouuez auoir esté imprimez & mis en vente contre & au preiudice des presentes soit en public ou en particulier & de trois mil liures d'amẽde. Voulons & nous plaist aussi qu'en mettant ou transcriuant au commencement ou à la fin dudit liure vn extrait dudit priuilege, elles soient tenues pour suffisamment signifiees & venues à la cognoissance de tous comme si expressement & particulierement elles leur auoient esté notifiees, SI VOUS MANDONS

& à chacun de vous endroit ſoy cõmettõs que de nos preſentes, grace, congé, permiſſion & du cõtenu cy deſſus vous faictes & laiſſez iouir ledict du Foſſé & ceux qui auront droict de luy, faire vſer plainement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemẽs au contraire, & de s'ayder à l'encontre de ceux qui contreuiendront à l'authorité de noſdites lettres, par toutes voyes deues & accouſtumees, & par les peines ſuſdites. Et au premier noſtre huiſſier ou ſergent, faire tous exploits requis & neceſſaires pour l'execution des preſentes, ſans demander placet, viſa ne pareatis. Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande priſe a partie, & lettres à ce contraires. Auſquelles nous auons deſrogé & deſrogeons par ces preſenres, Donné à Paris le neufieſme iour d'Octobre, l'an de grace mil ſix cens quatre.

Et de noſtre regne le ſeizieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil.

De Brigard.

# INDICES COPIOSISSIMI LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, quæ primo tomo huius operis explicantur vel recensentur.

*A, significat primam paginam B. secundam.*



*

---

*EX PROVERB. Salomonis.*

---

## EX ECCLESIAST.

---

*EX DANIELE.*

---

*EX EVANGELIO Marci.*

---

*EX EVANGELIO Ioan.*

*****

---

*EX EPISTOLA*
*Beati Pauli ad Romanos.*

## EX EPISTOLA *prima ad Corinth.*

Cap. 1.

*EX EPIST. AD Hebraeos.*

*Cap. 1.*

---

### EX EPIST. JACOBI.

Cap. 1.



Cap. 4.



---

### EX EPIST. I. PETRI.

Cap. 1.



Cap. 2.



Cap. 3.



Cap. 4.



Cap. 5.

FINIS.

TABVLA CONCIONVM QVÆ IN HOC PRIMO TOMO continentur.

FINIS.